



887

CATECHISMUS  
EX DECRETO  
CONCILII TRIDENTINI

AD PAROCHOS  
PII V. PONTIFICIS MAX.  
ET DEINDE  
CLEMENTIS XIII. IUSSU EDITUS

NUNC AD FIDEM  
MANUTIANI TEXTUS ET OPTIMORUM EXEMPLARUM  
ITERATIS CURIS  
CASTIGATE IMPRESSUS

---

Editio 1<sup>a</sup>. stereotypa romana

---

ROMAE 1871.

TYPIS S. CONGREG. DE PROPAGANDA FIDE

SOC. EQ. PETRO MARIETTI ADMIN.

TAURINI  
PETRUS H. F. MARIETTI  
Typogr. Pontif.

NEAPOLI  
HENRICI PENDULAE  
Libr. Eccles.

PARISIIS - VICT. PALMÉ Rue de Grenelle S. Germain 25.



201

27 B

37

30-44

**CATECHISMUS**

**EX DECRETO**

**CONCILII TRIDENTINI**

**AD PAROCHOS**

## MONITUM

---

Inter tot Catechismi romani editiones, neminem latet principem illam Manutianam omnibus oppido esse praeferendam: ast in eam, quod humanum est, perturbationes aliquae, et nonnulla menda irrepserant, quae variis inde obnoxia fuerunt emendationibus. Nos itaque diligentissimam huic nostrae editioni operam navantes, Manutianam, quod ad textum attinet, ut typum delegimus, ita quidem, ut cetera quoque exemplaria accurate excusa, non minimam nobis opem suppeditaverint. Testimonia insuper ss. Scripturarum, nec non ss. Patrum diligenti studio ac labore contulimus, ut citationes, quod non semel in aliis editionibus desideratur, exactiores evaderent. Si qua vero peculiarem castigationem mereri visa sunt, ea, quin tamen aliquid in textu mutatum sit, asteriscus in margine indicabit. Ut maius denique decus libro accedat, praefationis loco, gravissimae Clementis XIII. P. M. litterae encyclicae de excellentia et usu Catechismi, editioni romanae anni MDCCLXI. praepositae, additae sunt.

# CATECHISMUS

EX DECRETO

# CONCILII TRIDENTINI

AD PAROCHOS

PII V. PONTIFICIS MAX.

ET DEINDE


CLEMENTIS XIII. IUSSU EDITUS

NUNC AD FIDEM

MANUTIANI TEXTUS ET OPTIMORUM EXEMPLARUM

ITERATIS CURIS

CASTIGATE IMPRESSUS



---

*Editio 1<sup>a</sup>. romana stereotypa*

---

ROMAE

TYPIS S. CONGREG. DE PROPAGANDA FIDE

SOCIO EQ. PETRO MARIETTI ADMIN.

MDCCCLXXI.





# CLEMENS PAPA XIII.

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS, PRIMATIBUS,  
ARCHIEPISCOPIB, ET EPISCOPIB.

*Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.*

In dominico agro, cui excolendo, divina disponente providentia, praesumus, nihil tam vigilantem curam, et perseverantem requirit industriam, quam iacti boni seminis, catholicae nimirum doctrinae a Christo Iesu, et ab apostolis acceptae, nobisque traditae custodia; ne si pigro otio, et incerti desidia negligatur, dormientibus operariis, inimicus humani generis superseminet zizania; ex quo fiat, ut in die messis, potius quam condenda in horreis, iuventur ea, quae urenda sint flammis. Atque ad tuendam quidem semel traditam<sup>1</sup> sanctis fidem nos vehementer excitat beatissimus Paulus, qui Timotheo scribit, ut bonum<sup>2</sup> custodiat depositum, quod periculosa<sup>3</sup> tempora instarent, cum in ecclesia Dei homines<sup>4</sup> mali, et seductores existerent, quorum opera adhibita iusidiosus ille tentator his erroribus incautas mentes conaretur inficere, qui sint evangelicae veritatis inimici. Verum si, quod saepe accidit, quaedam in ecclesia Dei sese extulerint pravae sententiae, quae adversis quidem sibi frontibus pugnantes, in eo tamen conspirent, ut catholicae fidei puritatem quoquo modo labefactent; tum vero difficillimum est, ea cautioue inter utrumque hostem ita nostrum librare sermonem, ut nulli eorum terga vertisse, sed utrosque Christi hostes aequè vitavisse, et condempnasse videamur. Atque interdum res est eiusmodi, ut facile diabolica falsitas verì quadam similitudine coloratis se tegat mendaciis, dum vis sententiarum brevissima adiectione, aut commutatione corumpitur, et confessio, quae operabatur salutem, subtili nonnumquam transitu vergat in mortem.

Ab his propterea lubricis, augustisque semitis, quibus insistere, aut ingredi sine prolapsione vix possis, avertendi sunt fideles, ac praesertim qui rudiore sint ac simpliciore ingenio, nec per invia loca ducendae sunt oves ad pascua, nec singularia quaedam, etiam catholicorum doctorum, placita iis sunt proponenda; sed illa certissima catholicae veritatis nota tradenda est, doctrinae universitas, antiquitas, et consensus. Praeterea cum non possit vulgus ascendere<sup>5</sup> in montem, in quem gloria Domini descendit, et transcendens terminos ad viden-

1) Iudae 3. — 2) 2. Tim. I. 14. — 3) Ibidem III. 1. — 4) Ibidem v. 13. — 5) Exod. XIX. 12.

dum peribit; termini figendi sunt populo ab eius doctoribus per circuitum, ut ultra ea, quae sunt ad salutem necessaria, aut summopere utilia, sermo non divagetur, et fideles apostolico dicto pareant: « Non <sup>1</sup> plus saperè quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. »

Haec cum probe intellexissent romani pontifices praedecessores nostri, in id omnem suam operam contulerunt, ut non modo vevuata germina subuascentium errorum anathematis gladio praeciderent, sed etiam subrescentes opiniones quasdam amputarent, quae vel redundantia in christiano populo fidei uberiores fructum impedirent, vel fidelium animis proximitate nocere possent erroris. Postquam igitur tridentina synodus eas, quae tum temporis ecclesiae lucem obfuscare tentaverant, haereses condemnavit, et catholicam veritatem, quasi discussa errorum nebula, in clariorem lucem eduxit; cum iidem praedecessores nostri intelligerent, sacrum illum universalis ecclesiae conventum tam prudenti consilio, tantaque usum esse temperantia, ut ab opinionibus reprobandis abstineret, quae doctorum ecclesiasticorum auctoritatibus fulcirentur; ex eiusdem sacri concilii mente aliud opus confici voluerunt, quod omnem doctrinam complecteretur, qua fideles informari oporteret, et quae ab omni errore quam longissime abesset. Quem librum *Catechismi romani* nomine typis impressum vulgarunt, dupliciter in ea re laudandi. Nam et illuc eam doctrinam contulerunt, quae communis est in ecclesia, et procul abest ab omni periculo erroris; et hanc palam populo tradendam disertissimis verbis proposuerunt, ita Christi domini praecepto obtemperantes, qui apostolos dicere <sup>2</sup> in lumine iussit, quod in tenebris ipse dixisset, et quod in aure audierant, super tecta praedicare, ecclesiaeque sponsae obsecuti, cuius illae voces: « Indica <sup>3</sup> mihi ubi cubes in meridie; » ubi enim non sit meridies, atque ita perspicua lux, ut liquido veritas cognoscatur, facile pro ea recipitur falsitas propter veri similitudinem, quae in obscuro difficulter a vero discernitur. Noverant enim fuisse antea, et deinceps futuros, qui pascentes invitarent, et sapientiae, scientiaeque uberiores promitterent pascuas, ad quos multi confluerent, quia aquae <sup>4</sup> furtivae dulciores sunt, et suavior panis absconditus. Ne igitur seducta vagaretur ecclesia post greges sodalium, qui et ipsi sint vagi, nulla stabiles certitudines veritatis, semper <sup>5</sup> discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes; idcirco quae ad salutem tantummodo essent necessaria et maxime utilia, clare in *romano Catechismo*, et dilucide explanata, christiano populo tradenda proposuerunt.

Verum hunc librum non mediocri labore et studio compositum, omnium consensione probatum, et summis laudibus exceptum, his temporibus e pastorum manibus propemodum novi-

<sup>1</sup>) Rom. XII. 3. — <sup>2</sup>) Matth. X. 27. — <sup>3</sup>) Cant. I. 6. — <sup>4</sup>) Prov. IX. 17. — <sup>5</sup>) 2. Tim. III. 7.

tatis amor excussit, cum alios atque alios Catechismos extulerit nullo modo cum romano comparandos; unde duo mala extiterunt: alterum, quod illa fuerit in eadem docendi ratione prope sublata consensio, oblatumque pusillis quoddam scandali genus, quibus sibi ipsi iam non amplius esse videantur in terra labii<sup>1</sup> unius et sermonum eorundem; alterum, quod ex diversis variisque tradendae catholicae veritatis rationibus ortae sunt contentiones, et ex aemulatione, dum alius se Apollo, alius Cephae, alius Pauli se dicitat sectatorem, disiunctiones animorum, et magna dissidia; quarum dissensionum acerbitate nihil ad Dei gloriam minuendam exitius putamus, nihil ad extinguendos fructus, quos e christiana disciplina aequum est fideles percipere, calamitosius. Itaque duplex hoc malum ut ab ecclesia tandem amoliremur, illuc duximus redeundum, unde quidam parum prudenti consilio, nonnulli etiam superbia ducti, ut sese in ecclesia iactitent sapientiores, iamdudum fidelem populum avocaverant; et eundem *Catechismum romanum* pastoribus animarum iterum porrigendum existimavimus; ut qua ratione confirmata olim fuit catholica fides, et in doctrina ecclesiae, quae est columna<sup>2</sup> veritatis, fidelium mentes corroboratae, eadem nunc a novis quoque opinionibus, quibus nec consensio, nec antiquitas suffragatur, quam longissime avertantur. Atque parabilior ut fieret liber, et maculis, quas operarum vitio contraxerat, emendatior, illum ad eius exemplum, quem S. Pius V. praedecessor noster ex tridentinae synodi decreto vulgavit, iterum omni adhibita diligentia extendendum in alma urbe curavimus; qui in popularem sermonem eiusdem S. Pii inssu conversus, et editus, propediem mandato itidem nostro typis impressus denuo prodibit in lucem.

Quod igitur hoc christianae reipublicae difficillimo tempore ad pravaram opinionum fraudes removendas, et veram sanamque doctrinam propagandam stabiliendamque opportunissimum subsidium cura nostra praebet et diligentia, vestrum est, venerabiles fratres, operam dare, ut a fidelibus recipiatur. Ac propterea hunc librum, quem veluti catholicae fidei, et christianae disciplinae normam, ut etiam in tradendae doctrinae ratione constaret omnium consensio, romani pontifices pastoribus propositum voluerunt, vobis, venerabiles fratres, nunc maxime commendamus, vosque etiam enixe in Domino cohortamur, ut iubeatis ab omnibus, qui animarum curam gerunt, in informandis catholica veritate populis adhiberi, quo tum eruditionis unitas, tum charitas, animorumque servetur concordia. Vestrum enim est tranquillitati omnium studere, quae denique sunt partes episcoporum; qui propterea illuc intentos oculos habere debet, ne quisquam propter suos honores superbe agendo schismata faciat, unitatis compage disrupta.

Nullum tamen aut certe exiguum hi libri fructum praebent utilitatis, si qui eos proponere, et explauare audientibus,

1) Gen. XI. 1. — 2) I. Tim. III. 15.

debent, minus docendo sint ipsi idonei. Itaque permagni interest, ut ad hoc munus christianae doctrinae populo tradendae homines eligatis, non modo sacrarum rerum scientia praeditos, sed multo magis et humilitate, et sanctificandarum animarum studio, et charitate flagrantes. Tota enim christiana disciplina non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriae, sed in vera et voluntaria humilitate consistit. Sunt enim, quos maior quidem scientia erigit, sed a ceterorum societate disiungit, et quo plus sapiunt, eo a concordiae virtute desipiunt, qui sapientia ipsa Dei verbo admonentur: « Habet<sup>1</sup> sal in vobis, et pacem habete inter vos; » ita enim sapientiae sal habendum, ut eo proximi custodiatur, et infirmitates condiantur. Quod si a sapientiae studio, a cura etiam proximi ad discordias vertantur, sal sine pace habent, non virtutis donum, sed damnationis argumentum; et quo melius sapiunt, eo deterius delinquant; quos quidem damnat Iacobi apostoli sententia illis verbis: « Quod si zelus<sup>2</sup> amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari, et mendaces esse adversus veritatem; » non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica; ubi enim zelus est et contentio, ibi inconstantia, et omne opus pravum; quae autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, et fructibus bonis, non iudicans, sine aemulatione.

Dum ergo Deum in humilitate cordis et afflictione animae deprecamur, ut diligentiae atque industriae nostrae conatibus suam impertiat indulgentiae et misericordiae largitatem, ne dissensio populum fidelem disturbet, utque in vinculo pacis, et in charitate spiritus unum sapiamus omnes, unum laudemus, et glorificemus Deum, et Dominum nostrum Iesum Christum, vos, venerabiles fratres, salutamus in osculo sancto; vobisque omnibus, itidemque cunctis ecclesiarum vestrarum fidelibus apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum in arce Castri Gandulphi die XIV. Iunii MDCCLXI. pontificatus nostri anno III.

1) Marc. IX. 49. — 2) Iacob. III. 14.



# CATECHISMI ROMANI

## PRAEFATIO

AGENS DE PASTORUM IN ECCLESIA NECESSITATE,  
AUCTORITATE, OFFICIO, ET PRAECIPUIS  
DOCTRINAE CHRISTIANAE CAPITIBUS.

### SECTIO

1. *Homo non potest, suis relictus viribus, veram sapientiam et obtinendae beatitudinis certas rationes consequi.*

Ea est humanae mentis et intelligentiae ratio, ut, quum alia multa, quae ad divinarum rerum cognitionem pertinent, ipsa per se magno adhibito labore et diligentia investigaverit ac cognoverit; maximam tamen illorum partem, quibus aeterna salus comparatur, cuius rei in primis causa homo conditus atque ad imaginem et similitudinem Dei creatus est, naturae lumine illustrata cognoscere aut cernere numquam potuerit. <sup>1</sup> *Invisibilia quidem Dei (ut docet Apostolus) a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus et divinitas.* <sup>2</sup> Verum mysterium illud, quod absconditum est a saeculis et generationibus, ita humanam intelligentiam superat, ut, nisi manifestatum fuisset sanctis, quibus voluit Deus fidei munere notas facere divitias gloriae sacramenti huius in gentibus, quod est Christus, nullo studio homini ad eam sapientiam adspirare licuisset.

2. *Unde tam praeclarum fidei munus concipiatur.*

Quum autem <sup>3</sup> fides ex auditu concipiatur, perspicuum est, quam necessaria semper fuerit ad aeternam salutem consequendam doctoris legitimi fidelis opera ac ministerium: siquidem dictum est: <sup>4</sup> *Quomodo audient sine praedicante?*

Theologi in I. sent. dist. 26. id ostendunt. Consulator sexta sectio primi artic. Symboli, et 3. sect. 12. cap. de oratione dominicali. Ps. 118, 105. Lucerna pedibus meis etc. Baruch 3, 31. Non est qui possit etc. 2. Timoth. 3, 16. Omnia scriptura. 1) Rom. 1, 20. 2) Colos. 1, 26. Dei gratia, fideique munere homo veram sapientiam consequitur. Thom. 2, 2. qu. 174. art. 6. in corpore.

3) Rom. 10, 17. Dan. lib. 4. c. 2.

4) Rom. 10, 14, 15.

*quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?*  
 Et quidem ab ipsius mundi origine clementissimus ac benignissimus Deus suis numquam defuit; sed <sup>1</sup> multifarie multisque modis loquutus est patribus in prophetis, eisque pro temporum conditione ad caelestem beatitudinem certum ac directum iter monstravit.

1) Hebr. 1, 1.  
 Deus ministerio docentium fidem animis hominum iustillat.  
 Th. 2, 2, qu. 6.  
 art. 1. Hoc luseuleter docet  
 B. Aug. in libris de doctr. christ.

2) Isa. 49, 6.

3) Hebr. 1, 2.

4) 2. Petr. 1, 17.

5) Ad Ephes. 4, 11.

Apostoli et discipuli quorum legitimi successores suut ecclesiarum pastores. Videatur principium sess. 5. conc. trident.

6) Eph. 4, 14.

7) Eph. 2, 22.

8) 1. Thes. 12, 13.

9) Luc. 10, 16.

Quanta sit auctoritas evangelizantium. Concil. trid. sess. 23, c. in decreto de sacramento ordin.

10) Matth. 28, 20.

Verbi Dei perpetua esse debet in ecclesia praedicatio.

11) 1. Ioan. 4, 1.  
 Infra de sacramento ordinis sect. 3 et 4.

3. *Christus in hunc mundum venit ad docendam fidem; quam postea apostoli et successores eorum propagarunt.*

Sed quoniam praedixerat, daturum se doctorem iustitiae <sup>2</sup> in lucem gentium, ut esset salus eius usque ad extremum terrae, <sup>3</sup> novissime loquutus est nobis in Filio, quem etiam, voce e caelo delapsa a magnifica gloria, iussit <sup>4</sup> ut omnes audirent, eiusque praeceptis obtemperarent. Deinde vero Filius alios <sup>5</sup> dedit apostolos, alios prophetas, alios pastores et doctores, qui verbum vitae annuntiarent, <sup>6</sup> ne circumferremur tamquam parvuli, fluctuantes omni vento doctrinae, sed firmo fidei fundamento adhaerentes, <sup>7</sup> coaedificaremur in habitaculum Dei in Spiritu sancto.

4. *Quomodo verba pastorum ecclesiae sint recipienda.*

Ac ne quis <sup>8</sup> verbum auditus Dei ab ecclesiae ministris, tamquam verbum hominum, sed, sicut vere est, verbum Christi acciperet, ille ipse Salvator noster tantam auctoritatem eorum ministerio tribuendam esse statuit, ut diceret: <sup>9</sup> *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit*: quod quidem non de iis tantum, quibuscum sermo habebatur, intelligi voluit, verum de omnibus etiam, qui legitima successione docendi munus obirent, <sup>10</sup> quibus se omnibus diebus usque ad consummationem saeculi affuturum esse pollicitus est.

5. *Veritate iam manifestata, hodie etiam necessarium est, pastores verbum Dei praedicare.*

At vero, quum haec divini verbi praedicatio numquam intermitteri in ecclesia debeat, tum certe hoc tempore maiori studio et pietate elaborandum est, ut sana et incorrupta doctrina tamquam pabulo vitae fideles nutriantur et confirmantur. <sup>11</sup> Exierunt enim falsi prophetae in mundum, de

quibus dixit Dominus: <sup>1</sup> *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant: non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant*, ut <sup>2</sup> variis doctrinis et peregrinis christianorum animos depravarent. Quae in re illorum impietas, omnibus satanae artibus instructa, tam longe progressa est, ut nullis fere certis finibus contineri posse videatur. Ac nisi Salvatoris nostri praeclara illa promissione nitentemur, qui se adeo stabile ecclesiae suae fundamentum posuisse affirmavit, <sup>3</sup> ut portae inferi adversus eam praevalere numquam possint; maxime verendum esset, ne hoc tempore tot undique hostibus obsessa, tot machinis tentata et oppugnata concideret. Nam, ut omittamus nobilissimas provincias, quae olim veram et catholicam religionem, quam a maioribus acceperant, pie et sancte retinebant, nunc autem dereliquentes viam rectam erraverunt, atque in eo se maxime pietatem colere palam profitentur, quod a patrum suorum doctrina quam longissime recesserunt; nulla tam remota regio aut tam munitus locus, nullus christianae reipublicae angulus inveniri potest, quo haec pestis occulte irrepere non tentarit.

1) Ier. 23, 21.

2) Hebr. 13,9.

3) Matth. 16, 18.

Haeresis quam late serpsit.

6. *Catechismus potissimum haeretici Christianorum animos depravare studuerunt.*

Qui enim fidelium mentes corrumpere sibi proposuerunt, quum fieri nullo modo posse intelligerent, ut cum omnibus coram colloquerentur, et in eorum aures venenatas voces infunderent, idem alia ratione aggressi, multo facilius ac latius impietatis errores disseminarunt. Nam praeter illa ingentia volumina, quibus catholicam fidem evertere conati sunt, a quibus tamen cavere, quum apertam haeresim continerent, non magni fortasse laboris ac diligentiae fuit, infinitos etiam libellos conscripserunt: qui quum pietatis speciem prae se ferrent, incredibile est, quam facile incautos simplicium animos deceiverint.

Quo astu haeretici sint usi ad impia sua dogmata infundenda.

Catechismorum apud haereticos pernicietas.

7. *Pestilentibus pseudoprophetarum vocibus et scriptis occurrendum sancta synodus recte statuit.*

Quamobrem patres oecumenicae tridentinae

Trident. synod. sess. ult.

sub finem. Duplex antidotum pestis grassantis. Primum.

synodi, quum tanto et tam pernicioso huic malo salutarem aliquam medicinam adhibere maxime cuperent, non satis esse putarunt, graviora catholicae doctrinae capita contra nostri temporis haereses decernere; sed illud praeterea sibi faciendum censuerunt, ut certam aliquam formulam et rationem christiani populi ab ipsis fidei rudimentis instituendi traderent, quam in omnibus ecclesiis illi sequerentur, quibus legitimi pastoris et doctoris munus obeundum esset.

8. *Necesse fuit, etiam oecumenici concilii studio summi Pontificis auctoritate, post tot doctrinae christianae conscriptas institutiones, novum catechismum pastoribus proponere.*

Secundum. Editionis huius catechismi ratio: vide secundam sectionem primi capituli de symbolo apost.

Multi quidem adhuc in hoc scriptionis genere cum magna pietatis et doctrinae laude versati sunt; sed tamen patribus visum est maxime referre, si liber sanctae synodi auctoritate ederetur, ex quo parochi, vel omnes alii, quibus docendi munus impositum est, certa praecepta petere atque depromere ad fidelium aedificationem possent; ut quemadmodum <sup>1</sup> unus est Dominus, una fides, ita etiam una sit tradendae fidei, ad omniaque pietatis officia populum christianum erudiendi communis regula atque praescriptio.

1) Ephes. 4, 5.

9. *Non sunt exacte universa nostrae religionis dogmata hic discussa.*

Comparatio huius catechismi cum aliis catholicorum catechismis.

Pastoribus praecipue servit haec instructio, et per eorum ministerium omnibus christianis.

Multa, quae ad pastoris officium pertinent, tractantur fere posteriori parte cuiusque sessionis concilii.

Ergo, quum multa sint, quae ad hanc rationem pertinere videantur, nemo existimet, illud sanctae synodo propositum fuisse, ut omnia christianae fidei dogmata uno libro comprehensa subtiliter explicarentur: quod ab iis fieri solet, qui se profitentur universae religionis institutionem et doctrinam tradere; id enim et infiniti paene operis fuisset, et instituto minus convenire perspicuum est. Sed quoniam parochos sacerdotisque animarum curatores earum rerum cognitione instruendos suscepit, quae pastoralis muneris maxime propriae sunt, et ad fidelium captum accommodatae, ea tantum in medium afferri voluit, quae hac in re piam pastorum studium, si in difficilioribus divinarum rerum



disputationibus non ita versati fuerint, adiuuare possent. Quae quum ita sint, antequam ad ea singillatim tractanda accedamus, quibus huius doctrinae summa continetur, institutae rei ordo postulat, ut pauca quaedam exponantur, quae pastores considerare, sibi que ante oculos proponere in primis debent, ut sciant, quonam, veluti ad finem, omnia eorum consilia, labores, studia referenda sint, quove pacto id, quod vo-

ubi agitur de reformatione.

10. Quum pastores animarum hic instituendi suscipiantur, quid illis potissimum, ut rite suo fungantur munere, sit considerandum.

Illud igitur primum videtur esse, ut semper meminerint, omnem christiani hominis scientiam hoc capite comprehendendi, vel potius, quemadmodum Salvator noster ait: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti, Iesum Christum.* Quamobrem in eo praecipue ecclesiastici doctoris opera versabitur, ut fideles scire ex animo cupiant <sup>2</sup> Iesum Christum, et hunc crucifixum; sibi que certo persuadeant, atque intima cordis pietate et religione credant, <sup>3</sup> aliud nomen non esse datum hominibus sub caelo, in quo oporteat nos salvos fieri, <sup>4</sup> siquidem ipse propitiatio est pro peccatis nostris. At vero, <sup>5</sup> quia in hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata eius observemus; proximum est, et cum eo quod diximus maxime coniunctum, ut simul etiam ostendat, vitam a fidelibus non in otio et desidia degendam esse; verum oportere, ut, <sup>6</sup> quemadmodum ipse ambulavit, ita et nos ambulemus, <sup>7</sup> sectemurque omni studio iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, mansuetudinem; dedit enim <sup>8</sup> semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, quae Apostolus pastoribus praecipit, ut loquantur et exhortentur. Cum autem Dominus ac Salvator noster non solum dixerit, sed etiam exemplo suo demonstrarit, <sup>9</sup> legem et prophetas ex dilectione pendere; Apostolus deinde confirmarit, <sup>10</sup> charitatem esse finem

Pastores omnem suam doctrinam eo debent primum referre, ut omnes intelligant, quantum beneficium Deus generi humano per Christum praestiterit, quod est primum.

1) Ioan. 17. 3.  
2) I. Cor. 2. 2.  
3) Act. 4. 12.  
4) I. Ioan. 2. 2.  
5) I. Ioan. 2. 3.

Secundum, quod pastores docendo debent respicere, sunt mandata Christi, ad quae subditi sunt excitandi.

6) I. Ioan. 2. 6.  
7) I. Tim. 4. 12.  
8) Tit. 2. 14.

Opera esse fidei adiungenda, nec quomquam in hac sola sibi debere blandiri clare ostenditur c. 12. sess. 6. conc. trid. et cap. 8. eiusd. Paulus praecipit pastoribus, ut fideles excitent ad pietatis et charitatis opera, quod est tertium.

9) Matth. 23. 40.  
10) I. Tim. 1. 5.

- 1) Rom. 13, 8. Solida felicitas hominis est Deo integre per amorem adhaerere.
- 2) Psal. 72, 25. praecepti, ac <sup>4</sup> legis plenitudinem; dubitare nemo potest, hoc tamquam praecipuum munus omni diligentia curandum esse, ut fidelis populus ad immensam Dei erga nos bonitatem amandam excitetur, ac divino quodam ardore incensus, ad summum illud et perfectissimum bonum rapiatur, cui adhaerere solidam et veram felicitatem esse is plane sentiet, qui illud Prophetiae dicere poterit: <sup>2</sup> *Quid enim mihi est in caelo, et a te quid volui super terram?* Haec nimirum est via illa excellentior, quam idem Apostolus demonstravit, quum omnem doctrinae et institutionis suae rationem ad charitatem, <sup>4</sup> quae numquam excidit, dirigeret. Sive enim credendum, sive sperandum, sive agendum aliquid proponatur, ita in eo semper charitas Domini nostri commendari debet, ut quivis perspiciat, omnia perfectae christianae virtutis opera non aliunde, quam a dilectione ortum habere, neque ad alium finem quam ad dilectionem referenda esse.
- 3) I. Cor. 12, 31.
- 4) I. Cor. 13, 8. Omnis doctrina catholico doctori ad charitatem dirigenda est.
- Declaratur quomodo plenitudo legis sit dilectio. Virtus nulla perfecta sine charitate.

11. *Non satis est pastores ad duos illos fines inter docendum respicere, sed se ad captum cuiusque debent accommodare.*

- Pastori auditorum circumstantiae considerandae, et inter docendum ad captum cuiusque respiciendum.
- 5) I. Cor. 9, 22.
- 6) I. Cor. 4, 1.
- 7) Matth. 25, 23.
- 8) I. Pet. 2, 2.
- 9) I. Cor. 3, 2. Hebr. 5, 14.
- Quum autem in omni re tradenda plurimum intersit, utrum hoc an illo modo aliquid doceas, tum vero hoc in christiani populi institutione maximi momenti existimandum est. Observanda est enim audientium aetas, ingenium, mores, conditio, ut qui docendi munus exercet, omnia omnibus <sup>5</sup> efficiatur; ut et omnes Christo lucrifaciat, et <sup>6</sup> seipsum fidelem ministrum et dispensatorem probare possit, ac <sup>7</sup> veluti servus bonus et fidelis, dignus sit qui super multa constituatur a Domino. Neque vero unius tantum generis homines fidei suae commissos esse arbitretur, ut praescripta quadam et certa docendi formula erudire, atque ad veram pietatem instituere aequae omnes fideles possit: sed <sup>8</sup> quum alii veluti modo geniti infantes sint, alii in Christo adolescere incipiant, nonnulli vero quodammodo confirmata sint aetate; necesse est diligenter considerare, quibus lacte, <sup>9</sup> quibus solidiore cibo opus sit, ac singulis ea doctrinae alimenta praebere, quae

spiritum augeant, <sup>1</sup> donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi. Id vero Apostolus in seipso omnibus observandum indicavit, quum <sup>2</sup> dixit se graecis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitorem esse; ut videlicet intelligerent qui ad hoc ministerium vocati sunt, ita in tradendis fidei mysteriis ac vitae praeceptis doctrinam ad audientium sensum atque intelligentiam accommodari oportere, ut quum eorum animos, qui exercitatos sensus habent, spirituali cibo expleverint, ne interim parvulos fame perire patiantur, ut <sup>3</sup> qui panem petant, et non sit qui frangat eis. Neque vero cuiusquam studium in docendo retardari debet, propterea quod interdum necesse sit auditorem earum rerum praeceptis instrui, quae leviores et humiliores videntur, nec sine molestia ab iis potissimum tractari solent, quorum animus in sublimium rerum contemplatione versatur ac conquiescit. Nam si ipsa aeterni Patris sapientia in terras descendit, ut in carnis nostrae humilitate caelestis vitae praecepta nobis traderet; quem non compellat charitas Christi, <sup>4</sup> ut parvulus fiat in medio fratrum suorum, et tamquam nutrix fovens filios suos, ita cupide proximorum salutem desideret, ut, quod de seipso Apostolus testatur, <sup>5</sup> eis velit non solum evangelium Dei, sed etiam animam tradere?

1) Eph. 4, 13.  
Paulus veri pastoris exemplar.

2) Rom. 1, 14.

3) Thr. 4, 4.  
Non esse hoc exercitium ob rerum levitatem contemnendum.  
Ab exemplo Christi.

4) I. Thess. 2, 7.

5) Ibid. 2, 8.

12. *Quum Deus visibilem sui praesentiam nobis subdu-  
xerit, pastores eius verbum haurient ex scriptura  
et traditionibus.*

Omnis autem doctrinae ratio, quae fidelibus tradenda sit, verbo Dei continetur, quod in scripturam traditionesque distributum est. Itaque in harum rerum meditatione pastores dies noctesque versabuntur, memores illius divi Pauli admonitionis, quam ad Timotheum scriptam, omnes, quicumque animarum curae praepositi sunt, ad se pertinere existimabunt. Est autem haec admonitio in hunc modum: <sup>6</sup> *Attende lectioni, exhortationi, et doctrinae: est enim* <sup>7</sup> *omnis scriptura divinitus inspirata utilis ad docen-*

Doctrina fidei catholicae scriptura et traditionibus continetur.

6) I. Tim. 4, 13.  
7) 2. Tim. 3, 16, 17.

De verbo Dei scripto et non scripto exstat peculiare decretum sess. 4. conc. trident.

Traditionem ecclesiae varietas. Traditiones in quatuor capita distributae.

Primum.

Secundum.

Tertium.

1) I. Tim. 1, 5.

Quartum.

Traditionem quatuor capita sunt veluti communes scripturae loci, ad quorum aliquod omnis labor docentis respicere debet. Vide iudicem novam, quem huic operi adiunximus.

2) Luc. 21, 25. Pastores ecclesiarum debere suas conciones

*dum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Sed quoniam, quae divinitus tradita fuerunt, multa sunt et varia, ut nec ita facile aut animo comprehendi, aut etiam mente comprehensa, memoria teneri possint, ut, quum se obtulerit docendi occasio, eorum parata sit et prompta explicatio; sapientissime maiores nostri totam hanc vim et rationem salutaris doctrinae, in quatuor haec capita redactam, distribuerunt: apostolorum symbolum, sacramenta, decalogum, dominicam orationem.

Nam omnia, quae christianae fidei disciplina tenenda sunt, sive ad Dei cognitionem, sive ad mundi creationem et gubernationem, sive ad humani generis redemptionem spectent, sive ad bonorum praemia et malorum poenas pertineant, symboli doctrina continentur. Quae autem signa sunt, et tamquam instrumenta ad divinam gratiam consequendam, haec septem sacramentorum doctrina complectitur. Iam vero quae ad leges referuntur, quorum finis est charitas, decalogo descripta sunt. Quidquid denique ab hominibus optari, sperari, ac salutariter peti possit, id dominica precatione comprehenditur. Quare sequitur, ut, explanatis quatuor his quasi communibus sacrae scripturae locis, nihil fere ad eorum intelligentiam, quae christiano homini discenda sunt, desiderari possit.

13. *Qua methodo parochi explicationem evangelii cum catechismi explicatione coniungent.*

Itaque visum est monere parochos, ut quoties usuvenerit ut aliquem interpretentur evangelii vel quemvis alium divinae scripturae locum, intelligant, eius loci, quicumque is fuerit, sententiam cadere sub unum aliquod quatuor illorum capitum quae diximus, quo, tamquam ad eius doctrinae fontem, quod explicandum sit, confugient. Exempli causa, si explanandum sit illud evangelium primae dominicae Adventus: *Erunt signa in sole, et luna, etc.* quae ad eam rationem pertinent, tradita sunt illo symboli articulo: *Venturus est iudicare vivos et mortuos:*

quibus inde assumptis, pastor una eademque opera fidelem populum et symbolum et evangelium docebit. Quare in omni docendi et interpretandi munere, hanc consuetudinem tenebit dirigendi omnia ad prima illa quatuor genera, ad quae referri universam divinae scripturae vim atque doctrinam diximus. Docendi autem ordinem eum adhibebit, qui et personis et tempori accommodatus videbitur: nos patrum auctoritatem sequuti, qui initiandis Christo Domino, et in eius disciplina instituendis hominibus, a fidei doctrina initium fecerunt, operae pretium duximus, quae ad fidem pertinent, prius explicare.

iuxta huius catechismi doctrinam instituere statuitur cap. 7. decreti de reformatione sess. 14. concil. tridentini. Quae ad fidem pertinent prius explicanda.





# CATECHISMI ROMANI

## PARS PRIMA

### DE FIDE ET SYMBOLO FIDEI.

#### CAPUT I.

##### 1. *Quid sit fides hoc loco, et quae eius ad salutem necessitas.*

Sed quoniam in divinis litteris multiplex est fidei significatio, nos hic de ea loquimur, cuius vi omnino assentimur iis, quae tradita sunt divinitus. Hanc autem ad salutem consequendam esse necessariam, nemo iure dubitabit, praesertim quum scriptum sit: <sup>1</sup> *Sine fide autem impossibile est placere Deo.* Quum enim finis, qui ad beatitudinem homini propositus est, altior sit quam ut humanae mentis acie perspici possit, necesse ei erat ipsius a Deo cognitionem accipere. Haec vero cognitio nihil aliud est, nisi fides, cuius virtus efficit ut id ratum habeamus, quod a Deo traditum esse, sanctissimae matris ecclesiae auctoritas comprobarit. Nulla enim fidelibus potest accidere dubitatio in iis, quorum Deus auctor est, <sup>2</sup> qui est ipsa veritas. Ex quo intelligimus, quantum inter hanc fidem, quam Deo habemus, intersit, et illam, quam humanae historiae scriptoribus adhibemus. Fides autem, quamquam late pateat, et magnitudine ac dignitate differat (est enim sic in sacris litteris: <sup>3</sup> *Modicae fidei, quare dubitasti?* et: <sup>4</sup> *Magna est fides tua;* et: <sup>5</sup> *Adauge nobis fidem;* item: <sup>6</sup> *Fides sine operibus mortua est;* et: <sup>7</sup> *Fides quae per charitatem operatur*); tamen est idem genere, et diversis fidei gradibus eadem definitionis vis et ratio convenit. Quam vero fructuosa sit, et quantam ex ea utilitatem capiamus, in articulorum explicatione dicetur.

A fidei doctrina incipiendum. De fide, et symbolo fidei pars prima.

1) Hebr. 11, 6. Quam sit fides ad iustificationem et salutem consequendam necessaria, repetatur ex sess. 5. conc. trid. decr. de iustificatione, praesertim c. 6, 7, et 8.

2) Ioan. 14, 6. Fides catholica, etsi una sit, tamen ex personarum qualitate diversos habet gradus.

3) Matth. 14, 31.

4) Matth. 15, 28.

5) Luc. 17, 5.

6) Iacob. 2, 20.

7) Gal. 5, 6.

2. *Quando et qua de causa haec duodecim fidei capita ab apostolis sint tradita.*

Quae igitur primum christiani homines tenere debent, illa sunt, quae fidei duces doctoresque sancti apostoli, divino spiritu afflati, duodecim symboli articulis distinxerunt. Nam, quum

1) Matth. 28, 19.

2) Marc. 16, 15.

3) I. Cor. 1, 10.

\*Quamvis vulgata editio habeat «scientia,» graecae tamen, et syriacae et manuscriptorum exemplaria habent «sententia.»

4) Gal. 2, 4.

mandatum a Domino accepissent, <sup>1</sup> ut, pro ipso legatione fungentes, in universum mundum proficiscerentur, <sup>2</sup> atque omni creaturae evangelium praedicarent; christianae fidei formulam componendam censuerunt, ut scilicet <sup>3</sup> id ipsum omnes sentirent ac dicerent; neque ulla essent inter eos schismata, quos ad fidei unitatem vocassent, sed essent perfecti in eodem sensu et in eadem \*sententia.

### 3. *Symbolum unde sit dictum.*

Hanc autem christianae fidei et spei professionem a se compositam, apostoli symbolum appellarunt, sive quia ex variis sententiis, quas singuli in commune contulerunt, conflata est, sive quia ea veluti nota et tessera quadam uterentur, qua desertores et <sup>4</sup> subintroductos falsos fratres, qui evangelium adulterabant, ab iis, qui vere Christi militiae sacramento se obligarent, facile possent internoscere.

4. *Quae symboli huius sit necessitas, et quot in partes dividatur.*

Christiano praecipue credendum est, quod Deus sit trinus, et unus.

Symboli apostolorum tres partes tribus personis divinis sunt accommodatae.

Prima.

*Credo in Deum.* Quum multa in christiana religione fidelibus proponantur, quorum singillatim vel universe certam et firmam fidem habere oportet; tum vero illud primo ac necessario omnibus credendum est, quod veluti veritatis fundamentum, ac summam de divinae essentiae unitate, et trium personarum distinctione, earumque actionibus, quae praecipua quadam ratione illis attribuuntur, Deus ipse nos docuit. Huius mysterii doctrinam breviter in symbolo apostolorum comprehensam esse parochus docebit. Nam, ut maiores nostri, qui in hoc argumento pie et accurate versati sunt, observarunt, in tres potissimum partes ita distributum videtur, ut in una, divinae naturae prima persona, et mirum creationis opus describatur; in altera,



secunda persona, et humanae redemptionis mysterium; in tertia, tertia item persona, caput et fons sanctitatis nostrae, variis et aptissimis sententiis concludatur. Eas autem sententias, similitudine quadam a patribus nostris frequenter usurpata, articulos appellamus; ut enim corporis membra articulis distinguuntur, ita etiam in hac fidei confessione, quicquid distincte et separatim ab alio nobis credendum est, recte et apposite articulum dicimus.

Secunda.

Tertia.

Singulae symboli sententiae, quae sunt veluti fidei apostolicae decreta, cur articuli vocati. Quid articulus.

## DE PRIMO ARTICULO

### CAPUT II.

CREDO IN DEUM PATREM OMNIPOTENTEM,  
CREATOREM CAELI ET TERRAE.

#### 1. *Explicatur breviter primus articulus.*

His verbis ea sententia subiecta est: certo credo, ac sine ulla dubitatione profiteor Deum Patrem, primam scilicet trinitatis personam, qui sua omnipotenti virtute caelum ipsum et terram, et omnia quae caeli et terrae ambitu continentur, ex nihilo condidit, et condita tuetur ac regit; neque solum eum corde credo, et ore confiteor, verum summo studio ac pietate ad illum, veluti summum et perfectissimum bonum, contendo. Haec igitur sit brevis quaedam primi huius articuli comprehensio. Sed quoniam magna mysteria in singulis fere verbis latent, ea nunc diligentius parochi perpendenda sunt; ut, quantum Dominus permiserit, ad eius maiestatis gloriam contemplandam cum timore et tremore fidelis populus accedat.

Primi articuli brevis expositio, quae postea minutatim examinatur.

1) Gen 1, 2, et seq. Esther 13, 10. Psal. 32, 6, Act. 14, 14, et 17, 24.

Singula symboli verba diligenter exponenda.

#### 2. *Credendi verbum quid significet.*

Igitur credendi vox hoc loco putare, existimare, opinari non significat; sed, ut docent sacrae litterae, certissimae assensionis vim habet, qua mens Deo, sua mysteria aperienti, firme constanterque assentitur. Quamobrem is credit (quod ad huius loci explicationem attinet), cui aliquid sine ulla haesitatione certum et persua-

Verbi huius credo, in materia fidei evangelicae acceptio et professio. Conferantur haec cum sect. I. superioris capituli. Fidei notitia.

am, propter  
infallibilem,  
quae a Deo  
mentibus in-  
funditur, veri-  
tatem, esse  
certam.

1) 2 Cor. 4, 6.

2) Ibid. 3.

Curiosus veri-  
tatis indagator  
est modicae fi-  
dei.

3) Rom. 3, 4.  
4) Psal. 115,  
11.

A minori ad  
maius. Fides  
non fert am-  
biguitatem,  
nec demon-  
strationem re-  
quirit.

Fidei actus in-  
terior, et exte-  
rior.

Actus fidei in-  
terior voce de-  
clarandus.

5) Psal. 115,  
10.

6) Act. 4, 20.

7) Rom. 1, 16.

sum est. Neque vero existimare quisquam debet, fidei notitiam minus certam esse, quod ea non cernantur, quae nobis credenda fides proponit; etenim divinum lumen, quo ea percipimus, tametsi rebus perspicuitatem non afferat, nos tamen de his dubitare non sinit. Deus enim, <sup>1</sup> qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, <sup>2</sup> ut non sit nobis opertum evangelium, sicut iis qui pereunt.

3. *Quae in symbolo proponuntur, non curiose scrutanda, sed simpliciter asserenda sunt.*

Iam vero ex iis, quae dicta sunt, consequitur, eum, qui caelesti hac fidei cognitione praeditus est, inquirendi curiositate liberum esse. Deus enim quum iussit nos credere, non divina iudicia scrutanda, eorumque rationem et causam perquirendam nobis proposuit; sed immutabilem fidem praecepit, quae efficit, ut animus in aeternae veritatis notitia conquiescat. Ac profecto quum Apostolus testetur: <sup>3</sup> *Deus verax est*, <sup>4</sup> *omnis homo mendax*, si arrogantis et impudentis hominis est, gravi ac sapienti viro aliquid affirmanti fidem non habere, sed praeterea urgere, ut quod dixerit, rationibus aut testibus probetur; cuius temeritatis atque adeo stultitiae fuerit, Dei voces audientem, caelestis ac salutaris doctrinae rationes requirere? Fides itaque, seclusa omni non solum ambiguitate, sed etiam demonstrandi studio, tenenda est.

4. *Non sufficit ad salutem credere, sed etiam fidem profiteri necessarium est.*

Verum illud praeterea doceat parochus, eum qui dicit *credo*, praeterquam quod intimum mentis suae assensum declarat, qui interior fidei actus est, debere id, quod animo inclusum habet, aperta fidei professione praesferre, summaque alacritate palam fateri ac praedicare. Oportet enim fideles eum spiritum habere, quo fretus sum; propheta dixit: <sup>5</sup> *Credidi, propter quod loquutus sum*; imitari apostolos, qui ad principes populi responderunt: <sup>6</sup> *Non enim possumus, quae vidimus, et audivimus, non loqui*; divi Pauli praecleara illa voce excitari: <sup>7</sup> *Non enim erubescio*

*evangelium; virtus enim Dei est in salutem omni credenti; item quo maxime huius sententiae veritas confirmatur: <sup>1</sup> Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

5. *Fidei christianae excellentia.*

*In Deum.* Hinc iam christianae sapientiae dignitatem et praestantiam, ex eaque, quantum divinae bonitati debeamus, cognoscere licet, quibus datum est, statim ad rei praestantissimae maximeque expetendae cognitionem quasi fidei gradibus ascendere.

6. *Quantum differat christiana de Deo sapientia a philosophica rerum divinarum notitia.*

In hoc enim multum inter se differunt christiana philosophia et huius saeculi sapientia: quod haec quidem naturalis tantum luminis ductu ab effectibus et ab iis, quae sensibus percipiuntur, paulatim progressa, non nisi post longos labores vix tandem <sup>2</sup> invisibilia Dei contemplatur, primamque omnium rerum causam et auctorem agnoscit atque intelligit; contra vero illa humanae mentis aciem ita exacuit, ut in caelum nullo labore penetrare possit, atque divino splendore collustrata, primum quidem aeternum ipsum luminis fontem, deinde, quae infra ipsum posita sunt, intueri, <sup>3</sup> ut nos vocatos esse de tenebris in admirabile lumen, quod est apud apostolorum principem, cum summa animi iucunditate experiamur, <sup>4</sup> et credentes exultemus laetitia inenarrabili. Recte igitur fideles primo se in Deum credere profitentur, cuius maiestatem, ex <sup>5</sup> Ieremiae sententia, incomprehensibilem esse dicimus: <sup>6</sup> *Lucem enim, ut ait Apostolus, inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest; quum enim ad Moysen loqueretur: <sup>7</sup> Non videbit me, inquit, homo et vivet.* Nam ut mens nostra ad Deum, quo nihil est sublimius, perveniat, necesse est, eam omnino a sensibus abstractam esse; cuius rei facultatem in hac vita naturaliter non habemus. Sed quamvis haec ita sint, <sup>8</sup> non reliquit tamen Deus, ut inquit Apostolus, semet-

Christianae sapientiae, quae fide, spe, et charitate perficitur, dignitas.

Profuert haec conferre cum iis, quae de caelesti, et perfectiori Dei cognitione sect. 6, artic. 12, explicantur.

1) Rom. 1, 20.

Obscuram quandam Dei cognitionem philosophia vix praestat. Christiana sapientia ad certam Dei notitiam adducit.

Fidei summa symbolo comprehensa.

2) 1. Pet. 2, 9.

3) 1. Pet. 1, 8.

4) 1. Pet. 1, 8.

5) Ier. 32, 19.

6) 1. Tim. 6,

16.

7) Exod. 33

20.

8) Act. 14, 16.

Deus suam

excellendam,

et bonitatem  
ethaicis, quo  
se magis a ter-  
renis sensibus  
abducerent,  
per ea, quae  
facta sunt, os-  
tentavit.  
Certius et cla-  
rius se Deus  
hominibus co-  
gnoscendum  
praebuit suo  
verbo.

ipsum sine testimonio, benefaciens de caelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitiam corda hominum. Quae causa fuit philosophis, nihil abiectum de Deo sentiendi, et quidquid corporeum, quidquid concretum et admistum est, ab eo longissime removendi; cui etiam bonorum omnium perfectam vim et copiam tribuerunt, ut ab eo, tamquam a perpetuo quodam et inexhausto fonte bonitatis ac benignitatis, omnia ad omnes creatas res atque naturas perfecta bona dimanent; quem sapientem, veritatis auctorem et amantem iustum, beneficentissimum, et aliis nominibus appellaverunt, quibus summa et absoluta perfectio continetur; cuius immensam et infinitam virtutem, omnem complementem locum, et per omnia pertinentem, esse dixerunt. Hoc ex divinis litteris longe melius constat et illustrius, ut illo loco: <sup>1</sup> *Spiritus est Deus*; item: <sup>2</sup> *Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester caelestis perfectus est*; tum: <sup>3</sup> *Omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius*; et illud: <sup>4</sup> *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei*; deinde: <sup>5</sup> *Est autem Deus verax*; et: <sup>6</sup> *Ego sum via, et veritas, et vita*; praeterea: <sup>7</sup> *Iustitia, plena est dextera tua*; denique: <sup>8</sup> *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione*; postremo: <sup>9</sup> *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? et: Si ascendero in caelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris, etc. et: <sup>10</sup> Numquid non caelum et terram ego impleo, dicit Dominus?* Magna et praeclara haec sunt, quae de Dei natura sacrorum librorum auctoritati consentanea, et consequentia ex rerum effectarum investigatione philosophi cognoverunt; quamquam in eo etiam caelestis doctrinae necessitatem cognoscimus, si animadvertamus, fidem non solum hoc praestare, quemadmodum supra dictum est, ut, quae viri tantum sapientes longo studio consequuti sunt, ea rudibus quoque et imperitis hominibus statim pateant atque in promptu sint; verum ut rerum notitia, quae fidei disciplina comparatur, multo

1) Ioan. 4, 24.

2) Matth. 5, 48.

3) Hebr. 4, 13.

4) Rom. 11, 33.

5) Rom. 3, 4.

6) Ioan. 14, 6.

7) Psal. 47, 11.

8) Ps. 144, 16.

9) Ps. 138, 7.

Ad philosophicam de Deo notitiam cur necessaria fuerit fidei doctrina.

10) Ier. 23, 24.

certior, atque ab omni errore purior in mentibus nostris insideat, quam si eas ipsas res, humanae scientiae rationibus comprehensas, animus intelligeret. Sed quanto praestantior divini numinis cognitio censenda est, ad quam non communiter omnibus naturae contemplatio, sed proprie credentibus fidei lumen aditum patefecit? Haec autem symboli articulis continetur, qui nobis divinae essentiae unitatem et trium personarum distinctionem, tum vero ipsum Deum esse ultimum hominis finem aperiunt, a quo caelestis aeternaeque beatitudinis possessio expectanda sit; siquidem a divo Paulo didicimus, <sup>1) Heb. 11, 6.</sup> Deum inquiringibus se remuneratorem esse. Haec quanta sint, et an eius generis sint bona, ad quae humana cognitio adspirare potuerit, multo ante eundem <sup>2) 1. Cor. 2,9.</sup> Apostolum Isaias propheta <sup>3) Isa. 64, 4.</sup> his verbis ostendit: *3) A saeculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti expectantibus te.*

7. *Unum Deum esse, non plures deos, confitendum est.*

Sed ex iis, quae diximus, unum etiam Deum esse, non plures deos, confitendum est. Nam quum Deo summam bonitatem et perfectionem tribuamus, fieri non potest, ut id, quod summum atque absolutissimum est, inveniatur in pluribus. Quod si cui aliquid ad summum deest, eo ipso imperfectus est; quare nec Dei natura illi convenit. Hoc autem multis sacrarum litterarum locis comprobatur; scriptum est enim: <sup>4) Deut. 6, 4.</sup> *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est.* Praeterea est Domini iussum: <sup>5) Exod. 20,3.</sup> *Non habebis Deos alienos coram me.* Deinde per Prophetam saepe admonet: <sup>6) Isa. 44,6. et 48, 12. Apoc. 1,17, et 22,13.</sup> *Ego primus, et ego novissimus; et absque me non est Deus.* Apostolus etiam palam testatur: <sup>7) Ephes. 4,5.</sup> *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

8. *Creatis naturis Dei nomen interdum tribuitur, sed improprie.*

Neque vero nos moveat, quod interdum sacrae litterae Dei nomen creatis etiam naturis <sup>8) Exod. 7, 1, et 22, 48. Ps. 81, 6.</sup> imponunt. Nam quod <sup>8) prophetas et iudices Deos</sup>

Prophetæ et indices inter-  
dum dii vocati  
propter excel-  
lentem quan-  
dam virtutem,  
quæ in illis  
incebat.  
1) Symbol. nic.  
apud Ruf. lib.  
1, cap. 7.

2) Athan. in  
sym.

Deus primaria  
et generali ra-  
tione dicitur  
hominum pa-  
ter, quia ens  
et res ceteras  
produxit, et  
singulari pro-  
videntia gu-  
bernat.

Hac de re pla-  
ra initio c. 9.  
de oratione do-  
minica.

3) Dent. 32, 6.

4) Malac. 2, 10.

Deus secundo  
peculiaris di-  
citur pater fi-  
delium pro-  
pter adoptionem.

5) Rom. 8, 15.

Quæ obiter  
hic attingun-  
tur, latius sec-  
ct. 7. de pre-  
catione domi-

appellarunt, non gentium more factum est, quæ sibi plures Deos stulte et impie finxerunt; sed quadam loquendi consuetudine significare voluerunt excellentem aliquam virtutem vel functionem, quæ Dei munere illis concessa sit. Deum igitur natura, substantia, essentia unum, quemadmodum ad confirmandam veritatem in <sup>1</sup> symbolo nicaeni concilii dictum est, Christiana fides credit et profitetur; sed altius etiam ascendens ita unum intelligit, <sup>2</sup> ut unitatem in trinitate, et trinitatem in unitate veneretur, de quo nobis mysterio nunc dicere incipiendum est. Sequitur enim in symbolo.

9. *Deus generali ratione omnium hominum, peculiari autem christianorum Pater dicitur.*

*Patrem.* Sed quoniam *patris* vox non una ratione Deo tribuitur, illud prius declarandum erit, quæ sit magis propria huius loci significatio. Deum nonnulli etiam, quorum tenebris fides lucem non attulit, aeternam substantiam esse intellexerunt, a qua res ortæ essent, et cuius providentia omnia gubernarentur, suumque ordinem et statum conservarent. Ex humanis igitur rebus ducta similitudine, quemadmodum eum, a quo familia propagata est, cuiusque consilio et imperio regitur, *patrem* vocabant; ita hac ratione factum est, ut Deum, quem omnium rerum opificem et rectorem agnoscebant, *patrem* appellari voluerint. Eodem nomine sacrae etiam litteræ usæ sunt, quum de Deo loquentes universorum creationem, potestatem, admirabilemque providentiam ei tribuendam indicarent. Legimus enim: <sup>3</sup> *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te?* Et alibi: <sup>4</sup> *Numquid non pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit nos?* At vero multo frequentius et peculiari quodam nomine, præsertim in novi testamenti libris, Deus *pater christianorum* dicitur, qui <sup>5</sup> non acceperunt spiritum servitutis in timore, sed acceperunt spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamant: *Abba, Pater*; eam enim charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et si-

mus; <sup>1</sup> quod si filii, et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, qui est primogenitus in multis fratribus, <sup>2</sup> nec confunditur vocare nos fratres. Sive igitur communem creationis et providentiae, sive praecipuam spiritalis adoptionis causam spectes, merito fideles Deum *patrem* se credere profitentur.

10. *Ex hac voce patris quae colligenda mysteria, et de distinctione personarum in divinis.*

Verum praeter eas notiones, quas explicavimus, *patris* nomine audito, ad altiora mysteria mentem erigendam esse parochus docebit. Quod enim <sup>3</sup> in luce illa inaccessibili, quam inhabitat Deus, magis reconditum et abstrusum est, quodque humana ratio et intelligentia non consequi, aut ne suspicari quidem poterat, id *patris* vocabulo divina oracula nobis aperire incipiunt. Indicat autem hoc nomen, in una divinitatis essentia non unam tantum personam, sed personarum distinctionem credendam esse. Tres enim sunt in una divinitate personae: Patris, qui a nullo genitus est; Filii, qui ante omnia saecula a Patre genitus est; Spiritus sancti, qui itidem ab aeterno ex Patre et Filio procedit. Atqui Pater est in una divinitatis substantia prima persona, qui cum unigenito Filio suo et Spiritu sancto unus est Deus, unus est Dominus: non in unius singularitate personae, sed in unius trinitate substantiae. Iam vero hae tres personae, quum in iis quidquam dissimile aut dispar cogitare nefas sit, suis tantummodo proprietatibus distinctae intelliguntur. Pater siquidem ingenitus est; Filius a Patre genitus; Spiritus sanctus ab utroque procedit. Atque ita trium personarum eandem essentiam, eandem substantiam confitemur, ut in confessione verae sempiternaeque deitatis, et in personis proprietatem, et in essentia unitatem, et in trinitate aequalitatem pie et sancte colendam credamus. Nam quod Patris primam esse personam dicimus, hoc non ita accipiendum est, perinde ac si aliquid in trinitate prius aut posterius, maius aut minus cogitemus; absit enim haec a fidelium mentibus impietas,

nica explicabuntur.

1) Rom. 8, 17.

2) Heb. 2, 11.

Pia meditatio circa nomen *pater* in divinis, et de personarum proprietatibus, 3) I. Tim. 6, 16.

Tertio patris nomen unius essentiae plures esse personas arguit. Dam. lib. I. de orthod. fide c. 9.

Praefatio missae de sancta trinitate non ex dissimilitudine essentiae, sed externa distinctione proprietatum, quae in personis divinis inveniuntur, existinanda est.

In trinitate nihil maius aut minus, symb. Athan.

Dam. lib. I. c. 11, lit. K. Primae trinitatis personae cur Patris nomen tribuatur.

quum eandem aeternitatem, eandem gloriae maiestatem in tribus personis christiana religio praedicet. Sed Patrem propterea, quod ipse sit principium sine principio, primam esse personam, vere et sine ulla dubitatione affirmamus; quae quidem uti Patris proprietate distincta est, ita in unam illam praecipue hoc convenit, quod Filium ab aeterno genuerit; semper enim Deum simul et Patrem fuisse nobis significatur, quum Del et Patris nomina coniuncta in hac confessione pronunciamus. Verum quoniam in nullius rei, quam huius omnium altissimae ac difficillimae notitia atque explicatione, aut periculosius versari, aut gravius errare possumus, doceat parochus, religiose retinenda esse essentiae et personae propria vocabula, quibus hoc mysterium significatur; et sciant fideles, unitatem esse in essentia, distinctionem autem in personis. Sed haec subtilius exquirere nihil oportet, quum meminimus illius vocis: <sup>1</sup> *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria*; satis enim videri debet, quod fide certum et exploratum habeamus, nos a Deo (cuius oraculis non assentiri extremae stultitiae atque miseriae est) ita edoctos esse:

1) Prov. 25, 27. <sup>2</sup> *Docete, inquit, omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti;*

2) Matth. 28, 19. <sup>3</sup> *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt. Oret tamen assidue ac precetur Deum et Patrem, qui universa ex nihilo condidit, <sup>4</sup> disponitque omnia suaviter, qui <sup>5</sup> dedit nobis potestatem filios Dei fieri, qui trinitatis mysterium humanae menti patefecit; oret, inquam, sine intermissione, qui divino beneficio haec credit, ut, aliquando in aeterna tabernacula receptus, dignus sit, qui videat, quae tanta sit Dei Patris fecunditas, ut se ipsum intuens atque intelligens, parem et aequalem sibi Filium gignat, quove modo duorum idem plane et par charitatis amor, qui Spiritus sanctus est, a Patre et Filio procedens genitorem et genitum aeterno atque indissolubili vinculo inter se connectat; atque ita divinae trinitatis*

Patris proprietates Filium ab aeterno genuisse, divinitatis unitas in essentia, trinitas in personis admittenda.

1) Prov. 25, 27.

2) Matth. 28, 19.

3) I. Ioan. 5, 7.

4) Sap. 8, 1.

5) Ioan. 1, 12.



una sit essentia, et trium personarum perfecta distinctio.

11. *Nomine omnipotentis quid hic intelligamus.*

*Omnipotentem.* Solent sacrae litterae multis nominibus Dei summam vim et immensam maiestatem explicare, ut ostendant, quanta religione et pietate illius sanctissimum nomen colendum sit; sed in primis doceat parochus, illi omnipotentem vim frequentissime tribui. Ipse enim de se dicit: <sup>1</sup> *Ego Dominus omnipotens*; et rursus Iacob, quum filios ad Ioseph mitteret, ita illis precatus est: <sup>2</sup> *Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placibilem.* Deinde vero in Apocalypsi scriptum est: <sup>3</sup> *Dominus Deus omnipotens, qui est, et qui erat, et qui venturus est*; et alibi <sup>4</sup> *Deus magnus omnipotentis Dei* appellatur. Nonnumquam etiam pluribus verbis illud idem significari solet. Atque huc pertinet, quod dicitur: <sup>5</sup> *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*; et: <sup>6</sup> *Numquid manus Domini invalida est?* item: <sup>7</sup> *Subest enim tibi, cum volueris posse*, et alia generis eiusdem. Ex quibus variis dicendi formis id percipitur, quod uno omnipotentis verbo comprehendi perspicuum est. Intellegimus autem hoc nomine, nihil esse, nihil animo et cogitatione fingi posse, quod Deus efficere nequeat. Etenim non solum haec, quae, tametsi maxima sunt, aliquo tamen modo in cogitationem nostram cadunt, efficiendi potestatem habet, nimirum ut omnia ad nihilum recidant, atque ut plures mundi ex nihilo repente existant; verum etiam multo maiora in illius potestate sita sunt, quae humanae menti et intelligentiae suspicari non licet.

12. *Quum Deus sit omnipotens, peccare tamen vel falli non potest.*

Neque vero, quum omnia Deus possit, mentiri tamen, aut fallere, aut falli, aut peccare, aut interire, aut ignorare aliquid potest. Haec enim in eam naturam cadunt, cuius imperfecta actio est; Deus vero, cuius perfectissima semper est actio, ideo haec non posse dicitur, quia posse ea infirmitatis est, non summae et infinitae

Dei maiestas multis nominibus in scripturis exponitur.

Omnipotentia Deo frequentius tribuitur.

<sup>1</sup>) Gen. 17, 1.

<sup>2</sup>) Gen. 43, 14.

<sup>3</sup>) Apoc. 4, 8.

<sup>4</sup>) Apoc. 16, 14.

<sup>5</sup>) Luc. 1, 37.

<sup>6</sup>) Num. XI, 23.

<sup>7</sup>) Sap. 12, 18.

Omnipotens ideo Deus censetur, quia omnia potest, quae summae eius perfectioni non repugnant.

Dam. lib. I, c. 19 in fin.

Mentiri, fallere, ignorare, vel peccare, sunt actiones imbecillitatis, non potentiae.



omnium rerum potestatis, quam ille habet. Ita igitur Deum omnipotentem esse credimus, ut ab eo tamen longe omnia abesse cogitemus, quae perfectae eius essentiae maxime coniuncta et conniventia non sunt.

13. *Cur aliis nominibus, quae de Deo dicuntur, praetermissis, solius omnipotentiae in symbolo fiat mentio, quaeque sint eius fidei utilitates.*

Omnipotentiae vox quam multa suo ambitu concludat. Dam. in dial. contra Manichaeum fol. 48. lit. K.

Omnipotentiae persuasio fidem et spem maxime confirmat.

Fides omnipotentiae quando sit maxime necessaria.

1) Matth. 17, 19.

Recte autem sapienterque factum parochus ostendat, ut, praetermissis aliis nominibus, quae de Deo dicuntur, hoc unum nobis credendum in symbolo proponeretur. Nam quum Deum omnipotentem agnoscimus, simul etiam fateamur necesse est, eum omnium rerum scientiam habere, omnia item eius ditioni et imperio subiecta esse: cum vero omnia ab eo fieri posse non dubitemus, consequens omnino est, ut cetera etiam explorata de illo habeamus; quae si desint, quo modo omnipotens sit, prorsus intelligere non possumus. Praeterea nulla res tam ad finem et spem nostram confirmandam valet, quam si fixum in animis nostris teneamus, nihil non fieri a Deo posse; quidquid enim deinceps credere oporteat, quamvis magnum et admirabile sit, rerumque ordinem ac modum superet, illi tamen facile humana ratio, postquam Dei omnipotentis notitiam perceperit, sine ulla haesitatione assentitur: quin potius, quo maiora sint quae divina oracula doceant, eo libentius fidem eis habendam esse existimat. Quod si boni etiam aliquid expectandum sit, numquam animus rei magnitudine, quam exoptat, frangitur; sed erigit sese atque confirmat, saepe illud cogitans, nihil esse, quod ab omnipotenti Deo effici non possit. Quare hac fide praecipue munitos nos esse oportet, vel quum admiranda aliqua opera ad proximorum usum et utilitatem edere cogimur, vel quum a Deo precibus impetrare aliquid volumus. Alterum enim ipse Dominus docuit, quum apostolis incredulitatem obiiciens diceret: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, et transibit; et nihil impossibile erit vobis.* De altero autem sanctus Iacobus ita te-

status est: <sup>1</sup> *Postulet in fide nihil haesitans; qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur: non ergo aestimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino.* Multa praeterea haec fides commoda atque utilitates nobis praebet; in primis vero ad omnem animi modestiam et humilitatem nos instituit; sic enim inquit princeps apostolorum: <sup>2</sup> *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei.* Monet etiam non esse trepidandum, ubi non sit timor; sed unum Deum timendum esse, in cuius potestate nos ipsi nostraque omnia posita sunt; ait enim Salvator noster: <sup>3</sup> *Ostendam vobis, quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Utimur deinde hac fide ad immensa erga nos Dei beneficia cognoscenda et celebranda; nam, qui Deum omnipotentem cogitat, tam ingrato animo esse non potest, quin saepius exclamet: <sup>4</sup> *Fecit mihi magna, qui potens est.*

1) Iacobi 1, 6.  
Omnipotentiae fides humilitatem et confidentiam bonam praestat.

2) 1, Pet. 5, 6.

3) Luc. 12, 5.

Omnipotentiae opinio ad laudandum Deum fideles excitat.

4) Luc. 1, 49.

14. *Omnipotentiae vox non ita Patri hic tribuitur, ut de Filio vel Spiritu sancto etiam non dicatur.*

Sed quod Patrem omnipotentem in hoc articulo vocamus, neminem eo errore duci oportet, ut arbitretur ita illi hoc nomen tributum esse, ut Filio etiam et Spiritui sancto commune non sit. Nam, quemadmodum <sup>5</sup> Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, neque tamen tres Deos, sed unum Deum esse dicimus; ita aequae Patrem, ac Filium, et Spiritum sanctum omnipotentem, neque tamen tres omnipotentes, sed unum omnipotentem esse confitemur. At vero praecipua quadam ratione Patrem, quia omnis originis fons est, hoc nomine vocamus, uti etiam Filio, qui aeternum Patris verbum est, sapientiam, et Spiritui sancto, qui utriusque amor est, bonitatem tribuimus; quamvis haec et alia huiusmodi nomina communiter de tribus personis, ex catholicae fidei regula, dicantur.

5) Athan. in syn. Dam. lib. 1. de fid. orth. c. 10, et 11. Idem lib. 1. c. 13, in fin.

15. *Quo pacto, quaque de causa, Deus caelum et terram creaverit.*

*Creatorem caeli et terrae.* Quam necessarium fuerit omnipotentis Dei cognitionem paulo ante

fidelibus tradi, ex iis, quae nunc de universorum creatione explicanda erunt, perspicui potest. Tanti enim operis miraculum facilius creditur, quod nullus de immensa creatoris potestate dubitandi

Deus, ut suam bonitatem aliis communicaret, mundum ex nihilo creavit.

Dam. lib. 2. de orthod. fide c. 2.

1) Ps. 15, 2.

Deus in rerum creatione nulla idea extrinseca usus est, sed ex seipso exemplarsumpsit.

2) Ps. 113, 3.

3) Ps. 148, 5.

Dam. 1.2, c. 5.

4) Ps. 8, 4.

5) Gen. 1, 14.

locus relinquatur. Deus enim non ex materia aliqua mundum fabricatus est, sed ex nihilo creavit, idque nulla vi aut necessitate coactus, sed sua sponte et voluntate instituit. Neque vero ulla alia fuit causa, quae illum ad opus creationis impelleret, nisi ut rebus, quae ab ipso effectae essent, bonitatem suam impertiretur; nam Dei natura, ipsa per se beatissima, nullius rei indigens est, ut inquit David: <sup>1</sup> *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Quemadmodum autem sua bonitate adductus, <sup>2</sup> quaecumque voluit, fecit; ita non exemplum aliquod, aut formam quae extra se posita esset, quum universa conderet, sequutus est; verum, quia rerum omnium exemplar divina intelligentia continetur, id summus artifex in se ipso intuens ac veluti imitatus, summa sapientia et infinita virtute, quae ipsius propria est, rerum universitatem initio procreavit: <sup>3</sup> *Ipse enim dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.*

16. *Quid per caelum et terram hoc loco intelligendum sit.*

Verum caeli et terrae nomine, quidquid caelum et terra complectitur, intelligendum est. Nam praeter caelos, <sup>4</sup> quos opera digitorum eius Propheta appellavit, solis etiam splendorem, lunaeque et ceterorum siderum ornatum addidit; atque, <sup>5</sup> ut essent in signa, et tempora, et dies, et annos, ita caelorum orbis certo et constanti cursu temperavit, ut nihil perpetua eorum conversione mobilius, nihil mobilitate illa certius videri possit.

17. *De creatione caelorum spiritualium, idest angelorum.*

Fulg. lib. de fide ad Pet. Diac. cap. 3.

Praeterea spiritualem naturam innumerabilesque angelos, qui Deo ministrarent atque assisterent, ipse ex nihilo creavit, quos deinde admirabili gratiae suae et potestatis munere auxit atque ornavit. Nam, quum illud sit in divinis

litteris, <sup>1</sup> diabolum in veritate non stetisse, perspicuum est, eum reliquosque desertores angelos, ab ortu sui initio, gratia praeditos fuisse; de quo ita est apud sanctum Augustinum: *Cum bona voluntate, idest, cum amore casto, quo illi adhaerent, angelos creavit, simul in eis et condens naturam, et largiens gratiam. Unde si ne bona voluntate, hoc est, Dei amore, numquam sanctos angelos fuisse credendum est.* Quod autem ad scientiam attinet, exstat illud sacrarum litterarum testimonium: <sup>2</sup> *Tu autem Domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei, ut intelligas omnia super terram.* Potestatem denique eis tribuit divinus David illis verbis: <sup>3</sup> *Potentes virtute, facientes verbum illius;* atque ob eam rem saepe in sacris litteris <sup>4</sup> virtutes et exercitus Domini appellantur. Sed, quamvis omnes ii caelestibus donis ornati fuerint, plurimi tamen, qui a Deo parente et creatore suo defecerunt, ex altissimis illis sedibus deturbati, atque in obscurissimis terrae carcerem inclusi, aeternas superbiae suae poenas luunt; de quibus princeps apostolorum scribit in hunc modum: <sup>5</sup> *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reservari.*

#### 18. De terrae creatione.

At vero <sup>6</sup> terram etiam super stabilitatem suam fundatam Deus verbo suo iussit in media mundi parte consistere, effecitque <sup>7</sup> ut ascenderent montes, et descenderent campi in locum, quem fundavit eis; ac, ne aquarum vis illam inundaret, terminum posuit, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram. Deinde non solum arboribus, omnique herbarum et florum varietate investivit atque ornavit, sed innumerabilibus etiam animantium generibus, quemadmodum antea aquas et aera, ita etiam terras complevit.

#### 19. De creatione hominis.

Postremo Deus ex limo terrae <sup>8</sup> hominem sic corpore affectum et constitutum effinxit, ut non quidem naturae ipsius vi, sed divino beneficio

1) Ioan. 8, 44.  
Angeli omnes in gratia creati. Aug. lib. 12. de civ. Dei c. 9. Sapientes angeli.

Alex. de Ales 2. p. q. 19. memb. 2. Th. 1. part. q. 62. art. 3.

2) 2 Reg. 14, 20.

3) Ps. 102, 20. Angeli cur virtutes, vel exercitus Domini dicantur.

4) Ps. 102, 21.

Angeli apostatae in aeternas poenas coniecti.

5) 2. Petr. 2, 4. epist. Iudae v. 6.

6) Ps. 103, 5. Terra orbis centrum.

7) Ibid. 8.

Prov. 8, 29. Terrae ornatus et plantis et animantibus.

8) Gen. 2, 7. Homo immortalis et impassibilis creatus,

etiam secundum corpus. Concil. Milev. can. 1. et de consecr. dist. 4. can. 152. Hominis animi liberi arbitrii particeps creata, et in illa ratio dumina sensitivi appetitus instituta.

Anima cum originali iustitia creata. An amissa post Adae peccatum iustitia, etiam liberam hominis arbitrium sit extinctum, declaratur sess. 6. conc. trid. can. 4, 5, et 6. Caeli et terrae nomine omnia visibilia et invisibilia denotantur. Symbolum nicenum.

1) Psal. 88, 12.

Res conditae Dei virtute et providentia subsistunt et gubernantur.

2) Sap. 11, 26.

Deus ita res a se conditas

immortalis esset et impassibilis. Quod autem ad animam pertinet, eam ad imaginem et similitudinem suam formavit, liberumque ei arbitrium tribuit; omnes praeterea motus animi atque appetitiones ita in eo temperavit, ut rationis imperio numquam non parerent. Tum originalis iustitiae admirabile donum addidit, ac deinde ceteris animantibus praeesse voluit: quae quidem facile erit parochis ad fidelium institutionem ex sacra genesis historia cognoscere.

20. *Caeli et terrae nomine visibilia omnia et invisibilia comprehenduntur.*

Haec igitur de universorum creatione, caeli et terrae verbis intelligenda sunt; quae omnia breviter quidem Propheta complexus est illis verbis: *Tui sunt caeli, et tua est terra: orbem terrae, et plenitudinem eius tu fundasti; sed multo etiam brevius patres nicaeni concilii, additis in symbolo duobus illis verbis, visibilia et invisibilia, significaverunt.* Quaecumque enim rerum universitate comprehenduntur, atque a Deo creata esse confitemur, ea vel sub sensum cadunt, et visibilia dicuntur; vel mente et intelligentia percipi a nobis possunt, quae invisibilia nomine significantur.

21. *Res Dei virtute conditae, citra ipsius gubernationem et providentiam, subsistere non possunt.*

Nec vero ita Deum creatorem atque effectorem omnium credere oportet, ut existimemus, perfecto absolutoque opere, ea, quae ab ipso effecta sunt, deinceps sine infinita eius virtute constare potuisse. Nam, quemadmodum omnia ut essent, creatoris summa potestate, sapientia et bonitate effectum est; ita etiam, nisi conditis rebus perpetua eius providentia adesset, atque eadem vis, qua ab initio constitutae sunt, illas conservaret, statim ad nihilum reciderent; atque id scriptura declarat, cum inquit: *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses; aut, quod a te vocatum non esset, conservaretur?*

23. *Deus sua gubernatione secundarum causarum vim non evertit.*

Non solum autem Deus universa, quae sunt,

providentia sua tuetur atque administrat; verum etiam, quae moventur et agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut quamvis secundarum causarum efficientiam non impediatur, praeveniat tamen, quum eius occultissima vis ad singula pertineat, et, quemadmodum Sapiens testatur: <sup>1</sup> *Attingat a fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter.* Quare ab Apostolo dictum est, cum apud Athenienses enunciaret Deum, quem ignorantes colebant: <sup>2</sup> *Non longe est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.*

gubernat, ut tantum secundarum causarum virtutem non evertat, sed hanc etiam praeveniat.

<sup>1</sup>) Sap. 9, 1.

<sup>2</sup>) Act. 17, 27, 28.

### 23. Rerum creatio soli Patri tribuenda non est.

Atque haec de primi articuli explicatione satis fuerint, si tamen illud etiam admonuerimus, creationis opus omnibus sanctae et individuae trinitatis personis commune esse. Nam hoc loco, ex apostolorum doctrina, Patrem creatorem caeli et terrae confitemur: in scripturis sacris legimus de Filio: <sup>3</sup> *Omnia per ipsum facta sunt;* et de Spiritu sancto: <sup>4</sup> *Spiritus Domini ferebatur super aquas;* et alibi: <sup>5</sup> *Verbo Domini caeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

Creationis opus toti trinitati commune est.

Ex ipso Patre effective, et per ipsum Filium exemplariter, et in ipso Spiritu sancto finaliter.

<sup>3</sup>) Ioan. 1, 3.

<sup>4</sup>) Gen. 1, 2.

<sup>5</sup>) Psal. 32, 5.

## DE SECUNDO ARTICULO

### CAPUT III.

ET IN IESUM CHRISTUM FILIUM EIUS UNICUM,  
DOMINUM NOSTRUM.

#### 1. De secundo articulo, et de professionis eius utilitate.

Mirificam et uberrimam esse utilitatem, quae ex huius articuli fide et confessione confluit ad humanum genus, et illud sancti Ioannis testimonium ostendit: <sup>6</sup> *Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo;* et beatitudinis praeconium declarat, quod a Christo Domino tributum est principi apostolorum: <sup>7</sup> *Beatus es, Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in caelis est.* Hoc enim funda-

Parochus docebit confessionem aeternae Christi naturae salutis fundamentum.

<sup>6</sup>) I. Ioan. 4, 15.

<sup>7</sup>) Matth. 16,

<sup>17</sup>.  
Nemo potest dicere, Domi-

nus Iesus, nisi in Spiritu sancto.

mentum firmissimum est nostrae salutis ac redemptionis.

2. *Unde magnitudo beneficii hoc articulo propositi potissimum cognoscatur.*

Iustitia originalis deperdita, per solum Dei filium recuperata. Hic ponitur causa occasionalis et accessoria incarnationis filii Dei, ut veniret mortalis et passibilis; sed initium ponitur causa prima, et per se.

1) Gen. 2, 16, 17; trid. syn. sess. 5, 6 can. 1.

Peccatum Adae ad posterum est propagatum.

Concil. trid. sess. 5, can. 2, et 1.

Dnm. lib. 2, c. 11, et 3a.

Genus humanum non potuit ullius creaturae viribus restitui. Conc. trid. sess. 6, can. 1, et 2.

2) Ioan. 1, 29.  
3) Rom. 5, 10.

Redemptionis fides ad salutem semper necessaria, et mox post hominis lapsum divinitus fuit ostensa.

Primum sub lege naturae. Tho. 2, 2, q. 2, art. 7.

4) Gen. 3, 15.

Sed quoniam admirabilis huius utilitatis fructus maxime ex felicissimi illius status ruina intelligitur, in quo Deus primos homines collocarat, incumbat in hanc curam parochus, ut fideles communium miseriarum et aerumnarum causam cognoscant. Quum enim a Dei obedientia descivisset Adam, interdictumque violasset illud: *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*; in summam illam incidit calamitatem, ut sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amitteret, et reliqua subiret mala, quae sancta tridentina synodus uberius explicavit. Propterea vero peccatum, et peccati poenam in uno Adam non constituisse commemorabit, sed ex eo, tamquam ex semine et causa, ad omnem posteritatem iure permanasse.

3. *Nullus praeter Christum genus humanum potuit restaurare.*

Quum igitur ex altissimo dignitatis gradu concidisset nostrum genus, sublevari inde, et in pristinum locum restitui, nullo modo poterat hominum aut angelorum viribus: quare reliquum erat illud ruinae et malorum subsidium, ut Dei Filii infinita virtus, assumpta carnis nostrae imbecillitate, <sup>2</sup> infinitam tolleret peccati vim, <sup>2</sup> et nos reconciliaret Deo in sanguine suo.

4. *Citra redemptionis fidem nullus umquam salvari potuit, et propterea Christus a mundi initio saepe praenunciatus est.*

Huius autem redemptionis fides et confessio hominibus ad salutem consequendam necessaria est, semperque fuit, quam Deus initio praemonstravit; nam in illa damnatione humani generis, quae statim peccatum consequuta est, ostensa etiam spes redemptionis fuit illis verbis, quibus proprium diabolo damnum, quod ex liberatione hominum facturus erat, denunciavit: *Inimici-*



tias ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius. Et deinceps eandem promissionem saepe confirmavit, maioremque sui consilii significationem iis praesertim hominibus dedit, quibus voluit singularem benevolentiam praestare; inter ceteros vero, quum <sup>1</sup> patriarchae Abrahae saepenumero hoc mysterium significasset, tum eo tempore apertius declaravit, cum ille, Dei iussis obediens, filium suum unicum Isaac immolare voluit; ait enim: <sup>2</sup> *Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli, et velut arenam, quae est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae.* Ex quibus verbis facile colligi poterat, ex progenie Abrahae futurum, qui omnibus ab immanissima satanae tyrannide libertatis salutem afferret; illum autem Dei Filium, natum ex semine Abrahae secundum carnem, fore necesse erat. Non ita multo post Dominus, ut eiusdem promissionis memoria conservaretur, idem foedus cum Iacob Abrahae nepote sancivit. <sup>3</sup> Nam quum ille *in somnis vidit scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens caelos, angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, ut testatur scriptura, audivit etiam Dominum innixum scalae dicentem sibi:* <sup>4</sup> *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac: terram, in qua dormis, tibi dabo et semini tuo, eritque semen tuum, quasi pulvis terrae. Dilataberis ad orientem, et occidentem, et septentrionem, et meridiem, et benedicentur in te et in semine tuo cunctae tribus terrae.* Neque postea destitit Deus, eadem sui promissi memoria renovanda, et generi Abraham et multis praeterea hominibus Salvatoris expectationem commovere; siquidem Iudaeorum republica et religione constituta, notior populo suo fieri coepit: nam et mutae res significarunt, et homines praedixerunt, quae et quanta nobis

<sup>1</sup>) Gen. 17, 19. et 18, 18.

<sup>2</sup>) Gen. 22, 16. 17, 18.

<sup>3</sup>) Gen. 28, 12.

<sup>4</sup>) Gen. 28, 13. 14.

Sub lege scripta saepius memoria redemptionis humanae renovata, per sacrificia, typos, et praedicationes prophetarum.

bona salvator ille et redemptor noster Christus Iesus allaturus esset. Ac<sup>1</sup> prophetae quidem, quorum mens caelesti lumine illustrata fuit, filii Dei ortum, admirabilia opera, quae homo natus effecit, doctrinam, mores, consuetudinem, mortem, resurrectionem, ceteraque eius mysteria, haec omnia, quasi tunc adessent, palam docentes, populo praenunciaverunt; ita ut, si futuri et praeteriti temporis tollatur diversitas, nihil iam inter prophetarum praedicta et apostolorum praedicationem, nihil inter veterum patriarcharum fidem et nostram interesse videamus. Sed iam de singulis articuli partibus dicendum videtur.

5. *De Iesu nomine, et quid Christo proprie conveniat.*

Iesus nomen humani generis redemptori Dei praecepto fuit impositum.

1) Luc. 1, 31. Isa. 7, 14. D.Th. 3, p. q. 37, art. 2.

3) Matth. 1, 20, 21.

*Iesus* proprium est nomen eius, qui Deus est; quod salvatorem significat, non quidem fortuito, aut hominum iudicio et voluntate, sed Dei consilio et praecepto illi impositum. Angelus enim Mariae matri ita annuntiavit: <sup>2</sup> *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum.* Ac deinde Ioseph Virginis sponso, non solum ut eo nomine puerum appelleret, praecepit, sed etiam, cur ita nominandus esset, declaravit; inquit enim: <sup>3</sup> *Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

6. *Non est eadem ratio, cur aliis quibusdam hominibus idem nomen sit tributum.*

Iosue filius Nave a LXX. dicitur passim Iesus. Eccl. 46, 1.

Iesus filius Iosedech apud Esdram, Aggaeum, et Zachariam saepe, et iste est ille, qui fuit Eliezer apud Lucam cap. 3, 29. Iesus nomen propriis-

Ac multi quidem hoc nomine fuerunt in divinis litteris; nam idem nomen Nave filio fuit, qui Moysi successit, et populum a Moyse ex Aegypto liberatum, in terram promissionis, quod illi negatum fuerat, deduxit; eodem etiam nomine Iosedech sacerdotis filius appellatus est. Sed quanto verius Salvatorem nostrum hoc nomine appellandum existimabimus? qui non uni alicui populo, sed universis omnium aetatum hominibus, non quidem fame, aut aegyptiaco vel babilonico dominatu oppressis, sed in umbra

mortis sedentibus, et durissimis peccati et diaboli vinculis obstrictis, lucem, libertatem et salutem dederit; qui eis caelestis regni ius et hereditatem acquisiverit; qui eos Deo patri reconciliaverit: in illis Christum Dominum adumbratum videmus, a quo iis beneficiis, quae diximus, cumulatum est genus humanum. Quae praeterea nomina <sup>1</sup> praedicta sunt Dei Filio divinitus imponenda, ad unum hoc Iesu nomen referuntur; quam enim cetera salutem, quam nobis daturus erat, aliqua ex parte attingerent, hoc ipsum universae salutis humanae vim rationemque complexus est.

7. *Quid sibi velit Christi nomen, et quot rationibus Iesu nostro conveniat.*

Iesu nomini Christi etiam nomen additum est, quod unctum significat, et honoris et officii nomen est, nec unius rei proprium sed commune multorum; nam veteres illi <sup>2</sup> patres nostri Christos appellabant sacerdotes <sup>3</sup> et reges, quos Deus propter muneris dignitatem ungi praeceperat. Sacerdotes enim ii sunt, qui populum assiduis precibus Deo commendant, qui sacrificia Deo faciunt, qui pro populo deprecantur. Regibus autem populorum gubernatio commissa est; ad eosque pertinet maxime legum auctoritatem, innocentium vitam tueri, et nocentium audaciam ulcisci. Quoniam igitur utraque harum functionum Dei maiestatem referre in terris videtur, ideo qui vel ad regium vel ad sacerdotale munus obeundum delecti erant, <sup>4</sup> ungento ungebantur. Prophetas etiam ungenti <sup>5</sup> mos fuit, qui Dei immortalis interpretes et internuncii caelestia arcana nobis aperuerunt, atque ad emendandos mores, salutaribus praeceptis et futurorum praedictione hortati sunt. At vero, quum Iesus Christus Salvator noster in mundum venit, trium personarum partes et officia suscepit, prophetae, sacerdotis ac regis, atque ob eas causas Christus dictus est, et unctus ad illorum munerum functionem, non quidem alicuius mortalis opera sed caelestis Patris virtute, non terreno ungento sed spirituali oleo; quippe quum in sanctissimam

sime Christo convenit, qui ut Rex reddit libertatem, ut propheta lucem, et ut sacerdos salutem.

1) Isa. IX. 6.

Iesu nomen ex amplitudine quidquid aliis nominibus per prophetas Christo fuit attributum complectitur.

Christus est officii et dignitatis nomen.

2) I. Reg. 16, 9. I. Paral. 16, 22. Psal. 104, 15.

Sacerdotum officium.

3) Exod. 29, 7. et 40, 13.

I. Reg. 9, 16. Regum officium.

4) Levit. 8, 11, 12.

5) Num. 3, 3. I. Reg. 16, 13.

Sacerdotes et reges quare soliti sicut ungi. Prophetas uncti.

Filius Dei incarnatus trium personarum officia quia suscepit, ideo Christus dictus est. Christus non humano auxilio

ad tres illas dignitates est e-  
vectus, nec  
terreno un-  
guento iun-  
ctus.

1) Ps. 44, 8.

Fulg. lib. 3.  
ad Trasm. reg.  
c. 14.

2) Isa. 61, 1.  
Luc. 4, 18.

Christus pro-  
phetarum  
summus.

3) Deut. 18, 15.  
Christus sa-  
cerdos, Bern-  
serm. 15, su-  
per Cant. post  
medium.

4) Ps. 109, 4.

5) Hebr. 5, 6.  
Christus iuxta  
utramque na-  
turam est rex.

6) Luc. 1, 32,  
33.

Christi re-  
gnum spiritua-  
le est, quod  
paulo post art.  
6, sect. 5, os-  
tenditur.

Christus qui-  
bus modis regis  
officium  
obeat.

Videatur se-  
cunda petitio  
dominicae ora-  
tionis. Omnes  
homines ad  
Christi regnum  
generali qua-  
dam ratione  
pertinent, pe-

eius animam Spiritus sancti plenitudo gratiaque, et omnium donorum uberior copia effusa sit, quam ulla alia creata natura capere potuerit: atque id praeclare Propheta ostendit, quum Redemptorem ipsum affatus diceret: <sup>1</sup> *Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis.* Idem etiam, ac multo apertius, Isaias iis verbis demonstravit: <sup>2</sup> *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus; ad annuntiandum mansuetis misit me.* Itaque Iesus Christus <sup>3</sup> summus propheta et magister fuit, qui nos Dei voluntatem docuit, et a cuius doctrina orbis terrarum patris caelestis cognitionem accepit; quod ei nomen praeclarius ac praestantius convenit, quod omnes, quicumque prophetae nomine dignati sunt, eius discipuli fuerunt, atque ob illam praecipue causam missi, ut prophetam hunc, qui ad salvandos omnes venturus erat, praenunciarent. Christus item sacerdos fuit, non quidem ex ordine, ex quo in veteri lege leviticae tribus sacerdotes exstiterunt, verum ex illo, de quo David propheta cecinit: <sup>4</sup> *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Cuius rei argumentum Apostolus, ad <sup>5</sup> Hebraeos scribens, accurate prosequutus est. Sed Christum, non solum ut Deus, verum ut homo ac nostrae naturae particeps est, regem etiam agnoscimus; de quo Angelus testatus est: <sup>6</sup> *Regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis;* quod quidem Christi regnum spirituale est atque aeternum, in terrisque inchoatur, in caelo perficitur. Ac regis quidem officia admirabili providentia suae praestat ecclesiae: ipse eam regit; ipse ab hostium impetu atque insidiis tuetur; ipse ei leges praescribit; ipse non solum sanctitatem et iustitiam largitur, verum etiam ad perseverandum facultatem et vires praebet. Quamquam autem huius regni finibus tam boni quam mali contineantur, atque adeo omnes homines iure ad illud pertineant; ii tamen prae ceteris summam regis nostri bonitatem et beneficentiam experiuntur, qui ex eius

praeceptis integram atque innocentem vitam degunt. Neque vero hoc illi regnum hereditario aut humano iure obtigit, tametsi genus <sup>1</sup> a clarissimis regibus duceret; sed rex fuit, propterea quod Deus in illum hominem contulit <sup>2</sup> quidquid potestatis, amplitudinis, dignitatis hominis natura capere posset. Illi igitur totius mundi regnum tradidit, eique omnia, quod iam fieri coeptum est, plene <sup>3</sup> perfecteque in die iudicii subiiciantur.

8. Quo pacto Iesum Christum filium Dei unicum nos credere et confiteri conveniat.

*Filium eius unicum.* His verbis altiora mysteria de Iesu credenda et contemplanda fidelibus proponuntur, nimirum Filium Dei esse et verum Deum, sicuti Pater est qui eum ab aeterno genuit. Praeterea illum divinae trinitatis secundam personam aliis duabus omnino aequalem confitemur; nihil enim impar et dissimile in divinis personis esse aut fingi animo debet, quum unam omnium essentiam, voluntatem, potestatem agnoscamus; quod quum multis pateat divinae scripturae oraculis, tum praeclarissime illud ostendit sancti Ioannis testimonium: <sup>4</sup> *In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum.* Sed, quum Iesum filium Dei esse audimus, nihil terrenum aut mortale de eius ortu cogitandum est; verum ortum illum, quo ab omni aeternitate Pater Filium genuit, quem ratione percipere atque perfecte intelligere nullo modo possumus, constanter credere, et summa animi pietate colere debemus, ac veluti mysterii admiratione obstupefacti illud cum Propheta dicere: <sup>5</sup> *Generationem eius quis enarrabit?* Hoc igitur credendum est, Filium eiusdem esse naturae, eiusdem potestatis et sapientiae cum Patre, ut in symbolo nicaeno explicatius confitemur; ait enim: *Et unum Dominum Iesum Christum, filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.*

Catech. Rom.

culiaris tamen soli boni.

Christus iure divino, secundum humanam etiam naturam, totius mundi rex.

1) Matth. 1, 6, 7, 8. Luc. 3, 31.

2) Matth. 28, 18.

3) Ioan. 17, 2. Apoc. 19, 16.

1. Cor. 15, 26.

Filius Dei verus Deus est, et aliis duabus personis omnino aequalis. Dam. lib. 1. de orth. fid. ca p. 8.

4) Ioan. 1, 1. Spiritualis filii Dei ex patre nativitas admiranda potius, quam scrutanda. Fulg. lib. 3. ad monim. c. 7.

5) Isa. 53, 8.

Ex symbolo nicaeno I. et constantinopolitano can. 7. et Greg. Naz. orat. 40. Dam. lib. 1. de orth. fid. cap. 8. Modus aeternae Christi generationis similitudine declaratur.

9. *De modo generationis aeternae, ducta similitudine a rebus creatis, et de duplici nativitate et filiatione Christi.*

1) Ioan. I, 1. Dam. lib. 1. de orth. fid. cap. 9. Scot. de modo generationis aeternae, profunde se habet in I. sent. dist. 2. q. 6. lit. A. et H. et idem 3. dist. 5. q. unica.

Duplex Christi nativitas non facit duos filios, licet duas filiationes. Athanasius in symb.

Ex omnibus autem, quae ad indicandum modum rationemque aeternae generationis similitudines afferuntur, illa propius ad rem videtur accedere, quae ab animi nostri cogitatione sumitur; quamobrem sanctus Ioannes filium eius <sup>1</sup> Verbum appellat. Ut enim mens nostra, seipsam quodam modo intelligens, sui effingit imaginem, quam *verbum* theologi dixerunt; ita Deus, quantum tamen divinis humana conferri possunt, seipsum intelligens, Verbum aeternum generat: etsi praestat contemplari, quod fides proponit, et sincera mente Iesum Christum verum Deum et verum hominem credere et confiteri, genitum quidem, ut Deum, ante omnium saeculorum aetates, ex Patre; ut hominem vero natum in tempore ex matre Maria virgine. Et quamquam duplicem eius nativitatem agnoscamus, unum tamen Filium esse credimus; una enim persona est, in quam divina et humana natura convenit.

10. *Quo modo Christus fratres habere vel non habere censendus sit.*

Pluribus haec explicantur sect. 9. cap. 9. de oratione dominica.

2) Hebr. 2, 12. Fratres Christi qui sunt.

Et quod ad divinam generationem attinet, nullos aut fratres aut coheredes habet, quum ipse Patris unicus Filius, nos vero homines figmentum et opus manuum eius simus. At si humanum ortum consideremus, <sup>2</sup> multos ille non solum fratrum nomine appellat, sed fratrum etiam loco habet, ut una cum eo paternae hereditatis gloriam adipiscantur: ii sunt, qui fide Christum Dominum receperunt, et fidem, quam nomine profitentur, re ipsa et charitatis officiis, praestant; quare <sup>3</sup> primogenitus in multis fratribus ab Apostolo vocatur.

3) Rom. 8, 29.

11. *Christus secundum utramque naturam Dominus noster dicitur.*

Diversae proprietates iuxta diversas naturas Christo tribuuntur. Communicatio idiomatum est

*Dominum nostrum.* Multa sunt, quae de Salvatore nostro in sacris litteris dicuntur, quorum alia, ut Deus est, alia, ut homo, ipsi convenire perspicuum est, quoniam a diversis naturis diversas earum proprietates accepit. Igitur vere di-

cimus Christum esse omnipotentem, aeternum, immensum; quod a divina natura habet. Rursus de illo dicimus, passum, mortuum esse, resurrexisse; quae naturae hominum convenire nemo dubitat. Verum, praeter haec, quaedam alia utrique naturae congruunt, ut hoc loco, quum Dominum nostrum dicimus. Igitur, si ad utramque naturam hoc nomen referatur, merito Dominus noster praedicandus est. Nam quemadmodum ipse aeternus Deus est uti Pater, ita etiam omnium rerum aequae Dominus est ac Pater; et quemadmodum ipse et pater non est alius atque alius Deus, sed idem plane Deus, ita etiam ipse et Pater non est alius atque alius Dominus. Sed recte etiam multis rationibus, ut homo est, Dominus noster appellatur. Ac primum quidem, quoniam ipse redemptor noster fuit, atque a peccatis nos liberavit, iure hanc potestatem accepit, ut vere Dominus noster esset ac diceretur; ita enim Apostolus docet: <sup>1</sup> *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris; atque ipse de se post resurrectionem: <sup>2</sup> Data est, inquit, mihi omnis potestas in caelo et in terra. Ob eam quoque rem Dominus dicitur, quod in una persona duae naturae, divina et humana, coniunctae sint; hac enim admirabili coniunctione meruit, ut, quamvis pro nobis mortuus non esset, tamen dominus constitueretur communiter quidem omnium rerum quae conditae sunt, praecipue autem fidelium, qui illi parent, atque summo animi studio inserviunt.*

12. *Christiani se totos Iesu Christo, principe tenebrarum conculcato, tradere debent.*

Quod igitur reliquum est, parochus fidelem populum ad eam rationem cohortabitur, ut sciat aequissimum esse, prae ceteris hominibus, nos, qui ab eo nomen invenimus christianique voca-

in Christi persona ratione diversarum naturarum. Christus iuxta utramque naturam noster Dominus est.

Dam. lib. 4. de orthod. fid. cap. 19.

Athanas. in symb. Psalm. 67. Isa. 42. Ioan. 13. Apoc. 19.

1) Phil. 2, 8. 9. 10. 11.

2) Matth. 28, 18. Unio hypostatica causa est, cur Christus Dominus dicitur, etiamsi Adam non peccasset. Leo Pp. ser. 2. de Nativ. Christi. Greg. Naz. orat. 38. Scot. 3. dist. 7. quaest. 3. Th. 2. 2. q. 2. art. 7.

Quantum homo christianus Christo debeat.

mur, et, quanta ille in nos beneficia contulerit, ignorare non possumus, ob id maxime, quod eius munere haec omnia fide intelligimus; aequum esse, inquam, nos ipsos, non secus ac mancipia, redemptori nostro et domino in perpetuum addicere et consecrare. Et quidem, quum baptismo initiaremur, ante ecclesiae fores id professi sumus; declaravimus enim nos satanae et mundo renunciare, et Iesu Christo totos nos tradere. Quod si, ut christianae militiae adscriberemur, tam sancta solempni professione nos ipsos Domino nostro devovimus, quo supplicio digni erimus, si, postquam Ecclesiam ingressi sumus, Dei voluntatem et leges cognovimus, postquam sacramentorum gratiam percepimus, ex mundi et diaboli praeceptis ac legibus vixerimus, perinde ac si quum baptismo abluti sumus, mundo et diabolo, non Christo domino ac redemptori nomen dedissemus? Sed cuius animam amoris facibus non incendat tanti domini tam benigna et propensa in nos voluntas, qui, tametsi nos in potestate sua et dominatu veluti servos sanguine suo redemptos habeat, ea tamen charitate complectitur, <sup>1</sup> ut non servos vocet, sed amicos, sed fratres? Haec profecto iustissima causa est, atque haud scio an omnium sit maxima, cur eum perpetuo debeamus dominum nostrum agnoscere, venerari et colere.

Quanta sit indignitas, postquam nos Deo addiximus, servire diabolo.

Dominatus Christi in redemptos quam sit plus.

1) Ioan. 15, 15.

## DE TERTIO ARTICULO

### CAPUT IV.

QUI CONCEPTUS EST DE SPIRITU SANCTO  
NATUS EX MARIA VIRGINE.

1. *Tertius fidei articulus quid credendum  
fidelibus proponat.*

Maximo quidem et singulari beneficio humanum genus a Deo affectum esse, qui nos e durissimi tyranni servitute in libertatem vindicavit, ex iis, quae superiori articulo declarata sunt, intelligere fideles possunt. At vero, si consilium etiam et rationem, qua potissimum id efficere

Quo consilio et ratione Christus genus humanum liberaverit.



voluit, nobis ante oculos ponamus, profecto nihil divina in nos beneficentia ac bonitate illustrius, nihil magnificentius esse videbitur. Eius igitur mysterii magnitudinem, quod nobis tamquam salutis nostrae praecipuum caput sacrae litterae considerandum saepissime proponunt, parochus a tertii articuli explicatione ostendere incipiet; cuius hanc esse sententiam docebit, nos credere et confiteri eum ipsum Iesum Christum, unicum dominum nostrum, Dei Filium, quum pro nobis humanam carnem suscepit in utero Virginis, non ex virili semine, ut alii homines, sed, supra omnem naturae ordinem, <sup>1</sup> Spiritus sancti virtute conceptum esse, ita ut eadem persona Deus permanens, quod ex aeternitate erat, homo fieret, quod ante non erat. Ea autem verba ita accipienda esse, ex sacri concilii constantinopolitani confessione plane perspicitur; inquit enim:

*Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis; et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, et homo factus est.* Atque id etiam sanctus Ioannes evangelista explicavit, ut qui ex ipsius domini Salvatoris pectore altissimi huius mysterii cognitionem hausisset; nam quum divini verbi naturam declarasset illis verbis: <sup>2</sup> *In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum;* ad extremum conclusit: <sup>3</sup> *Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*

2. *Per temporariam nativitatem nulla facta fuit in Christo naturarum confusio.*

Verbum enim, quod divinae naturae hypostasis est, ita humanam naturam assumpsit, ut una et eadem esset divinae et humanae naturae hypostasis ac persona; quo factum est, ut tam admirabilis coniunctio utriusque naturae actiones et proprietates conservaret, atque, ut est apud sanctum Leonem magnum illum Pontificem, *nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio.*

3. *Solus Spiritus sanctus incarnationis opus non perfecit.*

Sed quoniam praetermittenda non est verbo-

Sensus 3. articuli Dam. lib. 3. cap. 1. et 3.

1) Matth. 1. 2. Lucae 1. 35.

Symb. Constantin. quod exstat cap. 7. canonum eiusdem concilii. Similia habet nicaen. concil. Dam. lib. 3. de orth. fide c. 8.

2) Ioan. 1.

3) Ibid. 14.

Quae naturae in una persona retineant utraque proprietates.

Leo serm. 1. de nativ. Domini. Dam. lib. 3. cap. 17.

Quidquid extra tres perso-

narum trinitatis proprietates sit divinitus omnibus personis est commune.

August. lib. 1. de Trin. c. 4. Proprietates, quae in tribus personis inveniuntur, non sunt omnibus communes.

Dam. lib. 1. c. 10. et 11. Incarnatio Patri, et Filio, et Spiritui sancto etiam tribuenda.

Prov. 8.

Prov. 9.

Matth. 1.

Ambr. lib. 2. de Spiritu sancto cap. 8.

Fulg. lib. 3. ad Trasim. Reg. c. 27. Cur Spiritui sancto tribuatur.

rum explicatio, doceat parochus, quum dicimus Dei Filium Spiritus sancti virtute conceptum esse, unam hanc divinae trinitatis personam incarnationis mysterium non confecisse. Quamvis enim unus Filius humanam naturam assumpserit, tamen omnes divinae trinitatis personae, Pater, Filius et Spiritus sanctus, huius mysterii auctores fuerunt; siquidem illa christianae fidei regula tenenda est: omnia, quae Deus extra se in rebus creatis agit, tribus personis communia esse, neque unam magis quam aliam, aut unam sine alia agere. Quod autem una persona ab alia procedat, hoc unum omnibus commune esse non potest; nam Filius a Patre tantum generatur, Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit: quidquid vero extra illas ab ipsis proficiscitur, tres personae sine ullo discrimine agunt; atque ex hoc genere Filii Dei incarnatio censenda est. Quamquam vero haec ita se habeant, solent tamen sacrae litterae earum rerum, quae omnibus personis communes sunt, aliam aliis tribuere; quemadmodum summa omnium rerum potestatem Patri, sapientiam Filio, Spiritui sancto amorem adscribunt. Et quoniam divinae incarnationis mysterium singularem atque immensam Dei erga nos benignitatem declarat, ob eam rem peculiari quadam ratione hoc opus Spiritui sancto tribuitur.

4. *Omnia supra naturae ordinem in Christi conceptione facta non sunt, sed plurima.*

In incarnatione Christi quaedam secundum naturam, quaedam supra naturam facta inveniuntur. Leo Papa ser. 2. de nativ. Domini Amb. lib. 2. de inc. Verbi c. 6. Dam. lib. 3. c. 2. et lib. 4. cap. 15.

1) Lucae 1, 38. Quo temporis articulo credatur Christi cor-

In hoc mysterio quaedam supra naturae ordinem, quaedam naturae vi effecta esse animadvertimus. Nam, quod ex purissimo virginis matris sanguine Christi corpus formatum credimus, in eo naturam humanam agnoscimus, quum illud omnium hominum corporibus commune sit, ut ex matris sanguine formentur. Quod vero et naturae ordinem et humanam intelligentiam superat, illud est, simul atque beata virgo angeli verbis assentiens dixit: <sup>1</sup> *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, statim sanctissimum Christi corpus formatum, eique anima rationis compos coniuncta est, atque ita in ipso temporis

articulo perfectus Deus et perfectus homo fuit. Hoc autem novum fuisse atque admirabile Spiritus sancti opus, nemo dubitare potest, quum, servato naturae ordine, nullum corpus, nisi intra praescriptum temporis spatium, hominis anima informari queat. Deinde vero illud accedit, maxima admiratione dignum, quod, ut primum cum corpore anima coniuncta fuit, ipsa etiam divinitas cum corpore et anima copulata est: quare simul corpus formatum atque animatum est, corpori et animae divinitas coniuncta; ex quo fit, ut eodem temporis puncto perfectus Deus et perfectus homo esset, et virgo sanctissima vere et proprie mater Dei et hominis diceretur, quod eodem momento Deum et hominem concepisset. Hoc autem ab angelo ei significatum est, quum ait: <sup>1</sup> *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum: hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur*; et eventu comprobatum est, quod Isaias praedixit: <sup>2</sup> *Ecce virgo concipiet, et pariet filium*. Idem quoque Elisabeth, quum Spiritu sancto repleta, Filii Dei conceptionem intellexisset, his verbis declaravit: <sup>3</sup> *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Sed quemadmodum Christi corpus ex purissimis integerrimae virginis sanguinibus, sine ulla viri opera, ut antea diximus, verum sola Spiritus sancti virtute formatum est; ita etiam, ut primum conceptus est, illius anima uberrimam spiritus Dei copiam, atque omnem charismatum abundantiam accepit. Neque enim, ut aliis hominibus, qui sanctitate et gratia ornantur, ipsi <sup>4</sup> *ad mensuram*, ut testatur sanctus Ioannes, *dat Deus spiritum*, sed omnem gratiam tam affluenter in eius animam infudit, <sup>5</sup> ut de plenitudine eius nos omnes acceperimus.

5. *Christus dici non potest Filius Dei adoptivus.*

Neque tamen Christum Filium Dei adoptivum appellare licet, quamvis spiritum illum haberit, quo sancti homines filiorum Dei adoptionem consequuntur; nam, quum natura filius Dei sit, adoptionis gratiam aut nomen in eum convenire nullo modo existimandum est.

pus formatum in utero Virginis, Athanas. in sim. Quando divinitas sit humanitati coniuncta.

Leo Papa ser. 8. de nat. Dom. Dam. lib. 3. cap. 2. Eodem momento Maria Deum, et hominem concepit.

1) Lucae 1, 31.

2) Isa. 7. 14.

3) Luc. 1, 43. Dam. lib. 3. de orthodox. fide c. 2.

In Christi anima fuit plenitudo omnis gratiae.

4) Ioan. 3, 34.

5) Ioan. 1, 16.

Christus nequit dici filius Dei adoptivus, quia est haeresis honosiana, 24. q. 3. c. 39. Amb. lib. I. de fide c. 9. Dam.

lib. 5, cap. 8.  
Greg. Naz. or.  
51. Cur Deus  
incarnatus.

Athau. Disp.  
habita in con-  
cil. nic. contra  
Arium.

Gregor. Naz.  
carm. 2. de Fi-  
lio.

Dam. lib. 3,  
cap. 28. Amb.  
lib. 4. in Lu-  
cam. Cant. 4.  
Vulnerasti cor  
meum etc. vul-  
nus cordis, vul-  
nus amoris.  
Heb. 2. v. 10.  
Decebat enim,  
eum etc.

6. *Quid circa primam articuli partem praecipue me-  
ditandum sit.*

Haec sunt, quae de admirabili conceptionis mysterio explicanda visa sunt: ex quibus ut salutaris fructus ad nos redundare possit, illa in primis fideles memoria repetere, ac saepius cogitare cum animis suis debent, Deum esse, qui humanam carnem assumpsit; ea vero ratione hominem factum, quam mente nobis assequi non licet, nedum verbis explicare; ob eum denique finem hominem fieri voluisse, ut nos homines filii Dei renasceremur. Haec quum attente consideraverint, tum vero omnia mysteria, quae hoc articulo continentur, humili ac fideli animo credant et adorent; nec curiose, quod sine periculo vix umquam fieri potest, illa investigare ac persecrari velint.

7. *Christum ex Maria virgine natum quid sit.*

Nativitas Chri-  
sti quantae  
laetitiae cau-  
sa.

*Natus ex Maria virgine.* Haec altera est huius articuli pars, in qua explicanda parochus diligenter versabitur, quum fidelibus credendum sit Iesum Dominum non solum conceptum Spiritus sancti virtute, sed etiam ex Maria virgine natum et in lucem editum esse: cuius mysterii fides quanta cum laetitia et iucunditate animi meditanda sit, angeli vox, qui primus felicissimum nuncium mundo attulit, declarat; ait enim:

1) Lucae 2, 10.  
Maria dicitur  
Mater Dei per  
communicationem idio-  
matum: sicut  
et aliae dicuntur  
matres simul animae et  
corporis, ita  
Maria Dei, et  
hominis.

Dam. 1, 3, c. 12.

2) Gen. 22, 18.

Maria quomodo  
Deipara sit.  
Quia filius Dei  
subsistit in na-  
tura assumpta.

3) Matth. 1, 1, 6.

Christi ortus  
quam fuerit  
admirabilis.

<sup>1</sup> *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; tum ex illius caelestis militiae cantico: Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis, quod angeli cecinerunt, facile est intelligere. Hinc etiam amplissimum illud Dei promissum ad Abraham impleri coeptum est, cui dictum est <sup>2</sup> fore aliquando ut in eius semine omnes gentes benedicerentur. Maria enim, quam vere matrem Dei praedicamus et colimus, quod eam personam, quae simul Deus et homo erat, peperit, <sup>3</sup> a Davide rege originem duxit.*

8. *Christus secundum communem naturae cursum non est natus.*

Sed quemadmodum conceptio ipsa naturae ordinem prorsus vincit, ita in ortu nihil non di-

vinum licet contemplari. Praeterea, quo nihil admirabilius dici omnino aut cogitari potest, nascitur ex matre sine ulla maternae virginitatis diminutione; et <sup>1</sup> quo modo postea ex sepulchro clauso et obsignato egressus est, <sup>2</sup> atque ad discipulos clausis ianuis introivit; vel, ne a rebus etiam, quae natura quotidie fieri videmus, discedatur, quo modo solis radii concretam vitri substantiam penetrant, neque frangunt tamen, aut aliqua ex parte laedunt; simili, inquam, et altiori modo, Iesus Christus ex materno alvo, sine ullo maternae virginitatis detrimento, editus est: ipsius enim incorruptam et perpetuam virginitatem verissimis laudibus celebramus. Quod quidem Spiritus sancti virtute effectum est, qui, in filii conceptione et partu, matri ita affuit, ut ei et fecunditatem dederit, et perpetuam virginitatem conservavit.

9. *Christus secundus Adam, et Maria altera Eva recte dicitur.*

Solet interdum <sup>3</sup> Apostolus Christum Iesum novissimum Adam appellare, eumque primo Adam conferre: nam, ut in primo omnes homines moriuntur, ita in secundo omnes ad vitam revocantur; atque ut Adam, quod ad naturalem conditionem pertinet, humani generis parens fuit, ita Christus gratiae et gloriae auctor est. Ad eum modum nobis etiam licet virginem matrem cum Eva ita conferre, ut priori Evae secunda Eva, quae est Maria, respondeat, quemadmodum secundum Adam, hoc est, Christum, primo Adam respondere ostendimus. Eva enim, <sup>4</sup> quia serpenti fidem habuit, maledictum et mortem in humanum genus invexit; et Maria postquam <sup>5</sup> angelo credidit, Dei bonitate effectum est, ut benedictio et vita ad homines perveniret. Propter Evam <sup>6</sup> nascimur filii irae: a Maria Iesum Christum accepimus, per quem filii gratiae regeneramur. Evae dictum est: <sup>7</sup> *In dolore paries filios*: Maria hac lege soluta est, ut quae, salva virginalis pudicitiae integritate, sine ullo doloris sensu, ut antea dictum est, Iesum Filium Dei peperit.

1) Matth. 28, 2.

2) Ioan. 20, 19, 26. Similitudo, qua ostenditur Christi ortus qualis sit.

Mariae perpetua virginitas Spiritus sancti virtute fuit conservata.

3) Rom. 5, 12. I. Cor. 15, 21. Christus Adamo frequenter comparatus, et secundus Adam dictus.

Mariae cum Eva comparatio, et quomodo illa sit altera Eva.

Vide comparationem Mariae cum Eva apud Iren. lib. 3, c. 33, et lib. 5, c. 19.

4) Gen. 3, 6.

5) Lucae 1, 38.

6) Ephes. 2, 3.

7) Gen. 3, 16.

10. *Quibus praecipue figuris ac prophetiis conceptionis et nativitatis Christi sacramenta adumbrata sint.*

Prophetiae et figurae conceptionis et nativitatis Iesu Christi.

Quum igitur tanta et tam multa sint admirandae huius conceptionis et nativitatis sacramenta, divinae providentiae consentaneum fuit, ut ea multis figuris et oraculis significarentur. Quare huc pertinere sancti doctores intellexerunt multa, quae in variis sacrae scripturae locis legimus, praecipue vero portam illam sanctuarii, <sup>1</sup> quam Ezechiel clausam vidit; <sup>2</sup> item lapidem de monte sine manibus abscissum, ut est apud Danielelem, qui factus est magnus mons, et implevit universam terram; <sup>3</sup> deinde Aaron virgam, quae una inter virgas principum Israelis germinavit; <sup>4</sup> et rubum, quem Moyses vidit ardere et non comburi. Multis verbis sanctus <sup>5</sup> evangelista Christi nativitatis historiam descripsit; qua de re nihil est, quod plura a nobis dicantur, quum ea lectio Parocho in promptu sit.

- 1) Ezech. 44. 2.  
Vide Hieron. ad Pammach.  
2) Dan. 2, 34.  
Vide Iren. lib. 3. c. 23.  
3) Num. 17, 8.  
4) Exod. 3, 2.  
5) Luc. per totum fere c. 2.  
Rom. 15, 4.

11. *Incarnationis mysterium saepius populo est inculcandum, quidque utilitatis ex eius meditatione capiatur.*

Incarnationis mysterium saepius populo inculcandum, ut sint grati tanto benefactori, et eius humilitatem imitentur.

Danda autem illi est opera, ut haec mysteria, quae ad doctrinam nostram scripta sunt, infixi animo et mentibus fidelium haereant: primum quidem, ut tanti beneficii commemoratione aliquam gratiam eius auctori Deo referant; deinde, ut eximium hoc et singulare humilitatis exemplum eis ante oculos ad imitandum proponat. Quid enim nobis utilius, atque ad animorum nostrorum superbiam et elationem comprimendam accommodatius esse potest, quam saepius cogitare, Deum ita sese humiliare, ut cum hominibus gloriam suam communicet, et hominum infirmitatem fragilitatemque assumat; Deum hominem fieri, summamque illam et infinitam maiestatem homini ministrare, <sup>6</sup> *ad cuius nutum columnae caeli, ut inquit scriptura, contremiscunt et pavent*, eumque in terra nasci, <sup>7</sup> quem in caelis angeli adorant? Quid igitur, quum haec Deus nostra causa faciat, quid, inquam, nos, ut illi obsequamur, facere oportet? Quam libenti atque alacri

- 6) Iob 26, 11.  
7) Psal. 96, 8.

animo debemus omnia humilitatis officia amare, amplecti, praestare? Videant fideles quam salutari doctrina Christus nascens nos instituat, antequam vocem aliquam emittere incipiat. Nascitur egenus: nascitur ut peregrinus in diversorio: nascitur in vili praesepio: nascitur media hieme; ita enim scribit sanctus Lucas: <sup>1</sup> *Factum est, quum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret, et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio, quia non erat eis locus in diversorio.* Potuitne evangelista humilioribus verbis omnem caeli et terrae maiestatem et gloriam includere? Neque vero scribit non fuisse locum in diversorio, sed ei non fuisse, qui dicit: <sup>2</sup> *Meus est orbis terrae, et plenitudo eius.* Quod etiam alius evangelista testatus est: <sup>3</sup> *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Haec quum fideles sibi ante oculos proposuerint, tum vero cogitent Deum carnis nostrae humilitatem et fragilitatem subire voluisse, ut humanum genus in altissimo dignitatis gradu collocaretur. Nam illud unum satis declarat excellentem hominis dignitatem et praestantiam, quae illi divino beneficio tributa est, quod homo fuerit, qui idem verus et perfectus Deus sit; ut iam gloriari nobis liceat Filium Dei <sup>4</sup> os nostrum et carnem nostram esse, quod beatissimis illis spiritibus non licet. *Nusquam enim, ut est apud* <sup>5</sup> *Apostolum, angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.* Praeterea cavendum est, ne maximo nostro malo eveniat, ut, quemadmodum illi in diversorio Bethlehem locus ubi nasceretur defuit; ita etiam, quando iam in carne non nascitur, locum in cordibus nostris invenire non possit, ubi in spiritu nascatur. Hoc enim, quum salutis nostrae cupidissimus sit, vehementer optat: nam, ut ille Spiritus sancti virtute supra naturae ordinem homo factus et natus est, sanctusque atque adeo sanctitas ipsa fuit; ita nos oportet, <sup>6</sup> non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nasci, ac deinde veluti <sup>7</sup> novam creaturam <sup>8</sup> in novitate spiritus ambulare, sanctitatem illam ac mentis integri-

1) Luc. 2, 6, 7.

2) Psal. 49, 12.

3) Ioan. 1, 11. Incarnationis Filii Dei mysterium, quanto pietatis studio recolendum. Hominis quanta dignitas.

4) Gen. 2, 23.

5) Hebr. 2, 16. Domicilium Christo in cordibus nostris parandum.

6) Ioan. 1, 13.

7) Gal. 6, 15.

8) Rom. 6, 4.

Filii Dei nati-  
vitatibus imago  
quo modo in  
nobis ipsis ex-  
primi possit.

1) I. Cor. 2, 7.

tatem custodire, quae homines spiritu Dei regeneratos maxime decet: hac enim ratione sanctae huius Filii Dei conceptionis et nativitatibus imaginem aliquam in nobis ipsis exprimemus, quam fideli animo credimus, et credentes, <sup>1</sup> *Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, suspicimus et adoramus.*

## DE QUARTO ARTICULO

### CAPUT V.

PASSUS SUB PONTIO PILATO, CRUCIFIXUS,  
MORTUUS ET SEPULTUS.

*1. Articuli quarti cognoscendi necessitas,  
et eius sententia.*

Quantam habeat necessitatem huius articuli cognitio, et quam diligenter parochus curare debeat, ut fideles dominicae passionis memoriam saepissime animo repetant, <sup>2</sup> docet Apostolus, qui nihil aliud se scire testatus est, *nisi Iesum Christum et hunc crucifixum*. Quare in hoc argumento omne studium et opera adhibenda est, ut quam maxime illustretur, fidelesque tanti benefici commemoratione excitati, totos se ad Dei erga nos amorem, et bonitatem suspiciendam convertant. Fides itaque priore articuli parte (nam altera postea dicitur) illud nobis credendum proponit, Christum Dominum, quum Pontius Pilatus Tiberii Caesaris iussu Iudaeam provinciam administraret, cruci affixum esse; nam captus, irrisus, variis iniuriarum et cruciatuum generibus affectus, demum in crucem sublatus est.

*2. Anima Christi cruciatus sensit secundum utramque portionem.*

Repleta est  
malis anima  
Christi.  
Psal. 68, et 87.  
Thren. I. v. 2.  
Plorans etc.

Nec vero cuiquam dubitandum est, eius animam, quod ad inferiorem partem attinet, ab iis cruciatibus liberam non fuisse; nam quod humanam naturam vere assumpsit, necesse est fateri, animo etiam gravissimum dolorem sensit; qua-



re inquit: <sup>1</sup> *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Nam etsi personae divinae humana natura coniuncta fuit, tamen propter eam coniunctionem nihilo minus passionis acerbiteriam sensit, quam si ea coniunctio facta non fuisset, quum, in una Iesu Christi persona, utriusque naturae divinae et humanae proprietates servatae sint: atque idcirco, quod erat passibile et mortale, passibile et mortale permansit; rursus vero, quod impassibile et immortale erat, qualem esse divinam naturam intelligimus, suam proprietatem retinuit.

3. *Cur in symbolo exprimat, sub quo Iudaeae praeside Christus sit passus.*

Quod autem hoc loco tam diligenter observari vidimus, Iesum Christum eo tempore passum esse, quo Pontius Pilatus Iudaeam provinciam procuraret, id ea re factum esse docebit parochus, quia tantae rei et tam necessariae cognitio exploratior omnibus esse poterat, si rei gestae certum, quod et ab <sup>2</sup> apostolo Paulo factum legimus, tempus describeretur; tum etiam, quia iis verbis declaratur, illam Salvatoris praedictionem exitu comprobata esse: <sup>3</sup> *Tradent, inquit, eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum.*

4. *Non temere accidit, quod Christus in ligno crucis mortem est perpessus.*

Sed quod potissimum in ligno crucis mortem pertulit, hoc etiam divino consilio tribuendum est, ut scilicet, <sup>4</sup> *unde mors oriebatur, inde vita resurgeret*; serpens enim, <sup>5</sup> qui in ligno primos parentes vicerat, victus est a Christo in ligno crucis. Plures eius rei afferri rationes possunt, quas sancti <sup>6</sup> patres latius persequuti sunt, ut ostendamus, consentaneum fuisse redemptorem nostrum mortem crucis potissimum subire. Verum satis esse parochus admoneat, si fideles credant, illud genus mortis a Salvatore delectum esse, quod quidem ad humani generis redemptionem aptius atque accommodatius videretur, quemadmodum certe nullum turpius atque indignius esse potuit. Non solum enim apud gentiles cru-

1) Matt. 26, 38.  
Dam. lib. 3.  
c. 23. in fine.  
Scot. in 3. sent.  
p. 15.  
Gr. Naz. or. 12.  
In una Christi  
persona dua-  
rum natura-  
rum proprieta-  
tes sunt servatae.  
Dam. lib. 3.  
c. 13.

2) 1. Tim. 6, 13.

3) Matt. 20, 19.

Hoc opus no-  
strae salutis  
etc. Hymn. de  
passione Dom.

4) Praefatio  
missae de san-  
cta Cruce.

5) Gen. 3, 4.

6) Vide inter  
ceteros Ire-  
naeum lib. 4.  
cap. 27.

Crucis supplicium apud gentiles et iudaeos fuit execrandum.

1) Deut. 21, 23.

Gal. 3, 13.

Quam necessaria huius quarti articuli professio, et fides mysterii absconditi in cruce.

Crucis mysterium creditur omnium difficillimum; unde gnostici Christum negabant cruci fuisse affixum, sed illius loco Simonem Cyrenaeum.

Iren. lib. 1. c. 23.

2) I. Cor. I, 21. Prophetæ, apostoli, et Deus ipse, cur tantopere inculcarent crucis, et passionis mysteria.

Figuræ mortis Christi.

3) Gen. 4, 8.

4) Gen. 22, 6, 7.

5) Exod. 12, 5, 6, 7.

6) Num. 21, 9. Ioan. 3, 14.

cis supplicium execrandum, et dedecoris ignominiaeque plenissimum semper existimatum est, verum etiam in lege Moysis <sup>1</sup> *maledictus homo appellatur, qui pendet in ligno.*

5. *Historia passionis Christi frequentius populo est replicanda.*

Neque vero parochus huius articuli historiam praetermittet, quae diligentissime a sanctis evangelistis exposita est, ut saltem summa eius mysterii capita, quae ad confirmandam fidei nostrae veritatem magis necessaria videntur, fideles cognita habeant. Hoc enim articulo, veluti fundamento quodam, christiana religio et fides nititur, eoque posito, reliqua omnia recte constituta sunt. Nam si quid aliud humanae menti et intelligentiae difficultatem affert, certe crucis mysterium omnium difficillimum existimandum est, vixque percipi a nobis potest, salutem nostram ex cruce ipsa, et ex eo, qui pro nobis ligno illi affixus est, pendere. Sed in hoc, ut docet Apostolus, summam Dei providentiam licet admirari. <sup>2</sup> *Nam, quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.* Quare mirandum non est, si prophetæ ante Christi adventum, apostoli post eius mortem et resurrectionem tantopere laborarunt, ut hominibus persuaderent hunc esse mundi redemptorem, eosque in crucifixi potestatem atque obedientiam redigerent. Quare Dominus, quum nihil tam ab humana ratione remotum esset, quam crucis mysterium, statim post peccatum numquam destitit tum figuris, tum prophetarum oraculis Filii sui mortem significare. Atque ut de figuris pauca quaedam attingamus, <sup>3</sup> Abel primum, qui fratris invidia occisus est, deinde <sup>4</sup> Isaac sacrificium, praeterea <sup>5</sup> agnus, quem Iudaei, quum e terra Aegypti egredierentur, immolarunt, tum <sup>6</sup> serpens aeneus, quem Moyses in deserto exaltavit, Christi Domini passionis ac mortis figuram praemonstrabant. Quod autem ad prophetas pertinet, quam multi exstiterint qui de ea vaticinati sunt, id vero multo notius est, quam ut explicari hoc

loco oporteat. Sed prae ceteris, ut <sup>1</sup> Davidem omittamus, qui omnia praecipua redemptionis nostrae mysteria in psalmis complexus est, Isaiae oracula tam aperta et clara sunt, ut recte dici queat, eum potius rem gestam exposuisse, quam futuram praedixisse.

6. *Quid haec clausula « mortuus et sepultus » credendum significet.*

*Mortuus et sepultus.* His verbis parochus credendum explicabit, Iesum Christum, postquam crucifixus est, vere mortuum ac sepultum esse: neque vero sine causa hoc separatim fidelibus credendum proponitur, quum non defuerint qui eum in cruce mortuum negarent. Illi igitur errori hanc fidei doctrinam sancti apostoli merito opponendam censuerunt, de cuius articuli veritate dubitandi nullus nobis locus relinquitur; nam omnes <sup>2</sup> evangelistae consentiunt, Iesum spiritum emisisse. Praeterea, quum Christus verus et perfectus homo fuerit, vere etiam mori potuit; moritur autem homo, quum anima separatur a corpore. Quare, quum Iesum mortuum esse dicimus, id significamus, eius animam a corpore divisam esse; neque tamen concedimus divinitatem seiunctam a corpore: quin potius constanter credimus et confitemur, anima eius a corpore divisa, divinitatem tum corpori in sepulchro, tum animae apud inferos, coniunctam semper fuisse. <sup>3</sup> Decebat autem Filium Dei mori, *ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum; et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.*

7. *Invitus et coactus mortem Christus non subiit.*

Sed illud in Christo Domino singulare fuit, quod tunc mortuus est, quum ipse mori decrevit; et mortem non tam aliena vi illatam, quam voluntariam obiit. Nec vero mortem solum, sed locum etiam et tempus, in quo moreretur, ipse sibi constituit. Ita enim Isaias scripsit: <sup>4</sup> *Oblatus est, quia ipse voluit.* Atque idem Dominus de se ante passionem dixit: <sup>5</sup> *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam; nemo tollit eam*

<sup>1</sup> Ps. 2, et 21, et 68, et 109. Hier. in epist. ad Paulinum.

Christus vere in cruce fuit mortuus, Gnostici Christum mortuum negarunt. Item Tertul. lib. de praescript. E-piph.

<sup>2</sup> Matt. 27, 50. Marc. 15, 37. Ioan. 19, 30.

Morte Christi divinitas a corpore vel anima non fuit separata.

<sup>3</sup> Heb. 2, 14. 15. Dam. lib. 3. cap. 27.

Mors Christi fuit voluntaria.

<sup>4</sup> Isa. 53, 7.

<sup>5</sup> Ioan. 10, 17. 18.

a me, sed ego pono eam a meipso: potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Quod autem ad tempus et locum attinet, quum Herodes eius vitae insidiaretur, ipse inquit: <sup>1</sup> *Dicite vulpi illi: Ecce eiicio daemonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor: verumtamen oportet me hodie, et cras, et sequenti die ambulare, quia non capit prophetam perire extra Hierusalem.* Ille igitur nihil invitus aut coactus fecit, sed ipse sese volens obtulit, atque inimicis suis obviam procedens dixit: <sup>2</sup> *Ego sum;* et sponte sua ea omnia supplicia pertulit, quibus illum iniuste et crudeliter affecerunt: quo quidem nihil ad commovendos animi nostri sensus maiorem vim habere potest, quum poenas tormentaque eius omnia cogitatione perpendimus. Nam, si quispiam nostra causa omnes dolores patiat, non quos ipse sua voluntate suscipiat, sed quos vitare nequeat, hoc vero haud magni beneficii loco a nobis ponetur: verum, si nostro tantum nomine mortem, quam defugere poterat, libenter occumbat, profecto hoc beneficii genus tantum est, ut omnem non solum referendae, sed etiam habendae gratiae facultatem vel gratissimo cuique eripiat; ex quo Iesu Christi summa et eximia charitas, eiusque divinum et immensum in nos meritum perspici potest.

8. *Cur Christum non modo mortuum, sed etiam sepultum esse dicamus.*

Deum dicimus mortuum et sepultum propter unitatem personae, et communicationem idiomatum: erat enim totus Deus in sepulcro, et totus Deus in inferno, totus sed non in totum.  
Dam. lib. 3. de ort. fide cap. 7.  
Fulg. lib. 3. ad Tras. cap. 25. et 27.

Iam vero quod sepultum fuisse confitemur, hoc quidem veluti articuli pars non constituitur, quod novam aliquam difficultatem habeat, praeter ea quae iam de morte dicta sunt. Nam, si Christum mortuum credimus, facile etiam nobis persuaderi potest eum sepultum esse. Verum hoc additum est, primum, ut minus dubitare de morte liceat, quum maximo argumento sit, aliquem mortuum esse, si eius corpus sepultum probeamus; deinde, ut resurrectionis miraculum magis declaretur atque eluceat. Neque vero hoc solum credimus, Christi corpus sepultum esse, sed illud praecipue his verbis credendum proponitur,

Deum sepultum esse, quemadmodum ex fidei catholicae regula verissime etiam dicimus, Deum mortuum, et ex virgine natum esse: nam quum divinitas numquam divisa fuerit a corpore, quod in sepulcro conditum est, recte confitemur Deum sepultum esse.

9. *Quae circa mortem et sepulturam Christi sint maxime observanda.*

Ac de genere quidem, et loco sepulturae, illa parochi satis erunt, quae a sanctis <sup>1</sup> evangelistis dicta sunt. Duo vero in primis observanda sunt: alterum, Christi corpus in sepulcro nulla ex parte corruptum esse, de quo Propheta ita vaticinatus erat: <sup>2</sup> *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*: alterum est, quod ad omnes huius articuli partes attinet, sepulturam scilicet, passionem etiam et mortem Christo Iesu ut homini, non ut Deo convenire; nam pati et mori in humanam tantum naturam cadunt, quamvis Deo etiam haec omnia tribuantur: quoniam de illa persona, quae simul <sup>3</sup> perfectus Deus, perfectus homo fuit, recte dici perspicuum est.

10. *Qua ratione contemplari oporteat passionis Christi beneficium.*

His cognitis, ea de Christi passione et morte parochus explicabit, ex quibus tanti mysterii immensitatem si non comprehendere, contemplari saltem fideles possint. Ac primum quidem considerandum est, quis ille sit qui haec omnia patitur. Et quidem nullis verbis eius dignitatem explicare, aut mente comprehendere possumus. Sanctus Ioannes <sup>4</sup> *verbum* esse dicit, quod *erat apud Deum*; Apostolus magnificis verbis describit in hunc modum: <sup>5</sup> *Esse eum, quem Deus constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula: qui est splendor gloriae, et figura substantiae eius: qui portat omnia verbo virtutis suae. Hic igitur, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.* Atque, ut uno verbo complectamur, patitur Iesus Christus, Deus et homo: patitur creator pro iis, quos ipse condidit: patitur Dominus pro servis: patitur is, per quem angeli, homines, caeli, ele-

*Catech. Rom.*

Christus quod semel assumpsit, numquam dimisit.

Circa mortem et sepulturam Christi, duo maxime observanda.

1) Matt. 57, 58.

59.

Marc. 15, 46.

Lucae 23, 53.

Ioan. 59, 38.

39.

2) Psal. 15, 10.

Aet. 2, 13. 10.

Quomodo Deus nec patitur,

nec moritur, et

tamen recte dicitur Deus pas-

sus et mortuus.

3) Ath. in sym.

Fulg. lib. 3, ad

Tr, Reg. c. 30.

37.

37.

4) Ioan. I.

5) Heb. 1, 2.3.

Sep. 7, 2.

Cor. 4.

- 1) Rom. 11, 36. *menta facta sunt; ille, inquam, <sup>1</sup> in quo, per quem, et ex quo sunt omnia. Quare mirandum non est si, eo tot passionum tormentis commoto, totum etiam aedificium concussum est; nam,*
- 2) Matt. 27, 51. *ut inquit scriptura, <sup>2</sup> terra mota est, et petrae scissae sunt;*
- 3) Lucae 23, 44. 45. *<sup>3</sup> tenebrae etiam factae sunt per universam terram, et sol obscuratus est. Quod si multae etiam res et sensu carentes creatoris sui passionem luxerunt, cogitent fideles, quibus lacrimis ipsi, tamquam <sup>4</sup> vivi lapides huius aedificii, dolorem suum declarare debeant.*

11. *Cur Christus voluerit extrema pati, quidque sentiendum de his sit, qui, christianismum professi, in peccatis sordescunt.*

Quod potuit gutta, voluit unda, ut nos magis alliceret ad amorem suum.

Pondera fert omnium aetatum, quia incarnatus est in medio annorum, ut omnes aequaliter participarent in tertio millennario et medio.

Iam vero causae etiam passionis exponendae sunt, ut eo magis divinae erga nos charitatis magnitudo et vis appareat. Si quis igitur quaerit, quae causa fuerit cur filius Dei acerbissimam passionem subierit, hanc potissimum fuisse inveniet, praeter hereditariam labem primorum parentum, vitia et peccata, quae homines a mundi origine usque ad hanc diem admiserunt, ac deinceps usque ad consummationem saeculi admisuri sunt. Hoc enim in passione et morte filius Dei salvator noster spectavit, ut omnium aetatum peccata redimeret ac deleret, et pro eis Patri abunde cumulateque satisfaceret. Illud etiam accedit ad augendam rei dignitatem, quod non solum Christus pro peccatoribus passus est, sed etiam pro illis, qui poenarum omnium, quas pertulit, auctores et ministri fuerunt; de quo Apostolus nos admonet, ita ad Hebraeos scribens: <sup>5</sup> *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. Atque hac culpa omnes teneri iudicandum est, qui in peccata saepius prolabuntur. Nam quum peccata nostra Christum dominum impulerint, ut crucis supplicium subiret, profecto, qui flagitiis et sceleribus volutantur, rursus, quod in ipsis est, <sup>6</sup> crucifigunt in semetipsis filium Dei, et ostentui habent. Quod quidem scelus eo gravius in nobis videri potest, quam fuerit in Iudaeis,*

5) Heb. 12, 3. Et de rigore iustitiae erat necessarium, quod esset Deus, et homo, vere necessarium Adae peccatum etc. Ecclesia in bened. cerei pasc. Relabentes saepius in scelera, Deum iterum crucifigunt, et gravius plerumque quam iudaei.

6) Hebr. 6, 6.

quod illi, eodem Apostolo teste, <sup>1</sup> *si cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent*; nos autem et nosse eum profiteamur, et tamen, factis negantes, quodam modo violentas ei manus videmur inferre.

12. *Christus a Patre et a semetipso etiam traditus est.*

Sed a Patre etiam et a semetipso Christum dominum traditum esse sacrae litterae testantur; ait enim apud Isaiam: <sup>2</sup> *Propter scelus populi percussus eum*. Et paulo ante idem propheta, quum Dominum plagis et vulneribus affectum, spiritu Dei plenus, videret, dixit: <sup>3</sup> *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*. De filio autem scriptum est:

<sup>4</sup> *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum*. Sed eandem rem Apostolus gravioribus etiam verbis expressit, quum tamen ex altera parte vellet ostendere, quantum nobis de immensa Dei misericordia et bonitate sperare liceat; ait enim: <sup>5</sup> *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quo modo non etiam cum illo omnia nobis \* donavit?*

13. *Christus tormentorum acerbiter corpore et animo vere sensit.*

Sequitur nunc, ut, quanta fuerit passionis acerbitas, parochus doceat; quamquam, si memoria teneamus <sup>6</sup> sudorem Domini factum ut guttas sanguinis \* decurrentis in terram, quum ille tormenta et cruciatus animo perciperet, quibus paulo post afficiendus erat, facile ex eo unusquisque intelliget, nihil ad illum dolorem addi potuisse. Nam si malorum imminentium cogitatio tam acerba fuit, <sup>7</sup> id quod sanguinis sudor declaravit, quid ipsam perpassionem fuisse existimandum est?

Sed tamen Christum dominum summis tum animi, tum corporis doloribus affectum esse constat. Ac primum quidem nulla fuit eius corporis pars, quae gravissimas poenas non senserit; nam et pedes et manus clavis cruci affixae, caput spinis compunctum, arundine percussum, fa-

1) I. Cor. 2, 8.

Ioan. 3.

Rom. 8.

Ephes. 5.

Matth. 4.

2) Isa. 53, 8.

3) Ibid. 6.

Amb. lib. I. de

fide ad Grat. c.

7. et lib. I. de

Spiritu sancto

c. 12.

4) Ibid. 10.

5) Rom. 8, 32.

\* « Donabit, »  
graeca, et syriaca exemplaria.

Acerbitas passionis.

6) Luc. 22, 44.

\* « Decurrentes » habet graecus textus.

7) Ibid.

Christus in corpore quantaliter pertulit.

cies sputis foedata, alapis caesa, totum corpus flagellis verberatum est. Praeterea omnium et generum et ordinum homines <sup>1</sup> *convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius.* <sup>2</sup> Gentes enim et Iudaei passionis suasores, auctores, ministri fuerunt: Indas eum prodidit: Petrus negavit: ceteri omnes deseruerunt. Iam vero in cruce ipsa acerbiteriam ne, an ignominiam, an utrumque simul queremur? Ac profecto nullum aut turpius genus mortis, aut acerbius excogitari eo potuit, quo affici non nisi nocentissimi et sceleratissimi homines consueverunt, et in quo summi doloris et cruciatus sensum mortis dinturnitas vehementiorem efficiebat. Augebat autem poenarum magnitudinem ipsa Christi Iesu corporis constitutio et habitus: quod quidem, quum Spiritus sancti virtute formatum esset, multo perfectius et temperatius fuit, quam aliorum hominum corpora esse possunt; atque ideo acriorem quoque sentiendi vim habuit, et gravius tormenta illa omnia perpressum est.

Quod vero ad intimum animi dolorem pertinet, nemo dubitare potest, quin summus in Christo fuerit; sanctis enim hominibus, quicumque supplicia et cruciatus pertulerunt, non defuit animae solatium divinitus datum, quo recreati tormentorum vim aequo animo ferre possent; immo vero in cruciatibus plerique intima laetitia efferebantur; ait enim Apostolus: <sup>3</sup> *Gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea, quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia;* et alibi: <sup>4</sup> *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Verum Christus dominus amarissimae passionis calicem <sup>5</sup> quem bibit, nulla suavitate permista temperavit. Humanae enim naturae, quam assumpserat, sentire omnia tormenta permisit, non secus ac si homo, non etiam Deus fuisset.

14. *Quae potissimum commoda et bona christiano generi Christi passio pepererit.*

Reliquum modo est, ut commoda etiam et bona, quae ex passione Domini percepimus, a pa-

1) Psal. 2, 2.

2) Matt. 26, et 27. Marc. 14. et 15. Luc. 22. et 25, Ioan. 13. et 19.

Mortis Christi genus acerbissimum, et ignominiosissimum.

Corpus Christi perfectissimum, et temperatissimum fuit.

3. Cor. 4, 8. In omnibus tribulationem etc. usque ad non perimus. Nam Christus angustatus est a contrariis, destitutus ab apostolis, derelictus a Deo, confusus a iudaeo.

3) Col. 1, 24.

4) 2. Cor. 7, 4.

5) Matt. 26, 39. Psal. 68, v. 21. Et sustinui etc. Et 141, v. 5. Considerabam.

Thren. I. Longe factus est etc.

Lucae 22, 42. Apparuit illi angelus de caelo etc. nota IV.



rocho accurate explicantur. Primum igitur Domini passio peccati liberatio fuit: nam, ut est apud sanctum Ioannem, <sup>1</sup> *Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Et Apostolus inquit: <sup>2</sup> *Convivificavit vos, donans vobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci*. Deinde a daemonis tyrannide nos eripuit; ipse enim Dominus inquit: <sup>3</sup> *Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras; et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*. Poenam praeterea peccatis nostris debitam persolvit. Tum vero, quia nullum gratius et acceptius Deo sacrificium offerri potuit, <sup>4</sup> Patri nos reconciliavit, eumque nobis placatum et propitium reddidit. Postremo, quoniam peccata sustulit, caelorum etiam aditum, communi humani generis peccato interclusum, nobis patefecit. Atque id Apostolus significavit illis verbis: <sup>5</sup> *Habemus fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi*. Neque vero in veteri lege huius mysterii figura et imago quaedam defuit: nam illi, <sup>6</sup> quibus interdictum erat, ne in patriam ante summi sacerdotis mortem reverterentur, hoc significabant, nemini, quamvis iuste et pie vixisset, aditum in caelestem patriam patere, antequam summus ille atque aeternus sacerdos Christus Iesus mortem obiret; qua quidem obita, statim caeli fores pateverunt iis, qui sacramentis expiati, fideque, spe et charitate praediti, passionis eius participes fiunt.

15. *Unde vim habuerit Christi passio ad tanta nobis bona promerenda.*

Haec autem omnia maxima et divina bona parochus docebit ex Domini passione ad nos pervenisse: primum quidem, quia est integra atque omnibus numeris perfecta satisfactio, quam admirabili quadam ratione Iesus Christus pro peccatis nostris Deo patri persolvit. Neque vero pretium, quod pro nobis persolvit, debitis nostris par solum et aequale fuit, verum ea longe

Confortans: et solvc, ex ps.9. v. 20.

Exurge Domine etc. bene et subtiliter meditando, quoniam sit illa confortatio.

Primus fructus passionis Christi.

1) Apoc. 1, 5.

2) Colos. 2, 13, 14.

Secundus.

3) Ioan. 12, 31.

Tertius.

Quartus.

4) Rom. 5, 10.

2. Cor. 5, 18. Quintus.

5) Heb. 10, 19.

6) Num. 35, 25.

Patribus veteris testamenti ante Christi mortem caeli aditus non patuit; vide Iren. lib. 5. cap. 21. Tertul. lib. 4. adv. Marcionem. Orig. in cap. 5. ad rom.

1. Reg. 9. v. 24.

Quia de industria etc.

Matt. 27. v. 34.

Et cum gustasset, etc.

Christi passio verum sacrificium.

superavit. Deinde sacrificium Deo acceptissimum fuit; quod quum illi filius in ara crucis obtulit, patris iram atque indignationem prorsus mitigavit; atque hoc nomine Apostolus usus est, quum inquit: <sup>1</sup> *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Praeterea redemptio, de qua est apud apostolorum principem: <sup>2</sup> *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati;* et Apostolus docet: <sup>3</sup> *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum.*

1) Ephes. 5, 2.  
Redemptio.

2) I. Pet. 1, 18.  
19. Apocal. 5.  
Redemisti nos  
Domine, etc.  
nota illa 4. ex  
omni tribu, et  
lingua etc.

3) Gal. 3, 13.

16. *In Christi passione sunt omnium virtutum exempla.*

Sextus Christi  
passionis fructus.

Verum praeter haec immensa beneficia, illud etiam vel maximum consequuti sumus, ut in hac una passione omnium virtutum clarissima exempla habeamus: nam et patientiam, et humilitatem, et eximiam charitatem, et mansuetudinem, et obedientiam, et summam animi constantiam, non solum in perferendis propter iustitiam doloribus, sed etiam in morte oppetenda, ita ostendit, ut vere dicere possimus, Salvatorem nostrum, quaecumque vitae praecepta toto praedicationis suae tempore verbis nos docuit, ea omnia uno passionis die in se ipso expressisse. Atque haec breviter de Christi domini saluberrima passione et morte dicta sunt. Utinam vero haec mysteria in animis nostris assidue versentur, et una cum Domino pati, et mori, et sepeliri discamus; ut deinde, abiecta omni sorde peccati, ad novam vitam cum illo resurgentes, aliquando tandem, ipsius gratia et misericordia, digni simus, qui caelestis regni et gloriae participes efficiamur.



# DE QUINTO ARTICULO

## CAPUT VI.

DESCENDIT AD INFEROS, TERTIA DIE  
RESURREXIT A MORTUIS.

### 1. Pars huius articuli quo modo sit intelligenda.

Maxime quidem refert nosse gloriam sepul-  
turae Domini nostri Iesu Christi, de qua proxi-  
me dictum est; sed plus interest fidelis populi  
cognoscere illustres triumphos, quos ex devicto  
diabolo et spoliatis inferorum sedibus deporta-  
vit, de quibus simulque de resurrectione dicen-  
dum est: qui locus etsi separatim per se recte  
tractari possit, nos tamen, sanctorum patrum  
auctoritatem sequuti, eum cum descensu ad infe-  
ros coniungendum putavimus. Eius igitur priori  
parte hoc nobis credendum proponitur, Christo  
iam mortuo, eius animam ad inferos descendisse,  
ibique tamdiu mansisse, quamdiu eiusdem corpus  
in sepulcro fuit. His autem verbis simul etiam  
confitemur, eandem Christi personam eodem tem-  
pore et apud inferos fuisse, et in sepulcro iac-  
uisse. Quod quidem quum dicimus, nemini mirum  
videri debet: propterea quod, ut saepe iam do-  
cuimus, quamvis anima a corpore discesserit,  
numquam tamen divinitas vel ab anima, vel a  
corpore separata est.

Isa. XI. V. 10.  
Et erit sepul-  
crum eius glo-  
riosum.

Prioris partis  
quinti articuli  
sententia.

Christus eo-  
dem tempore  
in sepulcro, et  
apud inferos  
fuit.

Vide sect. 6.  
superioris ar-  
ticuli.

### 2. Quid hic inferorum vocabulo intelligendum sit.

Sed quoniam articuli explanationi plurimum  
lucis afferre potest, si parochus prius doceat,  
quid hoc loco inferorum vocabulo intelligendum  
sit, monere oportet, inferos hoc loco pro sepul-  
cro non accipi, ut quidam non minus impie quam  
imperite putaverunt. Superiori enim articulo  
Christum dominum sepultum esse edocti sumus;  
nec ulla causa erat, cur in fide tradenda, alio  
et quidem obscuriori loquendi genere idem a  
sanctis apostolis repeteretur: verum inferorum  
nomen abdita illa receptacula significat, in qui-  
bus animae detinentur, quae caelestem beatitu-

De multiplici  
vocis inferni  
significatione.  
Inferi quid si-  
gnificent.

dinem non sunt consequutae. Ita vero sacrae literae hanc vocem multis in locis usurparunt; nam apud Apostolum legimus: <sup>1</sup> *In nomine Iesu omne genu flecti caelestium, terrestrium, et infernorum*; et in actis apostolorum divus Petrus testatur <sup>2</sup> Christum dominum suscitatum, solutis doloribus inferni.

1) Philip. 2, 10.

2) Act. 2, 24.

Receptacula inferna animarum non sunt unius generis.

3) Matt. 25, 41.

Primus locus damnatorum.

Matt. 5, 22, 29, et 10, 28.

4) Apoc. 9, 11.

5) Pondera, torquentur,

qua torsione,

quia secundum Ambros.

serm. 20, super Beati immaculati.

Bernard.

Gregor.

2. Pet. 2. Angelis peccantibus etc.

Diabolus non habet poenam

sensus, sed solum damni usque ad diem

iudicii, et tunc utramque.

6) Luc. 16, 22.

7) Apocal. 21, 27.

Secundus locus animarum

est purgatorium.

Tertium animarum

receptaculum est

sinus Abrahae.

Christus liberavit omnes

animas patrum et omnes purgantes tunc ibi

existentes.

Anima Christi reipsa descendit ad inferos.

Ioan. 12, v. 32.

Cum exaltatus etc. Unde dicit

descendit ad inferos, non ad infernum.

8) Psal. 15, 10.

3. *Quot sint loca, quibus animae extra beatitudinem constitutae post mortem detinentur.*

Neque tamen ea receptacula unius et eiusdem generis sunt omnia. Est enim teterrimus et obsecurissimus carcer, <sup>3</sup> ubi perpetuo et inexstinguibili igne damnatorum animae simul cum immundis spiritibus torquentur, qui etiam <sup>4</sup> gehenna, <sup>5</sup> abyssus, et propria significatione <sup>6</sup> infernus vocatur. Praeterea est purgatorius ignis, quo piorum animae ad definitum tempus cruciatae expiantur, ut eis in aeternam patriam ingressus patere possit, <sup>7</sup> in quam nihil coinquinatum ingreditur. Ac de huius quidem doctrinae veritate, quam et scripturarum testimoniis et apostolica traditione confirmatam esse sancta concilia declarant, eo diligentius et saepius parochio disserendum erit, quod in ea tempora incidimus, quibus homines sanam doctrinam non sustinent. Tertium postremo receptaculi genus est, in quo animae sanctorum ante Christi domini adventum excipiebantur, ibique sine ullo doloris sensu, beata redemptionis spe sustentati, quieta habitatione fruebantur. Horum igitur piorum animas, quae in sinu Abrahae Salvatorem exspectabant, Christus dominus ad inferos descendens liberavit.

4. *Anima Christi non potentia tantum, sed reipsa ad inferos descendit.*

Nec vero existimandum est, eum sic ad inferos descendisse, ut eius tantummodo vis ac virtus, non etiam anima, eo pervenerit: sed omnino credendum est, ipsam animam re et praesentia ad inferos descendisse; de quo exstat firmissimum illud Davidis testimonium: <sup>8</sup> *Non derelinques animam meam in inferno.*

5. *Aliquid dignitati Christi ex eius descensu ad inferos detractum non est.*

Verum etsi Christus ad inferos descendit, nihil de eius summa potestate detractum est, neque eius sanctitatis splendor macula aliqua aspersus, quum potius hoc facto verissima esse omnia, quae de illius sanctitate celebrata erant, eumque filium Dei esse, quemadmodum antea tot prodigiis declaraverat, apertissime comprobatum sit: id quod facile intelligemus, si causas, cur Christus, et alii homines in ea loca venerint, inter se conferamus. Ceteri enim omnes captivi descenderant; ipse vero <sup>1</sup> inter mortuos liber et victor ad profligandos daemones, a quibus illi ob noxam inclusi et constricti tenebantur, descendit. Praeterea alii omnes, qui descenderunt, partim poenis acerbissimis torquebantur, partim vero, ut alio doloris sensu carerent, tamen Dei aspectu privati, et spe beatæ gloriæ, quam expectabant, suspensi torquebantur. At Christus dominus descendit, non ut aliquid pateretur, verum ut sanctos et iustos homines ex misera illius custodiae molestia liberaret, eisque passionis suæ fructum impertiret. Quod igitur ad inferos descendit, nulla prorsus de summa eius dignitate et potestate diminutio facta est.

6. *Quibus de causis Christus ad inferos descendere voluit.*

His expositis docendum erit, propterea Christum dominum ad inferos descendisse, ut ereptis daemonum spoliis, sanctos illos patres, ceterosque pios ex carcere liberatos secum adduceret in caelum, quod ab eo admirabiliter, summaque cum gloria perfectum est: statim enim illius aspectus clarissimam lucem captivis attulit, eorumque animas immensa laetitia gaudioque implevit: quibus etiam optatissimam beatitudinem, quae in Dei visione consistit, impertivit: quo facto id comprobatum est, quod latroni promiserat illis verbis: <sup>2</sup> *Hodie mecum eris in paradiso*. Hanc vero piorum liberationem Oseas tanto ante praedixerat in hunc modum: <sup>3</sup> *Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne*. Hoc etiam significavit

Greg. Nazianz. orat. 42.  
Alia fuit Christo causa descendendi ad inferos, quam aliis hominibus.

1) Psal. 87, 6.

Dam. lib. 3. cap. 22.  
Christus animas inferno extractas mox effecit beatas.

Quomodo latroni promissa eodem die beatitudo sit praestita.

2) Luc. 23, 43.

3) Os. 13, 14.

- 1) Zach. 9, 11. Zacharias propheta quum ait: <sup>1</sup> *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Idipsum denique expressit Apostolus illis verbis: <sup>2</sup> *Exspolians principatus, et potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.* Verum ut huius mysterii vim melius intelligamus, saepe illud memoria repetere debemus, pios homines non solum, qui post adventum Domini in lucem editi erant, sed qui illum post Adam antecesserant, vel qui usque ad finem saeculi futuri sunt, eius passionis beneficio salutem consequutos esse. Quamobrem, antequam ille moreretur ac resurgeret, caeli portae nemini umquam patuerunt; sed piorum animae quum e vivis excessissent, vel in sinum Abrahae deferebantur, vel, quod etiam nunc iis contingit, quibus aliquid diluendum et persolvendum est, purgatorii igne expiabantur. Est illa praeterea causa, cur descenderit ad inferos Christus dominus, ut ibi etiam, quemadmodum in caelo et in terris, vim suam potestatemque declararet; et omnino, <sup>3</sup> ut in nomine eius omne genu flecteretur caelestium, terrestrium, et infernorum. Quo loco quis summam Dei benignitatem in genus humanum non admiretur et obstupescat, qui non modo pro nobis acerbissimam mortem subire, sed infimas etiam terrae partes penetrare voluerit, ut sibi carissimas animas, inde ereptas, ad beatitudinem traduceret?

7. *Alterius partis quinti articuli sensus.*

- De glorioso resurrectionis Christi mysterio.
- 4) 2. Tim. 2, 8. Sequitur altera articuli pars, in qua explicanda quantum laborare parochus debeat, declarant illa Apostoli verba: <sup>4</sup> *Memor esto, dominum Iesum Christum resurrexisse a mortuis.* Quod enim Timotheo praecepit, idem etiam reliquis animarum curatoribus praeceptum esse, dubitandum non est. Ea autem articuli est sententia: postquam Christus dominus sexta feria, hora diei nona, in cruce spiritum emisit, et eadem die vespere sepultus est ab eius discipulis, <sup>5</sup> qui, Pilati praesidis permissu, corpus Domini e cruce depositum in propinqui horti monumen-

2) Colos. 2, 15. Passionis Christi fructus ad omnium temporum fideles est diffusus. Purgatorium ignem iudaeis ante Christi mortem fuisse persuasum colligitur ex 1. reg. 31, 23. Tob. 4, 11. 2. Mach. 12, 43. vide Aug. lib. de cura pro mortuis gerenda c. 2.

3) Philip. 2, 10.

Ubi sicut inferi.

De glorioso resurrectionis Christi mysterio.

4) 2. Tim. 2, 8.

5) Ioan. 19, 38.

tum novum intulerunt; tertio a morte die, qui fuit dominicus, <sup>1</sup> summo maue illius anima corpori iterum coniuncta est: atque ita is, qui tri-duum illud mortuus fuerat, ad vitam, ex qua moriens discesserat, rediit et surrexit.

<sup>1</sup> Matth. 28, 1.  
Marc. 16, 1.  
Luc. 24, 1. 2. 3.  
Ioan. 20, 11.

8. *Non aliena virtute, ut ceteri homines, sed propria vi Christus resurrexit.*

Sed resurrectionis voce non illud solum intelligendum est, Christum a mortuis excitatum esse, quod multis aliis commune fuit, sed sua vi ac virtute resurrexisse, quod proprium in illo fuit et singulare. Neque enim natura patitur, nec ulli homini concessum est, ut seipsum possit virtute sua a morte ad vitam revocare. Hoc vero summae Dei potestati tantummodo reservatum est, ut ex illis Apostoli verbis intelligimus: <sup>2</sup> *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Quae quoniam neque a Christi corpore in sepulcro, neque ab anima, quum ad inferos descendisset, seiuncta umquam fuit, divina vis tum in corpore inerat, qua animae iterum coniungi, tum in anima, qua ad corpus denuo reverti posset, qua et licuit sua virtute reviviscere atque a mortuis resurgere. Id vero David, spiritu Dei plenus, praedixit his verbis: <sup>3</sup> *Salvavit sibi dextera eius, et brachium sanctum eius;* deinde ipse Dominus divino oris sui testimonio confirmavit: <sup>4</sup> *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam; et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Iudaeis etiam ad confirmandam doctrinae veritatem dixit: <sup>5</sup> *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Quod quidem tametsi de templo illo magnifice ex lapidibus structo intelligerent, ille tamen, ut scripturae verbis eodem in loco declaratum est, dicebat de templo corporis sui. Quamvis autem in scripturis interdum legamus, <sup>6</sup> Christum dominum a Patre suscitatum esse, hoc ad eum ut ad hominem referendum est; quemadmodum illa rursus ad eundem, ut Deum, spectant, quibus significatur, eum sua virtute resurrexisse.

Sua vi Christus ab inferis est excitatus.  
Scot. 4. dist.  
43. qu. 3. Job  
7.

<sup>2</sup> 2. Cor. 13. 4.

<sup>3</sup> Psal. 97. 1.

<sup>4</sup> Ioan. 10. 17.  
18.

<sup>5</sup> Ioan. 2. 19.  
21.

<sup>6</sup> Act. 2. 24.  
Rom. 8. 11.

9. *Quomodo Christus primogenitus mortuorum dicatur, quum alii ante ipsum resuscitati noscantur.*

Sed illud etiam praecipuum Christi fuit, quod ipse primus omnium hoc divino resurrectionis beneficio affectus est. Nam in scripturis et <sup>1</sup> primogenitus ex mortuis, et <sup>2</sup> primogenitus mortuorum vocatur. Atque, ut est apud Apostolum, <sup>3</sup> *Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium: quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum: et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine; primitiae Christus, deinde ii, qui sunt Christi.* Quae quidem verba de perfecta resurrectione interpretanda sunt, qua ad immortalem vitam, omni prorsus necessitate moriendi sublata, excitamur. Atque in eo genere Christus dominus primum locum obtinet: nam, si de resurrectione loquimur, hoc est de reditu ad vitam, cui iterum moriendi necessitas adiuncta est, <sup>4</sup> ante Christum multi alii a mortuis excitati sunt; qui omnes tamen ea conditione revixerunt, ut eis iterum moriendum esset: at Christus dominus ita resurrexit, morte subacta et oppressa, ut mori amplius non posset: quod quidem apertissimo illo testimonio confirmatur: <sup>5</sup> *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur: mors illi ultra non dominabitur.*

10. *Quo modo, et qua ex causa, Christus in tertiam diem suam resurrectionem distulerit.*

Quod vero articulo additur: *tertia die*, parochus explanandum erit, ne fideles arbitrentur totos ipsos tres dies Dominum in sepulcro fuisse: nam quod integrum naturalem diem, partemque tum antecedentis tum consequentis diei, in sepulcro conditus est, ob eam rem verissime dicitur triduo in sepulcro iacuisse, ac tertia die a mortuis surrexisse. Ut autem divinitatem suam declararet, resurrectionem ad finem saeculi differre noluit; rursus vero, ut eum vere hominem, vereque mortuum esse crederemus, non statim post mortem, sed tertio die revixit; quod temporis spatium ad veram mortem comprobendam satis esse videbatur.

1) Col. I, 18.

2) Apoc. I, 5.

3) I. Cor. 15, 20. 21. 22. 23.

Tange illud. Matth. 27. v. 52.

Et multa corpora sanctorum etc. an resurrexerint immortales, vel ne, cum de Io. Baptista, qui fuit sanctus antequam natus, et talis de quod dicitur, inter natos mulierum, etc. cuius reliquiae inveniantur interris: ergo etc.

4) 3. Reg. 17. 22.

5) Rom. 6, 9.

Tertia die non simpliciter, sed secundum scripturas. Osee 6, 3. Iona 2, 1. Matt. 12, 40. Greg. Nys. orat. de resurrectione Christi. Alex. de Ales. par. 3. quaest. 20. mem. 3. art. 3.



11. *Quare patres constantinopolitanae synodi huic articulo clausulam adiecerint « secundum scripturas. »*

Patres constantinopolitanae synodi huic loco addiderunt: *secundum scripturas*. Quod quidem ab <sup>1</sup> Apostolo acceptum, in fidei symbolum propterea transtulerunt, quod resurrectionis mysterium maxime necessarium esse, idem Apostolus docuerit iis verbis: <sup>2</sup> *Si Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra; et si Christus non resurrexit, vana est fides vestra; adhuc enim estis in peccatis vestris*. Quare divus Augustinus, quum huius articuli fidem admiraretur, ita scripsit: *Non magnum est credere, quia mortuus est Christus; hoc et pagani et Iudaei et omnes iniqui credunt: hoc omnes credunt, quia mortuus est. Fides christianorum resurrectio Christi: hoc pro magno habemus, quia credimus eum resurrexisse*. Ex quo factum est, ut frequentissime <sup>3</sup> Dominus de sua resurrectione loquutus sit; ac numquam fere de passione sua cum discipulis colloquutus est, quin de resurrectione loqueretur; quare quum dixisset: <sup>4</sup> *Filius hominis tradetur gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur, et postquam flagellaverint, occident eum; ad extremum addidit: Et tertia die resurget; et quum Iudaei ab eo peterent, ut aliquo signo et miraculo doctrinam suam comprobaret, respondit, <sup>5</sup> nullum aliud signum eis datum iri, quam Ionae prophetae signum: <sup>6</sup> sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic futurum affirmavit filium hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus. Verum ut huius articuli vim et sensum melius perspiciamus, tria nobis investiganda et cognoscenda sunt. Primum quidem, quare necesse fuerit Christum resurgere; deinde quis resurrectionis finis et scopus sit; et quae ab ea utilitates et commoda in nos sint profecta.*

12. *Quas ob causas necesse fuerit Christum resurgere.*

Quod igitur ad primum attinet, necesse fuit eum resurgere, ut Dei iustitia ostenderetur, a quo maxime decebat eum extolli, qui, ut illi obtem-

1) I. Cor. 15, 3.

2) I. Cor. 15, 14, 17.

D. Augustin. in Psal. 120.

3) Matth. 16, 21, 17, 22.

4) Luc. 18, 32, 33.

5) Matth. 12, 39, 40. Lucae 11, 29.

6) Ioan. 2, 19.

Thom. 3, part. q. 53, art. 1, Psal. 63. Accedit homo ad

cor altum etc.  
Prima causa.

1) Philipp. 2,  
8. 9.

Secunda.

Tertia.

2) I. Cor. 15,

12.

3) I. Thess. 4,

13.

4) I. Pet. I, 3.4.

Quarta.

5) Rom. 4, 25.

peraret, depressus atque omni ignominia affectus erat. Hanc Apostolus causam attulit, quum ad Philippenses inquit: *1 Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum.*

Praeterea, ut fides nostra confirmaretur, sine qua hominis iustitia constare non potest; illud enim maximo argumento esse debet, Christum filium Dei fuisse, quod sua virtute a mortuis

resurrexit. Deinde, ut spes nostra aleretur atque sustentaretur. Cum enim Christus resurrexerit, certa spe nitimur fore, ut nos etiam resurgamus, siquidem membra capitis sui conditionem consequantur necesse est; ita enim Apostolus argumentationem concludere videtur, quum ad <sup>2</sup> Corinthios et <sup>3</sup> Thessalonicenses scribit; et a principe apostolorum Petro dictum est: *4 Benedictus Deus, et Pater domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis in hereditatem incorruptibilem.* Postremo ob eam etiam rem, Domini resurrectionem necessariam fuisse docendum est, ut salutis et redemptionis nostrae mysterium absolveretur. Christus enim morte sua nos a peccatis liberavit; resurgens vero praecipua nobis bona restituit, quae peccando amiseramus. Quare est apud Apostolum dictum:

*5 Christus traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram.* Ne quid igitur humani generis saluti deesset, quemadmodum illum mori, ita resurgere etiam oportuit.

13. Quae commoda ex resurrectione Christi ad homines redeant.

Utilitas resurrectionis Christi.

Primo.

Secundo.

Ex iis vero, quae hactenus dicta sunt, percipere possumus, quantum utilitatis Christi domini resurrectio fidelibus attulerit. In resurrectione enim, Deum esse immortalem, plenum gloria, mortis et diaboli victorem agnoscimus; quod de Christo Iesu sine ulla dubitatione credendum et confitendum est. Deinde, Christi resurrectio nobis etiam corporis resurrectionem

peperit; tum quia eius mysterii efficiens causa fuit, tum quia ad Domini exemplum resurgere omnes debemus. Nam quod ad corporis resurrectionem attinet, Apostolus ita testatur: <sup>1</sup> *Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum*; quaecumque enim Deus in redemptionis nostrae mysterio egit, ad omnia Christi humanitate, tamquam efficienti instrumento, usus est. Quare eius resurrectio instrumentum quoddam fuit ad resurrectionem nostram efficiendam. Exemplar vero dici potest, quoniam Christi domini resurrectio omnium est perfectissima; ac quemadmodum Christi corpus resurgens ad immortalem gloriam immutatum est, <sup>2</sup> ita nostra etiam corpora, quae prius imbecilla et mortalia fuerant, gloria et immortalitate ornata restituentur. Ut enim Apostolus docet: <sup>3</sup> *Salvatorem exspectamus dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*. Hoc etiam de anima in peccatis mortua dici potest, cui quo pacto Christi resurrectio exemplar proponatur, idem Apostolus iis verbis ostendit: <sup>4</sup> *Quo modo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus*; et paucis interiectis, inquit: <sup>5</sup> *Scientes, quod Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu*.

14. *Quae ex Christi resurrectione exempla sint sumenda.*

Duo igitur a Christi resurrectione exempla petere debemus. Alterum est, ut, postquam peccati maculas eluimus, novum vitae genus instituamus, in quo morum integritas, innocentia, sanctitas, modestia, iustitia, beneficentia, humilitas eluceant. Alterum est, ut eo vitae instituto ita perseveremus, ut adiuvante Domino, a iusti-

<sup>1</sup> I. Cor. 15, 21.

Resurrectio Christi defunctis est vita, peccatoribus venia, sanctis est gloria. Ambr. ser. 52.

<sup>2</sup> I. Cor. 15, 42.

<sup>3</sup> Philipp. 3, 20, 21.

Tertio.

<sup>4</sup> Rom. 6, 4-5.

<sup>5</sup> Ibid. 9, 10, 11.

x) Rom. 6, 4, 5.  
Christi resurre-  
ctio corpora-  
lis nos ad spiri-  
tualem hor-  
tatur resurre-  
ctionem.

tiae via, quam semel ingressi fuerimus, non ex-  
daci- mus. Neque vero <sup>1</sup> Apostoli verba id solum  
demonstrant, Christi resurrectionem ad resur-  
rectionis exemplum nobis proponi; verum etiam  
resurgendi virtutem nobis praeberere, viresque et  
spiritum largiri, quo in sanctitate et iustitia  
permaneamus, ac Dei praecepta servemus, de-  
clarant. Nam quemadmodum ex eius morte non  
solum peccatis moriendi exemplum capimus, sed  
virtutem etiam haurimus, qua peccatis moria-  
mur; ita eius resurrectio ad iustitiam consequen-  
dam nobis vires affert, ut deinde pie et sancte  
Deum colentes, in novitate vitae ambulemus, ad  
quam resurgimus. Hoc enim maxime resurre-  
ctione sua Dominus effecit, ut qui antea una  
cum illo peccatis et huic saeculo mortui eramus,  
cum illo etiam ad novam vitae institutionem et  
disciplinam resurgeremus.

15. *Quibus indiciis colligatur, aliquem secundum spi-  
ritum cum Christo surrexisse.*

Quae sint si-  
gna resurre-  
ctionis nostrae  
spiritualis.  
2) Col. 3, 1.

Huius resurrectionis quae potissimum signa  
observanda sint, Apostolus nos admonet; nam  
quum inquit: <sup>2</sup> *Si consurrexistis cum Christo,  
quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in  
dextera Dei sedens*; plane ostendit, eos, qui  
vitam, honores, otium, divitias ibi maxime, ubi  
Christus est, habere cupiunt, vere cum Christo  
surrexisse; quum vero addit: <sup>3</sup> *Quae sursum sunt  
sapite, non quae super terram*, alteram etiam  
hanc veluti notam apposuit, qua perspicere pos-  
simus, num vere cum Christo surrexerimus. Ut  
enim corporis affectionem et valetudinem gustus  
indicare solet; ita, <sup>3</sup> si quaecumque sunt vera,  
quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecum-  
que sancta alicui sapiant, isque caelestium re-  
rum iucunditatem intimo mentis sensu percipiat,  
hoc maximo argumento esse potest, eum, qui  
ita affectus sit, ad novam et spiritualem vitam  
una cum Christo Iesu surrexisse.

3) Ibid. 3, 2.

4) Phil. 4, 8.

## DE SEXTO ARTICULO

### CAPUT VII.

ASCENDIT AD CAELOS, SEDET AD DEXTERAM  
DEI PATRIS OMNIPOTENTIS.

*1. Huius articuli excellentia, et primae partis  
sententia.*

David propheta, quum beatam et gloriosam Domini ascensionem spiritu Dei plenus contempleretur, omnes ad eum triumphum summa laetitia et gaudio celebrandum illis verbis hortatur, quum inquit: <sup>1</sup> *Omnes gentes plaudite manibus, <sup>2</sup> Ps. 46, 2. 6. iubilate Deo in voce exsultationis. Ascendit Deus in iubilatione.* Ex quo intelliget parochus, maximo studio hoc mysterium explicandum esse, sibi que diligenter curandum, ut fideles illud non solum fide et mente percipiant, sed, quoad eius fieri poterit, iuvante Domino, factis etiam et vita exprimere studeant. Quod igitur ad sexti articuli explanationem attinet, in quo potissimum de divino hoc mysterio agitur, a priori eius parte incipiendum est, et quae eius sit vis atque sententia, aperiendum. De Christo enim Iesu illud etiam fideles sine ulla dubitatione credere oportet, eum, perfecto iam et absoluto redemptionis nostrae mysterio, ut homo est, in caelum corpore et anima ascendisse; nam, ut Deus est, numquam ab eo abfuit, ut qui divinitate sua loca omnia compleat.

*2. Non solum divinitatis virtute Christus ascendit,  
sed vi etiam humanitatis.*

Ascendisse autem eum sua virtute doceat, non aliena vi sublatum, quemadmodum <sup>2</sup> Elias <sup>3) 4. Reg. 2, 11, 12.</sup> qui igneo curru in caelum evectus est, <sup>3</sup> vel Habacuc propheta, vel <sup>4</sup> Philippus diaconus, qui <sup>4) Act. 8, 39.</sup> divina virtute per aerem delati, longinqua terrarum spatia permearunt. Neque vero solum, ut Deus, praepotenti divinitatis virtute in caelos ascendit, sed etiam ut homo est. Quamvis enim naturali vi id fieri non potuerit, tamen

virtus illa, qua beata Christi anima praedita erat, corpus, ut libuit, movere potuit: corpus vero, quod iam gloriam adeptum erat, moventis animae imperio facile parebat; atque hac ratione, ut Deus, et ut homo est, Christum in caelum sua virtute ascendisse credimus.

Sedere denotat possessionem, et quietem gloriae, non positionem corporis, quia Christus stat, et non sedet, sicut et omnes beati stabunt, et non sedebunt, quia sedere imbecillitatis est, stare vero est naturalis situs hominis perfectus.

Scot. 4. dist. 4. r. q. 13. Caiet. in Marc. 16.

Sedere ad dexteram Dei quid denotet. Vide Athan. ser. 1. contra Arian. Basil. lib. de Spiritu sancto c. 6. Dam. lib. 1. c. 2. Sedere ad dexteram Dei, soli Christo est tributum.

1) Ephes. 1, 20. 21. 22.

2) Ps. 8, 8.

Sedere ad dexteram meam, non est meum dare vobis.

3) Heb. 1, 13.

4) Ps. 109, 1.

5) Actuum 1. per totum fere cap.

3. *Quo sensu Christus posteriore articuli parte dicitur sedere ad dexteram Dei patris.*

In altera articuli parte haec sunt: *Sedet ad dexteram Dei patris*; quo loco tropum, idest, verbi immutationem licet animadvertere, frequentem in divinis litteris, quum humanas affectiones et membra, ad nostram intelligentiam accommodantes, Deo tribuimus; neque enim, quum spiritus sit, quidquam in eo corporeum cogitari potest. Sed quoniam in humanis rebus ei maiorem honorem tribui existimamus, qui ad dexteram collocatus est; eandem rem ad caelestia etiam transferentes, ad explicandam Christi gloriam, quam ut homo prae ceteris omnibus adeptus est, eum in Patris dextera esse confitemur.

*Sedere* autem hoc loco non situm et figuram corporis significat, sed eam regiae summaeque potestatis ac gloriae firmam et stabilem possessionem, quam a Patre accepit, declarat; de quo ait Apostolus: *1 Suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in caelestibus supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo sed etiam in futuro; et 2 omnia subiecit sub pedibus eius.* Ex quibus verbis apparet, hanc gloriam adeo propriam et singularem Domini esse, ut cuius alii creatae naturae convenire non possit. Quare alio loco testatur: *3 Ad quem autem angelorum dixit aliquando: 4 Sede a dextris meis?*

4. *Quare ascensionis Christi historia frequentius apud populum sit repetenda.*

Sed articuli sensum parochus latius explicabit, ascensionis historiam persequens, quam sanctus Lucas evangelista in <sup>5</sup> actis apostolorum admirabili ordine descripsit. In cuius explica-

tione illud primum observare oportebit, cetera omnia mysteria ad ascensionem, tamquam ad finem, referri, in eoque omnium perfectionem et absolutionem contineri; nam, ut ab incarnatione Domini omnia religionis nostrae mysteria initium habent, ita ascensione eius peregrinatio concluditur. Praeterea alia symboli capita, quae ad Christum dominum pertinent, summam eius humilitatem et contemptionem ostendunt; neque enim abiectius aut humilius quidquam cogitari potest, quam quod filius Dei pro nobis humanam naturam et imbecillitatem assumpserit, patique et mori voluerit. At vero, quod tum superiori articulo a mortuis resurrexisset, nunc vero in caelum ascendisset, et ad Dei patris dexteram sedere confitemur; nihil ad eius summam gloriam divinamque maiestatem declarandam magnificentius dici aut admirabilius potest.

Ad ascensionem omnia Christi mysteria diriguntur.

5. *Cur Christus in caelum ascenderit, nec in terra potius regnum suum constituerit.*

Iam his expositis accurate docendum est, cuius rei causa Christus dominus in caelos ascenderit. Primum enim ascendit, propterea quod eius corpori, quod immortalitatis gloria in resurrectione donatum fuerat, non terrenae huius et obscurae habitationis locus, sed altissimum et splendidissimum caeli domicilium conveniret. Nec vero solum, ut eius gloriae et regni solio potiretur, quod sanguine meruerat, verum etiam ut ea, quae ad salutem nostram pertinebant, curaret: deinde, <sup>1</sup> ut *regnum suum non esse ex hoc mundo* reipsa comprobaret; nam mundi regna terrena et fluxa sunt, magnisque opibus et carnis potentia nituntur; Christi vero regnum non terrenum, quale iudaei expectabant, sed spirituale et aeternum. Itemque eius opes et divitias spirituales esse ipse ostendit, quum suam sedem in caelis collocavit; in quo quidem regno ii ditiores, et omnium bonorum copia affluentiores existimandi sunt, qui ea quae Dei sunt, diligentius quaerunt: nam et sanctus Iacobus testatur, <sup>2</sup> Deum elegisse pauperes in hoc mundo, divites in fide, et heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se. Sed

Christi in caelum ascensionis causae. Prima.

Secunda. Tertia.

<sup>1</sup>) Ioan. 18, 36. Vide secundi art. sect. septimam. Christi regnum non terrenum, sed spirituale.

Qui ex hominibus sint in regno Christi ditiores.

<sup>2</sup>) Iacob. 2, 5.

Quarta.

illud etiam Dominus noster in caelum ascendens efficere voluit, ut nos eundem ascendentem mente et desiderio prosequeremur. Nam quemadmodum morte et resurrectione sua moriendi et resurgendi spiritu exemplum nobis reliquerat, ita ascensus nos docet atque instruit, ut in terris positi in caelum nos cogitatione conferamus, <sup>1</sup> confitentes nos peregrinos et hospites esse super

1) Heb. 11, 13.

2) Ephes. 2, 19.

3) Phil. 3, 29.

terram, ac patriam inquirentes, <sup>2</sup> cives esse sanctorum et domesticos Dei. <sup>3</sup> Nostra enim, ut idem inquit Apostolus, conversatio in caelis est.

6. *Quae beneficia ex Christi ascensione hominibus sint collata.*

Quanta redeunt ad nos commoda ex ascensione Domini.

4) Ps. 67, 29.

5) Eph. 4, 8.

Primum.

Mittit Spiritum sanctum.

6) Act. 3, per tot.

7) Ioan. 16, 7.

Secundo.

Advocatum agit.

8) Heb. 9, 24.

9) Ioan. 2, 1, 2.

Tertio.

Spem nostram erigit de remissione peccatorum.

Quarto.

10) Io. 14, 2, 3.

Locus amicis apparat, et viam ad caelum praestruit. Tange instantiam ex Ioan. 3. Nemo ascendit etc.

Iam vero vim et magnitudinem inexplicabilium bonorum, quae in nos Dei benignitas effudit, divinus <sup>4</sup> David, <sup>5</sup> Apostolo interprete, multo ante cecinerat illis verbis: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*; nam decimo die <sup>6</sup> Spiritum sanctum dedit, cuius virtute atque ubertate complevit praesentem illam fidelium multitudinem, et vere tum magna illa promissa persolvit: <sup>7</sup> *Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos*. Ascendit etiam in caelum ex Apostoli sententia, <sup>8</sup> ut appareat nunc vultui Dei pro nobis, et apud Patrem advocati officio fungatur. <sup>9</sup> *Filioli mei, inquit sanctus Ioannes, haec scribo vobis, ut non peccetis; sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris*. Nec vero quidquam est, unde fideles maiorem laetitiam et animi iucunditatem capere debeant, quam Iesum Christum patronum causae, ac deprecatorem salutis nostrae constitutum esse, cuius sit apud aeternum Patrem summa gratia et auctoritas. <sup>10</sup> Paravit denique nobis locum, quod etiam se facturum promiserat, atque omnium nostrum nomine caput ipse Iesus Christus venit in caelestis gloriae possessionem: nam in caelum abiens, portas, quae Adami peccato interclusae fuerant, patefecit, nobisque viam munivit, qua ad caelestem beati-

10) Io. 14, 2, 3.

Locus amicis apparat, et viam ad caelum praestruit. Tange instantiam ex Ioan. 3. Nemo ascendit etc.



tudinem perveniremus, <sup>1</sup> quemadmodum ipse in coena discipulis futurum praedixerat. Quod quidem ut rei etiam eventu aperte comprobaret, priorum animas, quas ab inferis eripuerat, secum in aeternae beatitudinis domicilium introduxit.

1) Ioan. 16, 7.  
Quinto.  
Captivam duxit captivitatem.

7. *Commoda, quae Christus sua ascensione nobis attulit.*

Hanc caelestium munerum admirabilem copiam salutaris illa commodorum series consequuta est: primum enim, fidei nostrae merito maximus cumulus accessit; nam fides earum rerum est, quae sub aspectu non cadunt, atque ab hominum ratione ac intelligentia remotae sunt. Quare si Dominus a nobis non discessisset, fidei nostrae meritum minueretur: siquidem a Christo domino <sup>2</sup> beati praedicantur, qui non viderunt, et crediderunt. Praeterea Christi in caelum ascensus ad confirmandam spem in cordibus nostris magnum momentum habet; nam, quoniam Christum hominem in caelum ascendisse, et humanam naturam in dexteram Dei patris collocasse credimus, magna in spe sumus fore, ut nos etiam eius membra illuc ascendamus, atque ibi cum capite nostro coniungamur; quod ipse Dominus his verbis testatus est: <sup>3</sup> *Pater, quos dedisti mihi, volo ut, ubi sum ego, et illi sint mecum.* Deinde hoc quoque vel maximum beneficium consequuti sumus, quod amorem nostrum ad caelum rapuit, ac divino spiritu inflammavit: nam verissime dictum est, <sup>4</sup> ibi cor nostrum esse, ubi thesaurus noster est.

Primo.  
Fidem nostram confirmat, et merito auget.

2) Ioan. 20, 29.  
Secundo.  
Beatitudinis nostrae expectationem certam facit.

3) Ioan. 17, 24.  
Tertio.  
Charitatem nostram promovit, et affectum a terrenis ad caelestia sustulit.  
4) Matth. 6, 21.  
Lucae 12, 34.

8. *Non fuit nobis utile Christum in terris manere.*

Ac profecto, si Christus dominus in terris versaretur, omnis nostra cogitatio in ipso hominis aspectu et consuetudine defixa esset; et illum dumtaxat hominem spectarem, qui nos tantis beneficiis afficeret, eumque terrena quadam benevolentia prosequeremur; <sup>5</sup> verum in caelum ascendens, amorem nostrum spirituales reddit, effecitque, ut, quem nunc absentem cogitamus, eum, ut Deum, veneremur et diligamus. Id autem partim apostolorum exemplo intelligimus, quibus dum praesens affuit Dominus, hu-

5) 2. Cor. 5, 16.  
Est elevatus in caelum, ut nos divinitatis suae tribueret esse participes. Praefatio de Christi ascen.

mano fere sensu de illo iudicare videbantur; partim vero ipsius Domini testimonio confirmatum est, quum inquit: <sup>1</sup> *Expedit vobis, ut ego vadam*. Nam imperfectus ille amor, quo Christum Iesum praesentem diligebant, divino amore perficiendus erat, idque Spiritus sancti adventu; quare statim addit: *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos*.

9. *Post Christi ascensionem ecclesia maxime amplificata fuit.*

Accedit etiam, quod in terris domum suam, idest ecclesiam, amplificavit, quae Spiritus sancti virtute et ductu gubernaretur; <sup>2</sup> eius vero universae inter homines pastorem et summum antistitem Petrum apostolorum principem reliquit; tum vero dedit quosdam quidem <sup>3</sup> apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores; atque ita ad dexteram Patris sedens aliis atque aliis diversa dona semper impertitur: nam testatur Apostolus, <sup>4</sup> unicuique nostrum datam esse gratiam, secundum mensuram donationis Christi. Ad extremum vero quod antea de mortis et resurrectionis mysterio docuimus, idem etiam de ascensu fidelibus cogitandum est: quamvis enim Christi passioni salutem et redemptionem nostram debeamus, qui merito suo aditum iustis ad caelum aperuit; tamen eius ascensus non solum veluti exemplar nobis propositus est, quo alte spectare et spiritu in caelum ascendere discamus, sed divinam etiam virtutem, qua id efficere possimus, largitus est.

2) Ioan. 21, 15.

Petrus universae ecclesiae pastor relictus.

3) I. Cor. 12, 28.

Christus quotidie ecclesiam suis donis auget.

4) Ephes. 4, 7.

Ascensio Christi nobis ascendendi virtutem praestat.

# DE SEPTIMO ARTICULO

## CAPUT VIII.

INDE VENTURUS EST IUDICARE VIVOS  
ET MORTUOS.

### 1. *Christi tria in suam ecclesiam beneficia, et articuli septimi sententia.*

Tria sunt domini nostri Iesu Christi ad suam ecclesiam decorandam et illustrandam insignia officia et munera, redemptionis, patrocini, et iudicii. Quum autem superioribus articulis ab eo genus humanum passione et morte redemptum esse, ascensu etiam in caelum nostram causam et patrocinium in perpetuum susceptum, constet: sequitur, ut eius iudicium hoc articulo declaretur, cuius articuli ea vis est et ratio, summo illo die Christum dominum de universo hominum genere iudicaturum esse.

Christi tria insignia in suam ecclesiam beneficia.

Articuli septimi sensus.

### 2. *Duplex est Christi adventus.*

Sacrae enim litterae duos filii Dei adventus esse testantur: alterum, quum salutis nostrae causa carnem assumpsit, et homo in Virginis alvo effectus est; alterum, quum in consummatione saeculi ad iudicandos omnes homines veniet. Hic adventus in sacris litteris <sup>1</sup> dies Domini appellatur, de quo ait Apostolus: <sup>2</sup> *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet*; et Salvator ipse: <sup>3</sup> *De die autem illa et hora nemo scit*. Ac de summo iudicio satis sit illa auctoritas Apostoli: <sup>4</sup> *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*. Plena enim est sacra <sup>5</sup> scriptura testimoniorum, quae passim parochis occurrent, ad rem non solum comprobendam, sed etiam fidelium oculis subiiciendam: ut, quemadmodum a mundi initio dies ille Domini, quo humanam carnem induit, omnibus optatissimus semper fuit, quod in eo mysterio liberationis suae spem positam haberent; ita deinceps post filii Dei mortem et ascensum in

1) 2. Pet. 3, 10.

2) 1. Thess. 5, 2.

3) Matt. 24, 36.

4) 2. Cor. 5, 10.  
Rom. 14, 10.

5) 1. Reg. 2, 10.

Ps. 95, 13. et

97, 9.

Isa. 2, 12.

Ierem. 46, 10.

Dan. 7, 26.

Joel. 2, 1. 31.

Soph. 1, 7. 14.

Malac. 4, 1.

Matth. 13, 40.

Lucas 17, 24.

Act. 1, 11. et  
3, 20.  
Rom. 2, 16.  
1. Cor. 15, 51.  
1. Thess. 1, 10.  
2. Thess. 1, 10.  
Apoc. 20, 11.  
1) Tit. 2, 13.  
Aug. toto libro  
20. de Civ. Dei.  
Duplex cuius-  
que hominis  
iudicium, par-  
ticulare, et ge-  
nerale.

2) Hebr. 9, 27.  
Aug. lib. 2. de  
anima cap. 4.

3) Matt. 25, 32.

Causae ob  
quas privato  
iudicio uni-  
versale subii-  
ciatur.

Prima ratio.  
Mortuorum  
praemia vel  
poenae augen-  
tur virtutibus,  
et vitiis suo-  
rum sectato-  
rum, vide Ba-  
silium lib. de  
sancta virgin.  
ante medium.  
Scot. 4. dist. 47.  
qu. 1.  
Th. 3. par. qu.  
59. art. 5.

caelum, alterum diem Domini vehementissimo studio desideremus, <sup>1</sup> expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei.

3. *Quoties quilibet homo Christi iudicis sententiam coram subire debeat.*

Sed duo tempora parochis ad rei explicatio- nem observanda sunt, in quibus unicuique neces- se est in conspectum Domini venire, et singu- larum cogitationum, actionum, verborum deni- que omnium rationem reddere, demumque iudi- cis praesentem subire sententiam. Primum est,

<sup>2</sup> quum unusquisque nostrum migrat e vita: nam statim ad Dei tribunal sistitur, ibique de omni- bus iustissima quaestio habetur, quaecumque aut egerit, aut dixerit, aut cogitarit umquam; atque hoc privatum iudicium vocatur. Alterum vero,

<sup>3</sup> quum, uno die atque uno in loco, omnes simul homines ad tribunal iudicis stabunt, ut, omni- bus omnium saeculorum hominibus inspectanti- bus et audientibus, singuli, quid de ipsis decre- tum et iudicatum fuerit, cognoscant: cuius sen- tentiae pronuntiatio impiis et scelestis homini- bus non minima futura est poenarum et sup- pliciorum pars; rursus vero pii et iusti non parvum ex ea praemium fructumque percepturi sunt, quum, qualis quisque in hac vita fuerit, apparet: hoc autem generale iudicium appellatur.

4. *Cur necesse fuerit privato iudicio generale subiicere.*

De quo illud necessario ostendendum est, cur praeter privatum de singulis, alterum etiam de universis hominibus iudicium exerceretur. Nam, quum vel ipsis hominibus mortuis interdum superstitibus sint filii parentum imitatores, reliqui sint liberi, discipuli, exemplorum, orationum, actionum amatores ac propugnatores, quibus re- bus ipsorum mortuorum praemia et poenas au- geri necesse est; quum haec vel utilitas vel ca- lamitas ad plurimos pertinens, non prius finem habitura sit, quam extremus veniat mundo dies; aequum erat de universa hac recte aut perpe- ram factorum dictorumque ratione perfectam quaestionem haberi: quod fieri non poterat, nisi facto communi omnium hominum iudicio.

Accedit etiam quod, quum piorum fama saepe laedatur, impii vero innocentiae laude commendentur, divinae iustitiae ratio postulat, ut pii ereptam iniuria apud homines existimationem in publico universorum hominum conventu et iudicio recuperent.

Deinde vero boni et mali homines, quaecumque in vita egerunt, quum non sine corporibus egerint, omnino sequitur, ut benefacta sive malefacta ad corpora etiam pertineant, quae actionum ipsarum instrumentum fuerunt. Maxime igitur conveniebat, corporibus una cum eorum animis debita aeternae gloriae praemia aut supplicia impertiri: quod quidem neque sine omnium hominum resurrectione, neque sine generali iudicio fieri poterat.

Postremo, quoniam in adversis et secundis hominum rebus, quae promiscue nonnumquam bonis et malis eveniunt, probandum erat nihil non infinita Dei sapientia et iustitia geri ac gubernari; par fuit non solum bonis praemia, improbans supplicia in futuro saeculo constitui, verum etiam publico ac generali iudicio decerni; quo omnibus notiora et illustriora fierent, atque ut Deo iustitiae et providentiae laus ab omnibus tribueretur, pro iniusta illa querela, qua sancti etiam viri deplorare interdum, ut homines, solebant, quum improbos valentes opibus et honoribus florentes animadverterent: nam Propheta, <sup>1</sup> *Mei, inquit, paene moti sunt pedes, paene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns; et paulo post: <sup>2</sup> Ecce ipsi peccatores, et abundantes in saeculo, obtinuerunt divitias, et dixi: Ergo sine causa iustificavi cor meum; et lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.* Atque haec frequens querela <sup>3</sup> multorum fuit. Ergo necesse erat, ut generale iudicium exerceretur, ne forte homines dicerent, <sup>4</sup> Deum circa cardines caeli perambulantem non curare terrena. Haec autem veritatis formula iure una ex duodecim fidei christiana articulis constituta est; ut, si quorum animi

Secunda, ut laudem pii, ignominiam impii palam consequantur. Haec ratio sumitur ex Rom. 2, 6. 5. et 1. Cor. 4.

Tertia, ut corpora vel praenium vel poenam cum animo ex aequo participant. Ath. in symb. Ps. 36. et 61 2. Cor. 5.

Quarta, ut divinae providentiae ratio omnibus constet, haec ratio sumitur ex Eccl. 9, 1. 2. 3. Ps. 9.

1) Ps. 72, 2. 3.

2) Idem 72, 12. 13. 14.

3) Iob 21, 7. Ier. 12, 1. 2. Abac. 1, 13.

4) Iob 22, 14.

Quinta, ut boni perseverarent, et mali resipiscerent.

1) Matt. 24, 30.

2) Act. I, 11.

Christus etiam ut homo index omnium constitutus est.

3) Io. 5, 26, 27. Aug. in Ioan. tract. 21, et 1. de trin. c. 13.

Index Christus corporeis oculis videbitur.

Aug. de verbis Domini sermon. 46.

in providentia et iustitia Dei nutarent, huius doctrinae ratione confirmarentur. Praeterea proposito iudicio pios recreari, impios terri oportebat, ut cognita Dei iustitia, illi ne deficerent, hi a malis, aeterni supplicii metu atque expectatione, revocarentur. Quare Dominus et salvator noster, <sup>1</sup> quum de extremo die loqueretur, declaravit futurum aliquando generale iudicium: signaque adventantis eius temporis descripsit, ut quum illa viderimus, finem saeculi prope esse intelligamus; ac deinde in caelum ascendens angelos misit, qui apostolos, eius absentia moerentes, his verbis consolarentur: <sup>2</sup> *Hic Iesus; qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum.*  
5. *Iuxta utramque naturam Christo tributa est potestas iudicandi genus humanum.*

Verum Christo domino non solum ut Deo, sed etiam ut homini hoc iudicium datum esse, sacrae litterae declarant: quamvis enim iudicandi potestas omnibus sanctae trinitatis personis communis sit, praecipue tamen Filio eam tribuimus, quod ipsi quoque sapientiam convenire dicimus. Quod autem, ut homo, mundum iudicaturus sit, Domini testimonio confirmatur, qui inquit: <sup>3</sup> *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso, et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.*

6. *Cur perinde Patri vel Spiritui sancto hoc iudicium non adscribatur.*

Dcebat autem maxime a Christo domino hoc iudicium exerceri, ut, quum de hominibus decernendum esset, illi corporeis oculis iudicem videre, et auribus sententiam, quae proferebatur, audire possent, et omnino iudicium illud sensibus percipere. Ac praeterea aequissimum erat, ut homo ille, qui iniquissimis hominum sententiis condemnatus fuerat, omnium deinde iudex sedere ab omnibus conspiceretur. Quamobrem apostolorum princeps, quum in Cornelli domo summa christianae religionis capita exposuisset, docuissetque Christum a Iudaeis in ligno suspen-

sum atque occisum, tertia vero die ad vitam resurrexisse, subiunxit: <sup>1</sup> *Et praecepit nobis praedicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum.*

1) Act. 10, 42.

7. *Quibus iudiciis extremum iudicium imminere agnossetur.*

Sed tria haec praecipua signa iudicium antecessura esse sacrae litterae declarant, praedicationem evangelii per universum orbem, discessionem, antichristum; ait enim Dominus: <sup>2</sup> *Praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio; et Apostolus nos admonet, ne ab aliquo seducamur, quasi instet dies Domini: <sup>3</sup> Quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, iudicium non fiet.*

Signa iudicium praecessura.

Dam. de fide orth. lib. 4. c. 27.

2) Matt. 24, 14. Aug. de serm. Domini in monte, lib. 2. et cap. 8. ad Hesich.

3) 2. Thess. 2, 3. Aug. lib. 20. de Civ. Dei cap. 19.

8. *Quo modo fiet iudicium, quaque ratione de omnibus feretur sententia.*

Quae autem iudicii forma et ratio futura sit, parochis, ex <sup>4</sup> Danielis oraculis, tum ex sanctorum evangeliorum <sup>5</sup> et Apostoli doctrina facile erit cognoscere. Praeterea sententia, quae a iudice pronuncianda sit, diligentius hoc loco expendenda erit. Christus enim salvator noster, laetis oculis pios a dextera stantes intuens, ita de illis iudicium summa cum benignitate pronuntiabit: <sup>6</sup> *Venite, benedicti patris mei; possidete regnum, quod paratum est vobis a constitutione mundi.* Quibus verbis nihil iucundius audiri posse illi intelligent, qui ea cum impiorum damnatione contulerint, ac cum animo suo cogitaverint iis verbis pios et iustos homines a laboribus ad quietem, a lacrimarum valle ad summum gaudium, a miseriis ad perpetuam beatitudinem, quam illi charitatis officiis promeriti fuerint, vocari.

Iudicii forma.

4) Dan. 7, 9.

5) Matt. 24, 30. Marc. 13, 26. 2. Thess. 2, 11.

Iudicis sententia piis laeta, impiis horribilis.

6) Matt. 25, 34. Vide Aug. ser. 37, de sanctis, et Cyrillum Alex. in orat. de exitu animae.

9. *Quibus poenarum generibus impii afficientur.*

Deinde ad eos, qui a sinistra stabunt, conversus, suam iustitiam in eos effundet his verbis:

<sup>7</sup> *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis eius.* Prioribus illis verbis: *discedite a me*, maxima poena

7) Ibid. 41.

Duplex impiorum poena una, quae est

damni, et altera sensus: de poena damni vide Chrys. homil. 23. in Math. Aug. in Enchir. cap. 112.

significatur, qua impii plectendi erunt, quum a Dei aspectu quam longissime eiicientur; neque ulla spes eos consolari poterit, fore aliquando, ut tanto bono perfruantur: atque haec quidem a theologis poena damni appellata est, quod scilicet impii apud inferos divinae visionis luce perpetuo carituri sint. Quod vero additur: *maledicti*, mirum in modum auget illorum miseriam et calamitates: si enim, quum a divina praesentia expellendi essent, aliqua saltem benedictione digni haberentur, hoc profecto magno eis solatio esse potuisset; at quoniam nihil huiusmodi ipsis expectandum est, quod calamitatem leviolem faciat, iure optimo, quum expellentur, divina iustitia eos omni maledictione persequetur.

10. De poena sensus, et societate damnatorum.

Poena sensus quanta futura sit. Aug. ser. 181. de tempore, et in lib. de triplici habit. cap. 2. Greg. lib. 9. moral. c. 46. et lib. 4. dialog. c. 28. Scot. 14. dist. 44. q. 2. et 3. Job 26.

Socii poenarum non lenient poenas inferni.

Solatium est miserorum socios habere poenarum in mundo, non in inferno. Sententiae illius acerbissimae aequitas.

Sequitur deinde: *in ignem aeternum*; quod quidem alterum poenarum genus poenam sensus theologi vocarunt, propterea quod sensu corporis percipiatur, ut in verberibus et flagellis, aliove graviore suppliciorum genere, inter quae dubitari non potest, ignis tormenta summum doloris sensum efficere: cui malo quum accedat, ut perpetuum tempus duraturum sit, ex eo ostenditur, damnatorum poenam omnibus suppliciiis cumulandam esse; atque hoc magis declarant verba illa, quae in extrema sententiae parte posita sunt: *Qui paratus est diabolo, et angelis eius*. Quum enim ita comparatum sit, ut omnes molestias levius feramus, si calamitatis nostrae socium aliquem et consortem habeamus, cuius prudentia atque humanitate aliqua ex parte iuvare possimus: quae tandem erit damnatorum miseria, quibus in tantis aerumnis a perditissimorum daemonum societate divelli numquam licebit? Et haec quidem sententia in impios iustissime a Domino salvatore nostro feretur, ut qui omnia verae pietatis opera neglexerint, et esurienti ac sitiendi nec cibum nec potum ministraverint, hospitem non exceperint, nudum non operuerint, aut in carcere inclusum aegrumque non visiterint.



11. *Iudicii materia saepius fidelis populi auribus inculcari debet.*

Haec sunt, quae pastores fidelis populi auribus saepissime inculcare debent. Nam huius articuli veritas, fide concepta, maximam vim habet ad frenandas pravas animi cupiditates, atque a peccatis homines abstrahendos. Quare in Ecclesiastico dictum est: <sup>1</sup> *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* Ac profecto vix quisquam adeo praeceptum in scelera feretur, quem illa cogitatio ad pietatis studium non revocet, fore aliquando, ut ei apud iustissimum iudicem omnium non solum factorum dictorumque, sed occultissimarum etiam cogitationum ratio reddenda, et pro meritis poena persolvenda sit. Iustus vero ad colendam iustitiam magis ac magis incitetur, ac summa laetitia efferatur, necesse est, quamvis etiam in egestate, infamia, cruciatibus vitam degat, quum animum ad eum diem refert, quo, post aerumnosae huius vitae certamina, victor universis hominibus audientibus declarabitur, et divinis atque illis quidem aeternis honoribus, in caelestem patriam receptus, afficietur. Quod igitur reliquum est, hortari fideles oportet, ut optime vivendi rationem comparent, ad omne pietatis studium se exercent, quo possint adventantem magnum illum diem Domini maiore cum securitate animi expectare, atque adeo, ut filios decet, cum summa cupiditate expetere.

Basilium magnum sermone super Ps. 33.

1) Eccli. 7, 40.  
Aug. ser. 120. de tempore.  
Greg. hom. 39. in ev. Bern. ser. I. in festo omnium sanctorum, et sermone de primordiis, mediis, et novissimis nostris.

# DE OCTAVO ARTICULO

## CAPUT IX.

### CREDO IN SPIRITUM SANCTUM.

#### 1. *Quanta sit fidei in Spiritum sanctum necessitas et fructus.*

De Spiritu sancto scite et profunde disputarunt Greg. Naz. orat. 37. quae est 5. de theologia. Ambros. lib. de Spiritu sancto. Basilii, et Damasc.

1) Act. 19, 2. 3.

Fructus fidei huius articuli, 2) 1. Cor. 12, 3. 4.

Pater et Filius etiam dicuntur Spiritus sanctus, qui etiam omnes spiritus caelestes, sanctorumque animae.

3) Ioan. 4, 24.  
2. Cor. 3, 17.  
4) Isa. 6, 3.  
Apoc. 4, 8.  
5) Ps. 103, 4.  
Hebr. 1, 7.  
6) Ps. 145, 4.  
Eccles. 12, 7.

Hactenus, quae ad primam et secundam sanctae trinitatis personam pertinebant, quantum propositi argumenti ratio postulare videbatur, exposita sunt: sequitur nunc, ut illa etiam, quae in symbolo de tertia persona, hoc est de Spiritu sancto, traduntur, explicentur. Qua in re declaranda omne studium et diligentiam pastores adhibebunt, quum homini christiano non magis liceat hanc partem ignorare, vel de ea minus recte sentire, quam de aliis superioribus articulis existimandum sit. Quare<sup>1</sup> Apostolus non permisit Ephesios quosdam Spiritus sancti personam ignorare: a quibus quum quaesisset, an Spiritum sanctum accepissent, quum illi, ne si Spiritus sanctus quidem esset, se scire respondissent, statim rogavit: *In quo ergo baptizati estis?* Quibus verbis significavit, distinctam huius articuli notitiam fidelibus maxime necessariam esse; ex qua eum praecipue fructum capiunt, quod quum attente cogitant,<sup>2</sup> se, quidquid habent, Spiritus sancti munere et beneficio consequutos esse, tum vero de seipsis modestius et humiliter sentire, et in Dei praesidio omnem spem ponere incipiunt; qui primus homini christiano gradus ad summam sapientiam et felicitatem esse debet.

2. *Spiritus sancti verbum non ita tertiae personae trinitatis convenit, ut etiam aliis tribui non possit.*

Huius igitur articuli explanationem a vi et notione, quae hoc loco Spiritus sancti vocabulo subiecta est, exordiri oportebit: nam, quum illud aequae de Patre et Filio rectissime dicatur (uterque enim<sup>3</sup> spiritus est, et<sup>4</sup> sanctus, siquidem Deum spiritum esse confitemur), deinde vero hac voce<sup>5</sup> angeli etiam et<sup>6</sup> piorum animae significen-

tur, cavendum est, ne populus verbi ambiguitate in errorem inducatur. Quare docendum est in hoc articulo, Spiritus sancti nomine tertiam trinitatis personam intelligi, quo modo in sacris literis tum veteris nonnumquam, tum novi testamenti frequenter accipitur; nam David precatur: *Et* <sup>1</sup> *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me;* in libro Sapientiae legimus: <sup>2</sup> *Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis?* et alibi: <sup>3</sup> *Ipse creavit illam in Spiritu sancto.* In novo vero testamento iubemur <sup>4</sup> baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; et sanctissimam Virginem de Spiritu sancto concepisse legimus; tum vero a sancto <sup>5</sup> Ioanne ad Christum mittimur, qui nos in Spiritu sancto baptizat; ac plurimis praeterea aliis in locis ea vox legentibus occurrit.

3. *Quare tertiae personae trinitatis, perinde ac alii duabus, proprium nomen non sit tributum.*

Verum nemo mirari debet, tertiae personae, quemadmodum primae et secundae, proprium nomen tributum non esse. Nam secunda persona ideo proprium nomen habet, et Filius dicitur, quia eius aeternus a Patre ortus proprie generatio vocatur, ut in superioribus articulis explicatum est. Ut igitur ortus ille generationis nomine significatur, ita personam, quae emanat, proprie Filium appellamus, et, a qua emanat, Patrem. Nunc, quum tertiae personae productioni proprium nomen impositum non sit, sed spiratio et processio appelletur; sequitur, ut etiam persona, quae producit, suo nomine careat. Nullum autem proprium nomen eius emanatio habet, propterea quod nomina, quae Deo tribuuntur, a rebus creatis mutuari cogimur; in quibus quoniam nullam aliam naturae et essentiae communicandae rationem, quam generandi virtute, agnoscimus, ob eam causam fit, ut rationem, qua seipsum totum Deus vi amoris communicat, proprio vocabulo exprimere non possimus. Quare communi *Spiritus sancti* nomine tertia persona appellata est; quod quidem illi maxime conve-

Tertia trinitatis persona proprie dicitur Spiritus sanctus.

1) Ps. 50, 13.

2) Sap. 9, 17.

3) Eccl. 1, 9.

4) Matt. 28, 19  
Lucae 1, 35.

5) Ioan. 1, 33.  
Marc. 1, 8.

Cur Spiritus sancti commune nomen tertiae personae tributum sit, vide Aug. in 15. de trinit. cap. 19. et in lo. tract. 99.

Mens humana non aliam essentiae communicandae rationem agnoscit, quam per generandi virtutem.

Tertia persona cur dicatur Spiritus sanctus, Spiritum sanctum, omnino Patri et Filio in omnibus aequalem, praeter scripturam docuerunt divus Dionys. Areop. lib. de divin. nom. cap. 2. Iren. lib. 4. cap. 14.

nire ex eo intelligimus, quia spiritualem vitam in nos infundit, ac sine eius sanctissimi numinis afflatu nihil aeterna vita dignum efficere possumus.

4. *Spiritus sanctus Deus est, eiusdem omnino cum Patre et Filio potentiae et naturae.*

Quae sit hoc in symbolo particulae in energia.

Ambr. lib. I. de Spiritu sancto cap. 15. et 14.

Verum, explicata vocabuli significatione, docendus in primis erit populus, Spiritum sanctum aequae ac Patrem et Filium Deum esse, eidem aequalem, aequae omnipotentem, aeternum, et infinitae perfectionis, summum bonum, ac sapientissimum, eiusdemque cum Patre et Filio naturae. Quod quidem illius vocis *in*, quum dicimus: *Credo in Spiritum sanctum*, proprietates satis indicat, quae ad exprimendam fidei nostrae vim, singulis trinitatis personis apposita est. Atque id etiam aperta sacrarum litterarum testimonia confirmant: nam quum sanctus Petrus in actis apostolorum dixisset: <sup>1</sup> *Anania, cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* mox inquit: *Non es mentitus hominibus, sed Deo:* quem prius Spiritum sanctum appellaverat, eundem statim Deum vocat. Apostolus etiam ad Corinthios, quem Deum dixerat, Spiritum sanctum esse interpretatur: <sup>2</sup> *Divisiones, inquit, operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus;* deinde subiungit: *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Praeterea in actis apostolorum, quod uni Deo prophetae tribuunt, ille Spiritui sancto adscribit; dixerat enim Isaias: <sup>3</sup> *Audi vocem Domini dicentis: Quem mittam?... et dixit mihi: Vade, et dices populo huic: Excaeca cor populi huius, et aures eius aggrava, et oculos eius claude, ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat.* Quae verba quum Apostolus citaret: <sup>4</sup> *Bene, inquit, Spiritus sanctus loquutus est per Isaiam prophetam.* Deinde vero, quum scriptura Spiritus sancti personam cum Patre et Filio coniungit, ut <sup>5</sup> quum Patris, et Filii et Spiritus sancti nomen in baptismo adhiberi praecipit, nullus nobis de huius mysterii veritate dubitandi locus relinquitur: nam si Pater Deus

1) Act. 5, 3. Spiritus sancti divinitas pulcherrime confirmatur.

2) I. Cor. 12, 6. Ibid. 11.

3) Isa. 6, 8.

4) Act. 28, 25.

5) Matt. 28, 19.

est, et Filius Deus, omnino fateri cogimur, etiam Spiritum sanctum, qui cum eis pari honoris gradu coniungitur, Deum esse. Accedit autem, quod is, qui in nomine cuiusvis rei creatae baptizatur, nullum ex eo fructum consequi potest: <sup>1</sup> *Numquid in nomine Pauli, inquit, baptizati estis?* ut ostenderet hoc eis nihil ad comparandam salutem profuturum esse. Quum igitur baptizemur in nomine Spiritus sancti, eum esse Deum fateri oportet. Sed hunc eundem trium personarum ordinem, quo Spiritus sancti divinitas comprobatur, licet animadvertere tum in epistola Ioannis: <sup>2</sup> *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt;* tum ex praeclaro illo sanctae trinitatis elogio, quo divinae laudes et psalmi concluduntur: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Postremo, quod ad eam veritatem confirmandam maxime pertinet, quaecumque Dei propria esse credimus, ea Spiritui sancto convenire sacrae litterae testantur. Quare illi templorum honorem tribuunt, ut quum Apostolus ait: <sup>3</sup> *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* Item <sup>4</sup> sanctificationem, et <sup>5</sup> vivificationem, et <sup>6</sup> scrutari profunda Dei, et <sup>7</sup> per prophetas loqui, et <sup>8</sup> ubique esse; quae omnia divino tantum numini tribuenda sunt.

5. Certo credendum est, Spiritus sancti vocabulum tertiam divinitatis personam per se subsistentem significare.

Sed illud praeterea fidelibus accurate explanandum est, Spiritum sanctum ita Deum esse, ut eum tertiam personam in divina natura a Patre et Filio distinctam, et voluntate productam, confiteri oporteat: nam, ut alia scripturarum testimonia omittantur, baptismi forma, <sup>9</sup> quam Salvator noster docuit, apertissime ostendit, Spiritum sanctum tertiam esse personam, quae in divina natura per se constet, et ab aliis distincta sit. Quod etiam Apostoli verba declarant, quum inquit: <sup>10</sup> *Gratia Domini nostri Iesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis, amen.* Idem vero

1) I. Cor. I, 13. Vide ex hoc loco pulcherrimam rationem apud divum Gregor. Naz. orat. 5. de theol. quae est 37. in ordine.

2) I. Ioan. 5, 7. Vide ex hoc loco argumentum apud August. lib. I. de trin. cap. 6.

3) I. Cor. 6, 19.

4) 2. Thess. 2, 12.

5) Ioan. 6, 64.

6) I. Cor. 2, 10.

7) 2. Pet. 1, 21.

8) Ps. 138, 7.

Spiritum sanctum personam subsistentem per se probant patres, qui contra Sabellium dimicantur.

9) Matt. 28, 19.

10) 2. Cor. 13, 13.

In symbol. constantino-

politano primo, et niceano, illa vox, « Filioque » non fuit, sed postea a latinis addita est, quae potius fuit explicatio quam additio, quam explicatorem in concilio lugdunensi, et florentino confirmantur graeci.

1) Hebr. I, 14. Deus est vita animae, Aug. lib. 19. de civ. cap. 26. et de verb. apostol. serm. 16.

2) Rom. 8, 9.

Spiritum sanctum a Filio procedere, graeci patres scribunt. Ath. in symbol. et serm. 4. cont. Ari. Basill. lib. 1. et 3. et contra Eun. et alii. Concil. lateranen. cap. 1. lugdunen. in 6. decret. lib. 1. tit. 1. et Florentinum in litteris unionis.

3) Ioan. 16, 14.

4) Act. 16, 7.

5) Rom. 8, 9.

6) Gal. 4, 6.

7) Matt. 10, 20.

8) Ioan. 15, 26.

multo apertius demonstrant, quae patres in constantinopolitano primo concilio hoc loco ad confutandam impiam Macedonii amentiam addiderunt: *Et in Spiritum sanctum dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur; qui loquutus est per prophetas.* Quod igitur Spiritum sanctum Dominum confitentur, in eo declarant, quantum angelis antecellat, qui tamen nobilissimi spiritus a Deo conditi sunt: illos enim omnes sanctus<sup>1</sup> Paulus testatur esse administratorios spiritus, in ministerium missos, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis. *Vivificantem* vero appellant, quod anima cum Deo coniuncta magis vivit, quam corpus animae coniunctione alitur ac sustinetur. Quoniam vero Spiritui sancto<sup>2</sup> sacrae litterae hanc animae cum Deo coniunctionem tribuunt, rectissime vivificantem Spiritum sanctum vocari perspicuum est.

6. *Spiritum sanctum a Patre et Filio, tamquam ab uno principio, procedere declarant.*

Iam vero quod sequitur: *Qui ex Patre Filioque procedit*, docendi sunt fideles, Spiritum sanctum a Patre et Filio, tamquam ab uno principio, aeterna processione procedere: id enim ecclesiastica regula, a qua christiano non licet aberrare, credendum nobis proponit, et divinarum litterarum et conciliorum auctoritate confirmatur. Nam Christus Dominus, quum de Spiritu sancto loqueretur, dixit: <sup>3</sup> *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Hoc idem ex eo colligitur, quod in scripturis sacris Spiritus sanctus nonnumquam spiritus<sup>4</sup> Christi, interdum spiritus Patris appellatur; modo a Patre, modo a Filio mitti dicitur, ut aequae a Patre et Filio procedere non obscure significetur. <sup>5</sup> *Qui spiritum Christi non habet*, inquit sanctus Paulus, *hic non est eius;* et idem spiritum Christi vocat, quum ad Galatas inquit: <sup>6</sup> *Misit Deus spiritum filii sui in corda vestra, clamantem Abba, pater.* Apud sanctum Matthaeum spiritus Patris appellatur: <sup>7</sup> *Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri;* et Dominus in coena inquit: <sup>8</sup> *Paracletus, quem*

*ego mittam vobis: spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*

Tum alibi eundem Spiritum sanctum a Patre mittendum affirmat his verbis: <sup>1</sup> *Quem mittet Pater in nomine meo.* Ex quibus verbis quum processionem Spiritus sancti intelligamus, perspicuum est, eundem ab utroque procedere. Haec sunt, quae de Spiritus sancti persona tradenda erunt.

1) Ioan. 14, 26.

7. *Quum opera trinitatis sint indivisa, quare peculiariter quidam effectus et dona Spiritui sancto tribuantur.*

Docere praeterea oportebit, quosdam esse Spiritus sancti admirabiles effectus, et amplissima quaedam munera, quae ab ipso, tamquam a personali bonitatis fonte, oriri et manare dicuntur. Quamvis enim sanctissimae trinitatis opera, quae extrinsecus fiunt, tribus personis communia sint; ex iis tamen multa Spiritui sancto propria tribuuntur, ut intelligamus, illa in nos a Dei immensa charitate proficisci; nam, quum Spiritus sanctus a divina voluntate, veluti amore inflammata, procedat, perspicui potest, eos effectus, qui proprie ad Spiritum sanctum referuntur, a summo erga nos Dei amore oriri. Quare ex eo consequitur, ut Spiritus sanctus *donum* appelletur: nam doni vocabulo significatur id, quod benigne et gratuito, nulla spe remunerationis proposita, donatur. Ac proinde quaecumque bona et beneficia a Deo in nos collata sunt (<sup>2</sup> quid autem habemus, quod a Deo, ut inquit Apostolus, non acceperimus?), ea nobis Spiritus sancti concessu et munere data esse, pio et grato animo agnoscere debemus.

8. *Qui qualesve, et quanti sint Spiritus sancti effectus.*

Eius autem plures effectus sunt: nam, <sup>3</sup> ut mundi creationem <sup>4</sup> creaturarumque rerum propagationem et gubernationem omittamus, de quibus in primo articulo commemoravimus; vivificationem Spiritui sancto proprie tribui paulo ante demonstratum est, et Ezechielis testimonio confirmatur: <sup>5</sup> *Dabo, inquit, vobis spiritum, et vivetis.* Praecipuos tamen et maxime proprios Spi-

De admirandis Spiritus sancti effectibus, et donis, vide Aug. lib. de ser. Domini in monte c. 9. et Greg. hom. 19. in Ezech.

Trinitatis opere indivisa sunt ad extra. Aug. lib. I. de trinitate c. 4. et in Ioan. tract. 2. et alibi frequenter. Cur peculiariter quaedam opera Spiritui sancto tribuantur.

<sup>1</sup> Spiritus sanctus cur donum vocetur.

Aug. in Enchirid. 2, 57. et in 5. de trinit. c. 15.

2) I. Cor. 4, 7.

Plures sunt Spiritus sancti effectus.

3) Ioan. 33, 4.

4) Sap. I, 7.

5) Ezech. 37, 6. Spiritus sancti dona.

- 1) Isa. 11. 2. ritus sancti effectus Propheta enumerat: <sup>1</sup> spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiae et pietatis, et spiritum timoris Domini; quae dona Spiritus sancti vocantur: interdum autem Spiritus sancti nomen eis tribuitur. Quare sapienter divus Augustinus monet, animadvertendum esse, quum in sacris litteris huius vocis Spiritus sancti mentio fit, ut diiudicare possimus, tertiamne trinitatis personam, an eius effectus atque operationes significet: nam haec duo eodem intervallo distinguenda sunt, quo etiam creatorem a rebus creatis differre credimus. Atque haec eo diligentius explicanda sunt, quod ex hisce Spiritus sancti donis christianae vitae praecepta haurimus, sentireque possumus, an Spiritus sanctus in nobis sit. Verum, prae ceteris eius amplissimis muneribus, gratia illa praedicanda est, quae nos iustos facit, <sup>2</sup> signatque spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae. Haec enim mentem nostram arcetissimo amoris vinculo Deo iungit; ex quo fit, ut summo pietatis studio accensi novam vitam instituamus, <sup>3</sup> ac naturae divinae participes effecti, <sup>4</sup> filii Dei nominemur et vere simus.
- Divus Aug. lib. 15. de trinit. cap. 18. et 19. Fulg. lib. 2. ad Mon. c. 7. et 8.
- Justificatio nostra est Spiritus sancti signaculum, de qua copiose agitur ses. 6. conc. trid.
- 2) Ephes. 1. 13.
- 3) 2. Pet. I. 4.
- 4) 1. Ioan. 3. 1.

## DE NONO ARTICULO

### CAPUT X.

CREDO SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM,  
SANCTORUM COMMUNIONEM.

1. *Quibus de causis nonus articulus omnium frequentissime populo inculcandus sit.*

De ecclesia ex veteribus scriptis August. concione 2. super ps. 30. et Cyprian. lib. de unit. eccl. Cur prophetae planius de eccle-

Quanta diligentia curare pastores debeant, ut huius noni articuli veritatem fidelibus explicent, si duo potissimum considerantur, facile cognosci poterit. Primum enim, teste sancto Augustino, prophetae planius et apertius de ecclesia, quam de Christo loquuti sunt, quum in eo multo plures errare ac decipi posse, quam in incarna-



tionis sacramento, praeviderent. Neque enim defuturi erant impii, qui ad simiae imitationem, quae se hominem esse fingit, solos se catholicos esse profiterentur, et catholicam ecclesiam apud se tantum, non minus nefarie, quam superbe affirmarent. Deinde, si quis hanc veritatem firmo animo conceptam habuerit, facile horrendum haeresis periculum effugiet. Non enim, ut quisque primum in fide peccarit, haereticus dicendus est; sed qui, ecclesiae auctoritate neglecta, impias opiniones pertinaci animo tuetur. Quum igitur fieri non possit, ut aliquis se haeresis peste commaculet, si iis fidem adhibeat, quae in hoc articulo credenda proponantur; curent omni studio pastores, ut fideles, cognito hoc mysterio, contra adversarii artes muniti, in fidei veritate perseverent. Pendet autem hic articulus a superiori; quia, quum iam demonstratum sit, Spiritum sanctum omnis sanctitatis fontem et largitorem esse, nunc ab eodem ecclesiam sanctitate donatam confitemur.

2. *Quid peculiari ratione, nomine ecclesiae, quidque generatim, denotetur.*

Ac quoniam ecclesiae vocem latini a graecis mutuati, post divulgatum evangelium ad res sacras transtulerunt; quam vim habeat hoc vocabulum, aperiendum est. Significat autem ecclesia evocationem; verum scriptores postea usurparunt pro concilio et concione. Neque vero refert, utrum populus ille veri Dei, an falsae religionis, cultor extiterit; in actis enim de Ephesino populo scriptum est, quum scriba turbas sedasset, dixisse:

*Si quid autem alterius rei quaeritis, in legitima ecclesia poterit absolvi.* Legitimam vocat ecclesiam populum Ephesinum, Dianae cultui addictum. Neque enim gentes, quae Deum non noverunt, sed etiam malorum et impiorum hominum concilia interdum ecclesia nominantur.<sup>2</sup> *Odivi, inquit Propheta, ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.* Communi vero deinde sacrarum scripturarum consuetudine haec vox ad rempublicam christianam, fideliumque tantum congregationes significandas, usurpata est; qui

1) *sia, quam de Christo sint locuti, Aug. in ps. 30. Vide prophetarum testimonia apud eundem in lib. de utilitate creden. cap. 7, 8. et 9. et adhuc fatus in lib. 17. de civit. Dei c. 4. 5. 8. 16. 20. et lib. 18. fere per totum. Verus noni articuli professor nequit dici haereticus.*

*Ecclesia est evocatio a verbo graeco ἐκ-καλέω. Et bene ecclesia dicitur, quia omnes ad salutem vocet, et colligat, ut sit Dominus, Levit. cap. 8. sent. 3.*

1) Act. 19, 39.

2) Ps. 25, 5.

*Ecclesia peculiari, et usitata consuetudine significat omnium fidelium multitudinem.*

dinem; ceterae significationes ecclesiae exponuntur sect. 9. huius articuli. Definitio ecclesiae Aug. in ps. 149. vide Cyprianum epist. 69.

Ecclesia quid a ceteris gentilibus politis differat.

Deus qui suam ecclesiam vocavit.

Duplex ecclesiae vocatio.

Finis vocationis varius, qui est aeternarum rerum post cognitionem possessio. Aug. in Ps. 77. et 81.

Ecclesia quo modo differat a iudeorum republica.

scilicet ad lucem veritatis et Dei notitiam per fidem vocati sunt, ut, reiectis ignorantiae et errorum tenebris, Deum verum et vivum pie et sancte colant, illique ex toto corde inserviant: atque, ut unico verbo haec res tota absolvatur, *ecclesia*, ut ait sanctus Augustinus, *est populus fidelis per universum orbem dispersus.*

3. *Quae potissimum mysteria in vocabulo ecclesiae contemplanda offerantur.*

Nec vero levia mysteria in hoc vocabulo continentur; etenim in evocatione, quam ecclesia significat, statim divinae gratiae benignitas et splendor elucet, intelligimusque ecclesiam ab aliis rebus publicis maxime differre: illae enim humana ratione et prudentia nituntur, haec autem Dei sapientia et consilio constituta est: vocavit enim nos intimo quidem Spiritus sancti afflatu, qui corda hominum aperit, extrinsecus autem pastorum et praedicatorum opera ac ministerio. Praeterea, ex hac vocatione quis nobis finis propositus esse debeat, nimirum aeternarum rerum cognitio et possessio, is optime perspiciet, qui animadverterit, cur olim fidelis populus sub lege positus, synagoga, idest congregatio, diceretur: nam, ut docet sanctus Augustinus, hoc ei nomen impositum est, quia pecudum more, quibus magis congregari convenit, terrena et caduca tantum bona spectaret. Quare merito christianus populus non synagoga, sed ecclesia dicitur; quia, terrenis et mortalibus rebus contemptis, caelestes et aeternas tantummodo consecratur.

4. *Quibus nominibus christianorum universitas in sacris litteris descripta inveniatur.*

Multi praeterea nomina, quae plena sunt mysteriis, ad christianam rempublicam significantem traducta sunt: nam et <sup>1</sup> domus et <sup>2</sup> aedificium Dei ab Apostolo vocatur. *Si tardavero*, inquit ad Timotheum, *ut scias, quo modo oporteat te in domo Dei conversari, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.*

1) Lucae 6, 43.

2) Aedificium. Matth. 16, 18.

Domus Dei cur sit dicta ecclesia, grex ovium.

Domus autem ecclesia idcirco appellatur, quia sit veluti una familia, quam unus paterfamilias moderatur, et in qua est bonorum omnium spi-

ritualium communio. Dicitur etiam <sup>1</sup> grex ovium Christi, quarum ille ostium est et pastor. Vocatur et sponsa Christi. <sup>2</sup> *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*, inquit Apostolus ad Corinthios. Idem ad Ephesios: <sup>3</sup> *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam*. Ac de matrimonio: *Sacramentum hoc*, inquit, *magnum est; ego autem dico in Christo, et in ecclesia*. Dicitur denique ecclesia <sup>4</sup> corpus Christi, <sup>5</sup> ut ad Ephesios <sup>6</sup> et Colossenses licet videre. Et haec singula plurimum valent ad fideles excitandos, ut se dignos immensa Dei clementia et bonitate praebeant, qui eos, <sup>7</sup> ut populus Dei esset, elegit.

5. *Duae praecipuae ecclesiae partes recensentur, triumphans una, militans altera.*

His vero explicatis, necesse erit singulas ecclesiae partes enumerare, earumque differentias docere, quo magis Deo dilectae ecclesiae naturam, proprietates, dona et gratias populus percipiat, et ob eam causam sanctissimum Dei nomen laudare numquam intermittat. Ecclesiae autem duae potissimum sunt partes, quarum altera triumphans, altera militans vocatur. Triumphans est coetus ille clarissimus et felicissimus beatorum spirituum, et eorum, qui de mundo, de carne, de iniquissimo daemone triumpharunt, et ab huius vitae molestiis liberi ac tuti, aeterna beatitudine fruuntur. Militans vero ecclesia est coetus omnium fidelium, qui adhuc in terris vivunt; quae ideo militans vocatur, quod illis cum immanissimis hostibus, mundo, carne, satana perpetuum sit bellum.

6. *Ecclesia militans et triumphans una est.*

Neque idcirco tamen duas esse ecclesias censendum est; sed eiusdem ecclesiae, ut antea diximus, partes duae sunt, quarum una antecessit et caelesti patria iam potitur; altera in dies sequitur, donec aliquando cum Salvatore nostro coniuncta, in sempiterna felicitate conquiescat.

7. *In ecclesia militanti duo hominum sunt genera, boni scilicet et mali.*

Iam in ecclesia militanti duo sunt hominum

1) lo. 10, 1, 2.  
Sponsa Christi.

2) 2. Cor. 11, 2.

3) Ephes. 5, 25.  
Vide Cypr. ep. 6, lib. 1. et in lib. de unit. eccles.

4) Ecclesia est corpus Christi Rom. 12, 4, 5.

5) Ephes. I, 23.

6) Col. I, 24.

7) 1. Petr. 2, 9, 10.

De ecclesia militante et triumphante Aug. 10 Enebir. c. 56. et 1, 10, de civit. Dei c. 7.

Triumphans ecclesia quid sit. Aug. in Enebir. c. 57. Animae purgatorum triumphant spe certa.

Militans ecclesia.

Aug. lib. 12. de civit. Dei cap. 9. Quia idem princeps, idem populus, eadem lex, idem clubus, et eadem civitas est.

In ecclesia

militanti duo  
sunt hominum  
genera.

Vide Aug.  
in breviculo,  
collat. 3.

1) 2. Tim. 2, 19.  
Electorum  
ecclesia est  
incerta. Con-  
sulatur c. 12.  
sess. 6. concil.  
trident. decre-  
to de iustifi-  
catione. Vide  
item Aug. tra-  
ctat. 45. in  
Ioan.

2) Matt. 13, 17.

3) Matt. 3, 12.  
et 13.

1. Cor. 5, 3.

2. Tim. 2, 20.

Greg. Naz. o-

rat. 5. et 52.

advers. Apol.

4) Ephes. 4, 4.

5) Matt. 5, 14.

6) Matt. 13, 17.

Ceterum ec-  
clesiam visibi-  
lem esse prae-  
ter haec loca,  
confirmat et-  
iam num. 20.

7) Matt. 13, 47.

8) Matt. 3, 12.

9) Matt. 25, 1. 2.

10) Gen. 7, 2.

1. Pet. 3, 6.

Duarum ec-

clesiae par-

tium diversis-

simam esse

sortem. Vide

Aug. tract. 6.

in Ioan. et

ser. 107. de

genera, honorum et improborum: et improbi qui-  
dem eorundem sacramentorum participes, ean-  
dem quoque, quam boni, fidem profitentur, vita  
ac moribus dissimiles; boni vero in ecclesia di-  
cuntur ii, qui non solum fidei professione, et  
communione sacramentorum, sed etiam spiritu  
gratiae, et charitatis vinculo inter se coniuncti  
et colligati sunt; de quibus dicitur: <sup>1</sup> *Cognovit  
Dominus, qui sunt eius.* Possunt vero etiam  
homines aliquibus coniecturis opinari, quinam  
sint, qui ad hunc piorum hominum numerum  
pertineant, certo autem scire minime possunt.  
Quare existimandum non est, Christum salva-  
torem de hac ecclesiae parte loquutum esse,  
<sup>2</sup> quum ad ecclesiam nos remisit, eique ut pa-  
reamus praecepit: nam quum illa sit incognita,  
cui certum esse poterit, ad cuius iudicium con-  
fugiendum, et cuius auctoritati obtemperandum  
sit? Bonos igitur et improbos ecclesia comple-  
ctitur, quemadmodum <sup>3</sup> et divinae litterae, et  
sanctorum virorum scripta testantur; in quam  
sententiam scriptum est illud Apostoli: <sup>4</sup> *Unum  
corpus, et unus spiritus.*

8. *Ecclesia visibilis est, et bonos et malos suo sinu  
concludit.*

Haec autem ecclesia nota est, <sup>5</sup> urbiq; supra  
montem sitae comparata, quae undique conspi-  
citur: nam, <sup>6</sup> quum illi ab omnibus parendum  
sit, cognoscatur necesse est. Neque bonos tan-  
tum, sed malos etiam complectitur, ut multis  
parabolis evangelium docet, veluti quum <sup>7</sup> re-  
gnum caelorum, idest militantem ecclesiam, si-  
mile esse sagenae in mare missae commemorat;  
vel agro, in quo zizania superseminata sunt; vel  
<sup>8</sup> areae, in qua frumentum cum paleis contine-  
tur; vel <sup>9</sup> decem virginibus partim fatuis, par-  
tim prudentibus. Sed multo ante etiam in <sup>10</sup> arca  
Noe, qua non solum munda, sed etiam immunda  
animantia concludebantur, huius ecclesiae figu-  
ram et similitudinem licet intueri. Quamvis au-  
tem bonos et malos ad ecclesiam pertinere ca-  
tholica fides vere et constanter affirmet; ex iis-  
dem tamen fidei regulis fidelibus explicandum

est, utriusque partis diversam admodum rationem esse: ut enim paleae cum frumento in area confusae sunt, vel interdum membra varie intermortua corpori coniuncta, ita etiam mali in ecclesia continentur.

9. *Quinam ecclesiae militantis finibus non contineantur.*

Ex quo fit, ut tria tantummodo hominum genera ab ea excludantur: primo infideles, deinde haeretici et schismatici, postremo excommunicati.

<sup>1</sup> Ethnici quidem, quod in ecclesia numquam fuerunt, neque eam umquam cognoverunt, nec ullius sacramenti participes in populi christiani societate facti sunt; <sup>2</sup> haeretici vero atque schismatici, quia ab ecclesia desciverunt: neque enim illi magis ad ecclesiam spectant, quam transfugae ad exercitum pertineant, a quo defecerunt.

<sup>3</sup> Non negandum tamen, quin in ecclesiae potestate sint, ut qui ab ea in iudicium vocentur, puniantur, et anathemate damnentur. Postremo etiam <sup>4</sup> excommunicati, quod ecclesiae iudicio ab ea exclusi, ad illius communionem non pertineant, donec resipiscant. De ceteris autem quamvis improbis et sceleratis hominibus, adhuc eos in ecclesia perseverare dubitandum non est; idque fidelibus tradendum assidue, ut, si forte ecclesiae antistitem vita flagitiosa sit, eos tamen in ecclesia esse, nec propterea quidquam de eorum potestate detrahi, certo sibi persuadeant.

10. *Nominis ecclesiae significationum varietas.*

Verum universae etiam ecclesiae partes, ecclesiae nomine significari solent, ut quum Apostolus ecclesiam, <sup>5</sup> quae est Corinthi, <sup>6</sup> Galatiae, <sup>7</sup> Laodicensium, <sup>8</sup> Thessalonicensium nominat: privatas etiam fidelium familias ecclesias vocat: nam <sup>9</sup> Priscae et Aquilae domesticam ecclesiam salutari iubet; item alio in loco: <sup>10</sup> *Salutant vos, inquit, in Domino multum Aquila et Priscilla cum domestica sua ecclesia.* Ad Philemonem <sup>11</sup> etiam scribens, eandem vocem usurpavit. Interdum quoque ecclesiae nomine eius praesides ac pastores significantur. <sup>12</sup> *Si te non audierit,* inquit Christus, *dic ecclesiae.* Quo in loco prae-

tempore in ps. 47.

Tria hominum genera ab ecclesia excluduntur, et primo infideles.

1) 1. Cor. 5, 13.  
2. Haeretici, 3. excommunicati.

2) 1. Tim. 1, 19. Cypr. in epist. ad Iulian.

Sunt tamen in potestate ecclesiae, ut ab ea puniantur.

3) Deut. 17, 12. Rom. 13, 4. unde leges in haeticos latae.

Excommunicati non sunt in ecclesia.

4) Matt. 18, 17. 1. Cor. 5, 4.

Antistitem dignitati nihil deperit etiam si illi mali sint. Ioan. 11.

Unus autem etc.

5) 1. Cor. 1, 2.

6) Gal. 1, 2.

7) Col. 4, 16.

8) 1. Thess. 1, 1.

Privatae fidelium familiarum ecclesiae appellantur.

9) Rom. 16, 4.

10) 1. Cor. 16, 19.

11) Phil. 1, 2.

12) Mat. 18, 17.

Ecclesia pro ipsius praepositis, et pasto-

ribus aliquando usurpatur.  
1) 3. Reg. 8.  
Ecclesia pro loco.

1. Cor. 11, 18.

Hic ecclesia proprie accipitur pro omnium fidelium tam bonorum, quam malorum multitudine.

Prima ecclesiae nota est, ut sit una.

Qua quidem nota ab haereticorum omnium coetibus distinguitur.

2) Cant. 6, 8.  
Cypr. lib. de unit. ecclesiae.

3) Ephes. 4, 5.  
4) Ephes. 1, 22.

Post invisibile ecclesiae caput, necessario statui visibile caput colligitur ex scriptura, in qua ecclesia comparatur exercitui,

cant. 6.  
Corpori humano, in quo est caput.

Cant. 7, 3.  
Regno.

Dan. 2, 44.  
Ovili.

Joan. 10, 16.  
Domus.

1. Tim. 3, 15.  
Navi, seu arcae Noe.

In his autem omnibus visibilis rector ceruitur, ergo et in ecclesia cerni debet.

5) Mat. 16, 18.

6) Exod. 12, 22.

7) Gen. 7, 23.

positi ecclesiae designantur.<sup>4</sup> Sed locus etiam, in quem populus sive ad concionem, sive alicuius rei sacrae causa convenit, ecclesia appellatur; praecipue vero in hoc articulo ecclesia bonorum simul et malorum multitudinem, nec praesides solum, sed eos etiam, qui parere debent, significat.

11. *De notis verae ecclesiae, et primo cur una dicatur.*

Aperiendae autem sunt fidelibus huius ecclesiae proprietates, ex quibus licebit agnoscere, quanto beneficio a Deo affecti sint, quibus contigerit in ea nasci atque educari. Prima igitur proprietas in symbolo patrum describitur, ut una sit:<sup>2</sup> *Una enim, inquit, est columba mea, una est speciosa mea.* Vocatur autem una tanta hominum multitudo, quae tam longe lateque diffusa est ob eas causas, quae ab Apostolo ad Ephesios scriptae sunt; <sup>3</sup> unum enim Dominum, unam fidem, unum baptisma tantum esse praedicat. Unus est etiam eius rector ac gubernator, invisibilis quidem Christus, quem aeternus Pater dedit<sup>4</sup> caput super omnem ecclesiam, quae est corpus eius; visibilis autem is, qui romanam cathedram, Petri apostolorum principis legitimus successor, tenet.

12. *Quid de romano pontifice visibili ecclesiae Christi capite sentiendum sit.*

De quo fuit illa omnium patrum ratio et sententia consentiens, hoc visibile caput ad unitatem ecclesiae constituendam et conservandam necessarium fuisse; quod praeclare et vidit et scripsit sanctus Hieronymus, et contra Iovinianum iis verbis: *Unum eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio; et ad Damasum: Facessat invidia: romani culminis recedat ambitio: cum successore piscatoris, et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, beatitudini tuae, idest cathedrae Petri, communionem consocior: super illam petram aedificatam ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est: si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante*

*diluvio. Quod et longe antea ab Irenaeo probatur, et Cypriano, qui de unitate ecclesiae loquens, ait: Loquitur Dominus ad Petrum: Ego, Petre, dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Super unum aedificat ecclesiam: et quamvis apostolis omnibus, post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, et dicat: <sup>1)</sup> Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: accipite Spiritum sanctum; tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem, ab uno incipientem, auctoritate sua disposuit, etc. Optatus deinde Milevitanus ait: Ignorantiae tibi adscribi non potest, scienti in urbe Roma, Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus; in quo uno cathedrae unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut iam schismaticus et \* praevaricator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Post vero Basilius sic scriptum reliquit: Petrus collocatus est in fundamento; dixit enim: Tu es Christus filius Dei vivi; et vicissim audivit se esse petram; licet enim petra esset, non tamen petra erat ut Christus. Nam Christus vere immobilis petra; Petrus vero propter petram. Dignitates enim suas Iesus largitur aliis: sacerdos est, et facit sacerdotes: petra est, et petram facit: et quae sua sunt, largitur servis suis. Postremo vero Sanctus Ambrosius ait \*: Quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.*

13. *Quomodo praeter Christum ecclesia uno capite visibili indigeat.*

Si quis obiiciat, ecclesiam uno capite et sponso Iesu Christo contentam, praeterea nullum requirere, in promptu responsio est. Ut enim Christum dominum singulorum sacramentorum non solum auctorem, sed intimum etiam praebitorem habemus (nam <sup>2)</sup> ipse est, qui baptizat, <sup>3)</sup> et qui absolvit, et tamen <sup>4)</sup> is homines sacramentorum externos ministros instituit); sic ecclesiae, quam ipse intimo spiritu regit, hominem suae potestatis vicarium et ministrum praefecit: nam quum

<sup>1)</sup> Ioan. 20, 21.  
<sup>22)</sup>

Optat. in init. lib. 2. ad Parmenianum.

\* Alia littera habet, peccator. S. Basil. humil. 29. quae est de poenitentia.

Christus ita bonus est, et sui natura diffusivus, quod suas dignitates et munera largitur aliis.

S. Ambrosius lib. 9. comm. ad Lucam cap. 9. v. 20.

\* Ita ab edit. rom. 1761. expletur lacuna, quae heic in aedibus occurrit.

<sup>2)</sup> Ioan. 1, 33.

<sup>3)</sup> Ps. 43, 25.

<sup>4)</sup> 1. Cor. 4, 1.

visibilis ecclesia visibili capite egeat, ita Salvator noster Petrum universi fidelium generis caput et pastorem constituit, <sup>1</sup> quum illi oves suas pascendas verbis amplissimis commendavit, ut qui ei successisset, eandem plane totius ecclesiae regendae et gubernandae potestatem habere vulerent.

1) Ioan. 21, 15.  
In Petro omnes romani Pontifices primum super omnem ecclesiam acceperunt.

Iren. lib. 5. c. 3.

2) I. Cor. 12, 11.

3) Ephes. 4, 3.

4) Ephes. 4, 4.

5) I. Cor. I, 10.

6) I. Petr. 2, 9.

Prima ratio cur sancta dicatur. Ecclesiae sanctitatem ostendunt Iustinus martyr. in utraque Apolog. et Tertullian. in Apol. Ambr. com in Luc. cap. I.

7) Num. 31, 6.

8) Exod. 28, 2. et 29, 19.

9) Exod. 30, 3.

10) Exod. 34, 19.

11) I. Rom. I, 7.

14. *Cur ecclesia una dicatur, alias rationes subiungit.*

Unus praeterea idemque est <sup>2</sup> spiritus, inquit Apostolus ad Corinthios, qui fidelibus gratiam, perinde atque anima corporeis membris vitam, impertitur. Ad quam unitatem servandam quum Ephesios hortaretur, inquit: <sup>3</sup> *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis: unum corpus et unus spiritus.* Quemadmodum enim humanum corpus multis constat membris, eaque ab una anima aluntur, quae oculis visum, auribus auditum, et aliis sensibus diversas vires subministrat; ita corpus Christi mysticum, quod est ecclesia, ex multis fidelibus compositum est.

<sup>4</sup> Una quoque est spes, ut in eodem loco idem Apostolus testatur, ad quam vocati sumus; siquidem omnes eandem rem, nempe aeternam et beatam vitam, speramus. Una est denique fides, quae omnibus tenenda est ac praeseferenda: <sup>5</sup> *Non sint, inquit Apostolus, in vobis schismata;* atque unum baptisma, quod quidem est christianae fidei sacramentum.

15. *De secunda nota ecclesiae, qua dicitur sancta.*

Altera proprietas ecclesiae est, ut sit sancta; quod a principe apostolorum accepimus eo loco: <sup>6</sup> *Vos autem genus electum, gens sancta.* Appellatur autem sancta, quod Deo consecrata, dedicataque sit: sic enim cetera huiusmodi, quamquam corporea sint, sancta vocari consueverunt quum divino cultui addicta et dedicata sunt; cuius generis sunt in lege veteri <sup>7</sup> vasa, <sup>8</sup> vestes, et <sup>9</sup> altaria; in qua primogeniti quoque, <sup>10</sup> qui Deo altissimo dedicabantur, sancti sunt appellati. Nec mirum cuiquam videri debet, ecclesiam dici sanctam, tametsi multos peccatores continet: <sup>11</sup> sancti enim vocantur fideles, qui populus Dei effecti sunt, quive se, fide et bap-



smate suscepto, Christo consecrarunt; quamquam in multis offendunt, et quae polliciti sunt non praestant: quemadmodum etiam, qui artem aliquam profitentur, etsi artis praecepta non servant, nomen tamen artificum retinent. Quare divus Paulus Corinthios <sup>1</sup> sanctificatos et sanctos appellat, in quibus nonnullos fuisse perspicuum est, quos ut carnales <sup>2</sup> et gravioribus etiam nominibus acriter obiurgat. Sancta etiam dicenda est, quod veluti corpus cum sancto capite Christo domino, <sup>3</sup> totius sanctitatis fonte, coniungitur, <sup>4</sup> a quo Spiritus sancti charismata et divinae bonitatis divitiae diffunduntur. Praeclare sanctus Augustinus interpretans verba illa Prophetarum: <sup>5</sup> *Custodi animam meam quoniam sanctus sum; Audeat, inquit, et corpus Christi, audeat et unus ille homo clamans a finibus terrae, cum capite suo, et sub capite suo dicere: Sanctus sum; accepit enim gratiam sanctitatis, gratiam baptismi et remissionis peccatorum.* Ac paulo post: *Si christiani omnes, et fideles, in Christo baptizati, ipsum induerunt sicut Apostolus dicit: <sup>6</sup> Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis; si membra sunt facti corporis eius, et dicunt se sanctos non esse, capiti ipsi faciunt iniuriam, cuius membra sancta sunt.* Accedit etiam, quod sola ecclesia legitimum sacrificii cultum, et salutarem habet sacramentorum usum, per quae, tamquam efficacia divinae gratiae instrumenta, Deus veram sanctitatem efficit; ita ut, quicumque vere sancti sunt, extra hanc ecclesiam esse non possint. Patet igitur ecclesiam esse sanctam, ac sanctam quidem, quoniam corpus est Christi, a quo sanctificatur, cuiusque sanguine abluitur.

16. *Qua ratione ecclesia Christi sit catholica.*

Tertia proprietas ecclesiae ea est, ut catholica, nempe universalis, vocetur; quae appellatio vere illi tributa est: quoniam, ut testatur sanctus Augustinus: *A solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur.* Neque enim ut in humanis rebus publicis aut haereti-

1) 1. Cor. 1, 2.

2) 1. Cor. 5, 1.  
Secunda ratio.

3) Dan. 9, 24.

4) Ephes. 4, 15, 16.

5) Ps. 85. Vide etiam Ambr. lib. 1. comm. in Luc.

6) Rom. 6, 3.  
Tertia ratio.  
Gregor. lib. 35. moral. c. 6.

Sancta dicitur ecclesia, quia firma semper et stabilis perseveravit ab Adam incipiens usque ad finem mundi duratura; ps. 47. Sicut audivimus sic etc. Vel ideo sancta quia fundata sanguine Christi, et sanctorum.

Ecclesiam ab antiquissimis temporibus universalem fuisse tradunt Tertul. contra iudaeos, sanctus

- August. serm. 131. et 181. de tempore.
- 1) Col. 3, 11. corum conventibus, unius tantum regni terminis, aut uno hominum genere, ecclesia definita est; verum omnes homines,<sup>1</sup> sive illi barbari sint, sive scythae, sive servi, sive liberi, sive masculi, sive feminae, charitatis sinu completitur. Quare scriptum est:<sup>2</sup> *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum.* De ecclesia dicit David:<sup>3</sup> *Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae;* item:<sup>4</sup> *Memor ero Rahab et Babylonis scientium me; et: Homo natus est in ea.* Praeterea omnes fideles, qui ab Adam in hunc usque diem fuerunt, quive futuri sunt, quamdiu mundus exstabit, veram fidem profitentes, ad eandem ecclesiam pertinent,<sup>5</sup> quae super fundamento apostolorum fundata est ac prophetarum, qui omnes in illo lapide angulari Christo,<sup>6</sup> qui fecit utraque unum,<sup>7</sup> et pacem iis qui prope, et iis qui longe, annuntiavit, constituti sunt et fundati. Universalis etiam ob eam causam dicitur, quod omnes, qui salutem aeternam consequi cupiunt, eam tenere et amplecti debeant,<sup>8</sup> non secus ac qui arcam, ne diluvio perirent, ingressi sunt. Haec igitur veluti certissima regula tradenda est, qua vera et falsa ecclesia iudicetur.
- 2) Apoc. 5, 9.
- 3) Ps. 2, 8.
- August. lib. de agone Christi c. 29. et epist. 161.
- 4) Ps. 86, 4.
- Raab pro Aegyptio in scripturis sumitur, ut Isa. 51.
- 5) Ephes. 2, 20.
- 6) Ibid. 14.
- 7) Ibid. 17.
- Extra ecclesiam nulla est salus. Cypr. de simpl. prael.
- August. serm. 181. de tempore.
- 8) Gen. 7, 8.

17. *Quo pacto ecclesia Christi etiam apostolica dicatur.*

Ecclesiae verae a falsa dignoscendae certissima regula. Hae sunt ergo verae ecclesiae notae, quod sit una, quod sancta, quod catholica, et quod apostolica; una et sibi consentiens in omni fidei doctrina, sancta quia stabilis et perseverans, catholica, quia ubique diffusa omne genus

Sed ex origine etiam, quam revelata gratia ab apostolis ducit, ecclesiae veritatem agnoscimus; siquidem eius doctrina veritas est, non recens, neque nunc primum orta, sed ab apostolis iam olim tradita, et in omnem orbem terrarum disseminata. Ex quo fit, ut nemo dubitare possit, impias haereticorum voces longe a verae ecclesiae fide abesse, quum doctrinae ecclesiae, quae ab apostolis ad hanc diem praedicata est, adversentur. Quare, ut omnes intelligerent, quanam esset ecclesia catholica, patres in symbolo illud divinitus addiderunt: *apostolicam.* Etenim Spiritus sanctus, qui ecclesiae praesidet, eam non per aliud genus ministrorum, quam per apostolicum, gubernat. Qui Spiritus

primum quidem apostolis tributus est, deinde vero summa Dei benignitate semper in ecclesia mansit.

18. *Ecclesia in fidei aut morum dogmatibus errare non potest.*

Sed quemadmodum haec una ecclesia errare non potest in fidei ac morum disciplina tradenda, quum a Spiritu sancto gubernetur; ita ceteras omnes, quae sibi ecclesiae nomen arrogant, ut quae diaboli spiritu ducantur, in doctrinae et morum perniciosissimis erroribus versari necesse est.

19. *Quibus praecipue figuris Christi ecclesia in veteri testamento adumbrata sit.*

Sed quoniam magnam vim habent figurae veteris testamenti ad excitandos fidelium animos revocandamque rerum pulcherrimarum memoriam, cuius rei potissimum causa apostoli his usi sunt; illam quoque doctrinae partem, quae magnas utilitates habet, parochi non praetermittent. In his autem illustrem significationem habet arca Noe, quae ob eam rem tantum divino iussu constructa est, ut nullus dubitandi locus relinqueretur, quin ecclesiam ipsam significet: quam Deus sic constituit, ut quicumque per baptismum illam ingrederentur, ab omni mortis aeternae periculo tuti esse possent; qui vero extra illam essent, quemadmodum iis evenit qui in arcam recepti non sunt, suis sceleribus obruerentur. Alia figura est magna illa civitas Hierusalem, cuius nomine scripturae saepius sanctam ecclesiam significant. Nimirum in illa sola offerre Deo sacrificia licebat, quia in sola etiam Dei ecclesia, neque extra eam usquam, verus cultus verumque sacrificium reperitur, quod Deo placere ullo modo possit.

20. *Qua ratione credere Christi ecclesiam ad articulos pertineat.*

Iam illud etiam extremo loco de ecclesia docendum erit, quam ratione nos credere ecclesiam ad articulos fidei pertineat. Nam etsi quivis ratione et sensibus percipit, ecclesiam, idest hominum conventum, in terris esse, qui

hominum complectitur, et quia generaliter omnia genus peccatorum curat et proffigat; ac denique apostolica, quia omnia virtutis genus possidet.

Matth. 28. ecclesia errare non potest.

1. Tim. 3, 15. Tert. de praescript. Aug. lib. 1. contra Cresch. c. 33.

Arca Noe fuit ecclesiae figura. Gen. 6, 1. Pet. 3, 20. vide August. lib. 15. civ. c. 26, et 27. Hierusalem figura ecclesiae.

Ps. 121, 3. Isa. 33, 60. 20, et 62.

Gal. 4, 25. Extra ecclesiam catholicam non est verus Dei cultus, verumque sacrificium. Aug. ser. 180. de temp.

Dubium.

Responsio.

Christo domino addicti et consecrati sunt, neque ad eam rem animo concipiendam fide opus esse videatur, quum nec iudaei nec turcae quidem de eo dubitent; tamen illa mysteria, quae in sancta Dei ecclesia contineri partim declaratum est, partim in sacramento ordinis explicabitur, mens fide tantummodo illustrata, non ullis rationibus convicta, intelligere potest. Quum igitur hic articulus, non minus quam ceteri, intelligentiae nostrae facultatem et vires superet; iure optimo confitemur, nos ecclesiae ortum, munera et dignitatem non humana ratione cognoscere, sed fidei oculis intueri.

21. *Quae, quot, et quanta sint, quae in ecclesia esse credere iubentur.*

Neque enim homines huius ecclesiae auctores fuerunt, sed Deus ipse immortalis, qui eam<sup>1</sup> super firmissimam petram aedificavit, teste Propheta: <sup>2</sup> *Ipse fundavit eam altissimus*: quam ob causam<sup>3</sup> hereditas Dei, et<sup>4</sup> Dei populus appellatur; nec potestas, quam accepit, humana est, sed divino munere tributa. Quare, quemadmodum naturae viribus comparari non potest, ita etiam fide solum intelligimus, in ecclesia<sup>5</sup> claves regni caelorum esse, eique potestatem peccata remittendi,<sup>6</sup> excommunicandi,<sup>7</sup> verumque Christi corpus consecrandi traditam; deinde cives,<sup>8</sup> qui in ea morantur, non habere hic civitatem permanentem, sed futuram inquirere. Unam igitur ecclesiam sanctam et catholicam esse, necessario credendum est.

22. *Non ut in Deum, ita in ecclesiam credendum est.*

Credimus ecclesiam, sed non in ecclesiam: vide Aug. tract. 29. in Ioan. et ser. 61. de verbis Domini.

Tres enim trinitatis personas, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, ita credimus, ut in eis fidem nostram collocemus. Nunc autem mutata dicendi forma, sanctam, et non in sanctam ecclesiam, credere profiteamur, ut, hac etiam diversa loquendi ratione, Deus omnium effector a creatis rebus distinguatur, praeclaraque illa omnia, quae in ecclesiam collata sunt, beneficia divinae bonitati accepta referamus.

23. *De extrema huius articuli clausula: sanctorum communionem.*

*Sanctorum communionem.* Quum sanctus Ioannes evangelista de divinis mysteriis ad fideles scriberet, aut eos in illis erudiret, hanc rationem attulit: <sup>1</sup> *Ut et vos, inquit, societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio eius Iesu Christo.* Haec societas in communione sanctorum sita est, de qua in hoc articulo sermo habetur. Utinam vero in eo explicando ecclesiarum praesides <sup>2</sup> Pauli et aliorum apostolorum diligentiam imitarentur; est enim non solum quaedam superioris articuli interpretatio, doctrinaque uberrimorum fructuum, sed etiam, quis usus mysteriorum esse debeat, quae symbolo continentur, declarat. Omnia enim eius rei causa pervestiganda sunt ac percipienda, ut in hanc tam amplam et beatam societatem sanctorum admittamur, admissique constantissime perseveremus, <sup>3</sup> cum gaudio gratias agentes Deo patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.

24. *Explicatio alterius particulae, et in quo consistat sanctorum communio.*

In primis igitur fideles docendi sunt, hunc articulum esse illius, qui de una sancta ecclesia catholica antea positus est, veluti explicationem quandam. Unitas enim spiritus, a quo illa regitur, efficit, ut quidquid in eam collatum est, commune sit. Omnium enim sacramentorum fructus ad universos fideles pertinet; quibus sacramentis, veluti sacris vinculis, Christo connectuntur et copulantur, et maxime omnium baptismo, quo, tamquam ianua, in ecclesiam ingrediuntur. Hac autem sanctorum communionem sacramentorum communionem intelligi debere, patres in symbolo significant illis verbis: *Confiteor unum baptisma.* Baptismum vero in primis eucharistia, et deinceps cetera sacramenta consequuntur: nam etsi hoc nomen omnibus sacramentis convenit, quum Deo nos coniungant, illiusque participes, cuius gratiam recipimus, efficiant;

*Catech. Rom.*

Quanti sit momenti hanc particulam rite explicari.  
1) I. Io. I, 3.

2) Rom. 12, 4. et seqq.  
I. Cor. 12, 12.  
2. Cor. 8, 13.  
Ephes. 4, 15.  
Vide item Aug. in Ioan. tract. 31.

3) Col. I. 12. Psal. 35.

Christianorum communitas. Sacramenta sunt sacra vincula. Vide Aug. lib. 19. contra Faustum, c. 11.

Sanctorum communio in sacramentorum communionem praecipue spectatur. Symbol. Constant.

Eucharistia communio cur proprie dicitur. Dam. lib. 4. de fid. orth. c. 14. in fin.

magis tamen proprium est eucharistiae, quae hanc efficit communionem.

35. *Participatio meritorum est in ecclesia.*

Charitate effici-  
mur particeps  
omnium bonorum, quae  
in ecclesia fi-  
unt.

1) I. Cor. 13, 5.  
S. Ambr. in ps.  
118. ser. 3.

2) Matt. 6, 11.

3) Rom. 12, 4, 5.  
I. Cor. 12, 13.  
Ephes. 4, 16.

4) I. Cor. 12.  
et seqq.

5) Ibid. 26.

6) Ephes. 1, 23.  
Coloss. 1, 18.

Functionum  
in ecclesia va-  
rietas.

7) I. Cor. 12, 23.  
Ephes. 4, 11.

Sed alia etiam communio in ecclesia cogitanda est. Quaecumque enim pie sancteque ab uno suscipiuntur, ea ad omnes pertinent, et, ut illis prosint, <sup>1</sup> charitate, quae non quaerit quae sua sunt, efficitur. Id vero cum sancti Ambrosii testimonio comprobatur, qui locum illum psalmi explanans: *Particeps ego sum omnium timentium te*, ita inquit: *Sicut membrum particeps esse dicimus totius corporis, sic coniunctum omnibus timentibus Deum*. Quare Christus eam nobis orandi formam praescipuit, ut diceremus: *2) Panem nostrum, non meum*; ac reliqua eius generis, non nobis tantum, sed omnium saluti et commodis prospicientes. At vero haec bonorum communicatio <sup>3</sup> membrorum humani corporis aptissima similitudine in sacris litteris saepe demonstratur: nam in corpore multa sunt membra; sed etsi multa sunt, unum tamen corpus constituunt, in quo singula proprio, non autem omnia eodem munere funguntur. Nec vero omnia eandem dignitatem habent, <sup>4</sup> aut aequae utiles et decoras functiones exsequuntur; nullique suum, sed totius corporis commodum atque utilitas proposita est. Omnia deinde tam apta inter se et connexa sunt, <sup>5</sup> ut, si unum aliquod dolore afficitur, cetera item naturae cognatione et consensu doleant; si contra bene affectum est, communis sit omnibus ille iucunditatis sensus. Atque haec eadem in ecclesia licet contemplari; in qua etsi diversa sunt membra, nempe variae nationes, iudaeorum, gentium, liberi et servi, pauperes et divites, quum tamen baptismo initiantur, unum corpus cum Christo fiunt, <sup>6</sup> cuius ille caput est. Unicuique praeterea in hac ecclesia suum munus assignatum est: ut enim alii in ea <sup>7</sup> apostoli, alii doctores, omnes vero publicae utilitatis causa sunt constituti; ita aliorum est praeesse ac docere, aliorum item parere et subiectos esse.

26. *Scelerati in ecclesia participatione bonorum spiritualium non gaudent.*

At vero tot tantisque muneribus ac bonis divinitus collatis illi fruuntur, qui in charitate vitam christianam degunt, iustique et cari Deo sunt. Membra vero mortua, nimirum homines sceleribus obstricti, et a Dei gratia alienati, hoc quidem bono non privantur, ut huius corporis membra esse desinant; sed quum sint mortua, fructum spiritualem, qui ad iustos et pios homines pervenit, non percipiunt: tametsi, quum in ecclesia sint, ad amissam gratiam vitamque recuperandam ab iis adiuvantur, qui spiritu vivunt, et eos fructus capiunt, quorum expertes esse dubitari non potest, qui omnino ab ecclesia sunt praecisi.

Sceleribus capitalibus obstricti fructum spiritualem non percipiunt, hoc potest colligi ex I. Ioan. 2. et Aug. super ps. 70. conc. 2.

27. *Gratia gratis data, et cetera Dei dona toti ecclesiae sunt communia.*

Nec vero tantum communia sunt ea dona, quae homines caros Deo ac iustos reddunt, sed gratiae etiam gratis datae, in quibus numerantur<sup>1</sup> scientia, prophetia, donum linguarum ac miraculorum, et cetera huius generis; quae dona malis etiam hominibus, non privatae sed publicae utilitatis causa, ad aedificandam ecclesiam, conceduntur: nam sanitatis gratia, non illius, qui ea praeditus est, sed aegroti curandi causa tributa est. Ac nihil tandem a vere christiano homine possidetur, quod sibi cum ceteris omnibus commune esse non existimare debeat: quare ad sublevandam indigentium miseriam prompti ac parati esse debent; nam<sup>2</sup> qui huiusmodi bonis ornatus est, si viderit fratrem suum egere, nec illi subvenerit, is Dei charitatem non habere plane convincitur. Quae quum ita se habeant, satis constat, eos, qui in hac sancta communione sunt, quadam felicitate perfrui, et vere illud dicere posse:<sup>3</sup> *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum; concupiscit et deficit anima mea in atria Domini; et:*<sup>4</sup> *Beati qui habitant in domo tua, Domine.*

Gratiae gratis datae in ecclesia etiam communes. 1) I. Cor. 12, 8. 2) 10.

Eccl. 38, 9.

1) I. Ioan. 3. 2) I. Cor. 13, 25.

3) Ps. 83, 2.

4) Ibid. 5.

# DE DECIMO ARTICULO

## CAPUT XI.

### REMISSIONEM PECCATORUM.

#### 1. Quo modo necessarium sit credere, remissionem peccatorum esse in ecclesia.

Sine certa articulo-  
rum sym-  
boli fide  
nemosalvatur.  
In praefatio-  
ne.

Nemo est, qui, quum videat hunc articulum de remissione peccatorum in ceteris fidei articulis numeratum esse, dubitare possit, eo non solum divinum aliquod mysterium, sed etiam ad salutem comparandam maxime necessarium contineri: nam antea declaratum est, sine certorum fide, quae in symbolo credenda proponuntur, nemini ad christianam pietatem aditum patere. Verum si id, quod per se omnibus notum esse debet, aliquo etiam testimonio confirmandum videatur, satis illud erit, quod Salvator noster paulo ante ascensum in caelum de ea re testatus est, quum discipulis sensum aperuit ut intelligerent scripturas: <sup>1</sup> *Oportebat, inquit, Christum pati et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma.* Quae verba si parochi animadverterint, facile intelligent, quum cetera, quae ad religionem pertinent, fidelibus tradenda sint, tum vero praecipue huius articuli diligenter explicandi magnam eis a Domino necessitatem impositam esse.

1) Lucae 24, 46, 47.  
Isa. 53, 5, 6.  
Dan. 9, 24.  
Matth. 1, 21.  
Ioan. 1, 29.  
Act. 13.

#### 2. In ecclesia veram esse remittendorum peccatorum potestatem.

Munus igitur parochi erit, quod ad hunc locum attinet, docere, non solum peccatorum remissionem in catholica ecclesia reperiri, de qua Isaias praedixerat: <sup>2</sup> *Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas; sed etiam potestatem peccata remittendi in ea esse: qua si rite et secundum leges a Christo domino praescriptas sacerdotes utantur, vere peccata remitti et condonari credendum est.*

2) Isa. 33, 24.  
Ioan. 20, 23.  
Cypr. lib. 1.  
ep. 2, ad Cornelium, Chrysost. lib. 3, de sac. Aug. lib. 50, hom. 49.  
Iren. lib. 3, cap. 13.



3. *Qua ratione peccata in ecclesia remittantur.*

Haec autem venia, quum primum fidem profitentes sacro baptismo abluimur, adeo cumulate nobis datur, ut nihil aut culpae delendum, sive ea origine contracta, sive quid propria voluntate omissum vel commissum sit, aut poenae persolvendum relinquatur. Verum per baptismi gratiam nemo tamen ab omni naturae infirmitate liberatur: quin potius, quum unicuique adversus concupiscentiae motus, quae nos ad peccata incitare non desinit, pugnandum sit, vix ullum reperias, qui vel tam acriter resistat, vel tam vigilanter salutem suam tueatur, ut omnes plagas vitare possit.

Culpa omnis et poena in baptismo remittitur.

Haec latius, ubi de baptismo agitur, Baptismo non tollitur concupiscentia.

Concil. trident. sess. 5. can. 5. Aug. lib. de peccat. mer. c. 28. et l. de civit. cap. 25.

4. *Praeter baptismum, remitti peccata in ecclesia virtute clavium ostenditur.*

Quum igitur necesse fuerit, in ecclesia potestatem esse peccata remittendi, alia etiam ratione, quam baptismi sacramento, claves regni caelorum illi concredita sunt, quibus possint unicuique poenitenti, etiamsi usque ad extremum vitae diem peccasset, delicta condonari. Clarissima huius rei testimonia in sacris litteris habemus; nam apud sanctum Matthaeum Dominus ita ad Petrum loquitur: <sup>1</sup> *Tibi dabo claves regni caelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* Item: <sup>2</sup> *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.* Deinde sanctus Ioannes testatur, Dominum, quum insufflasset apostolis, dixisse: <sup>3</sup> *Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.*

<sup>1</sup>) Matt. 16, 19.

<sup>2</sup>) Matt. 18, 18.

<sup>3</sup>) Jo. 20, 22, 23.

5. *Nullis certis peccatis et temporibus potestas remittendi peccata circumscribitur.*

Neque vero existimandum est, hanc potestatem certis quibusdam peccatorum generibus definitam esse: nullum enim tam nefarium facinus vel admitti vel cogitari potest, cuius remittendi

Potestatis remittendi peccata amplitudo.

Vide Ambr.

lib. 1. de poenitent. c. 1. et 2.  
 Aug. in Enchirid. c. 83.  
 1) Ezech. 18, 21.

2) Matt. 18, 21.  
 Christus in quantum Deus auctoritative, et in quantum homo merito-rie remittit peccata. Ambros. lib. 8. in Lucam c. 71.

potestatem sancta ecclesia non habeat; quemadmodum etiam nemo adeo improbus et scelestus fuerit, quem <sup>1</sup> si erratorum suorum vere poeniteat, certa ei veniae spes proposita esse non debeat. Sed neque haec eadem potestas ita circumscribitur, ut praefinito solum aliquo tempore ea uti liceat: nam quacumque hora peccator ad sanitatem redire voluerit, reiiciendum non esse docuit <sup>2</sup> Salvator noster, quum principi apostolorum interroganti, quoties peccatoribus ignoscendum esset, an septies, respondit: *Non septies, sed usque septuagies septies.*

6. *Non omnibus christianis potestas remittendi peccata est concessa.*

Verum si ministros divinae huius potestatis spectemus, ea minus late patere videbitur. Dominus enim non omnibus, sed episcopis tantum et sacerdotibus tam sancti muneris potestatem dedit. Idem etiam censendum erit, quod ad rationem eius potestatis exercendae pertinet: nam per sacramenta solum, si eorum forma servetur, peccata remitti possunt; aliter vero nullum ius a peccatis solvendi ecclesiae datum est: ex quo sequitur, tum sacerdotes, tum sacramenta ad peccata condonanda veluti instrumenta valere, quibus Christus dominus, auctor ipse et largitor salutis, remissionem peccatorum et iustitiam in nobis efficit.

7. *Quantum sit munus remittendorum peccatorum ecclesiae concessum.*

Ut autem fideles caeleste hoc munus, quod singulari in nos Dei misericordia ecclesiae donatum est, magis suspiciant, atque ad eius usum et tractationem ardentiori pietatis studio accedant, conabitur parochus huius gratiae dignitatem et amplitudinem demonstrare. Ea autem ex hoc potissimum perspicitur, si, cuius virtutis sit peccata remittere, et homines ex iniustis iustos reddere, diligenter expositum fuerit. Constat enim, infinita et immensa Dei vi hoc effici; quam eandem in excitandis mortuis, et in mundi creatione necessariam esse credimus. Quod si etiam, ut Augustini sententia confirmatur,

Iustificatio peccatorum est infinitae Dei potentiae opus.

maius opus existimandum est, aliquem ex impio pium facere, quam caelum et terram ex nihilo creare, quum ipsa creatio non nisi ex infinita virtute possit existere; consequens est, ut multo magis peccatorum remissio infinitae potestati tribuenda sit.

8. *Nullus praeter solum Deum propria auctoritate peccata remittit.*

Quare verissimas esse priscorum patrum voces agnoscimus, quibus confitentur, ab uno Deo peccata hominibus condonari, neque ad alium auctorem, quam ad summam eius bonitatem et potentiam, tam mirificum opus referendum esse.

<sup>1</sup> *Ego sum*, inquit ipse Dominus per Prophetam, *ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas*. Nam scelerum remittendorum eadem ratio videtur esse, quam in pecunia debita servare oportet. Quemadmodum igitur a nemine, nisi a creditore, pecunia, quae debetur, remitti potest; ita quum uni Deo peccatis obstricti sumus (siquidem quotidie oramus: <sup>2</sup> *Dimitte nobis debita nostra*), perspicuum est, a nemine, praeter illum, debita nobis condonari posse.

9. *Potestas remittendi peccata ante Christum natum nulli mortalium concessa fuit.*

Hoc vero admirabile et divinum munus, antequam Deus homo fieret, nulli creatae naturae impertitum est. Primus omnium Christus salvator noster, ut homo, quum idem Deus verus esset, hoc munus a caelesti patre traditum accepit: <sup>3</sup> *Ut sciatis*, inquit, *quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam*. Quum igitur homo factus esset, ut hominibus hanc peccatorum veniam largiretur, priusquam in caelum ascenderet, ut ibi ad dexteram Dei in perpetuum sederet, <sup>4</sup> eam potestatem episcopis et presbyteris in ecclesia concessit: quamquam, ut antea docuimus, Christus sua auctoritate, ceteri, ut eius ministri, peccata dimittunt. Quamobrem, si quae infinita virtute effecta sunt, maxime admirari et suspicere debemus, satis intelligimus, pretiosissimum

Rom. 8, 33, et I. Cor. 6, 11. Divus August, tract. 72. in Ioan.

Solus Deus peccata remittit, quod similitudine declarator. Aug. lib. 1. de pecc. meritis c. 23. et hom. 23. in lib. 50. hom. Ambr. lib. 2. de Cain et Abel cap. 4. 1) Isa. 43, 25.

2) Matth. 6, 12.

Christus ut homo potestatem habuit remittendi peccata excellenter: vide divum Th. 3. part. quaest. 64. art. 3. 3) Matth. 9, 6.

4) Ioan. 20, 23.

hoc munus esse, quod Christi domini benignitate ecclesiae donatum est.

10. *Qua virtute homines peccatorum suorum veniam consequantur.*

Christi sanguine peccata remitti.

1) Matth. 6.  
Rom. 3, 24.  
Ephas. I, 7.  
Apoc. I, 5.

2) I. Petr. 3, 18.

3) I. Petr. I, 18.

Sed ipsa etiam ratio, qua Deus, clementissimus pater, mundi peccata delere constituit, animos fidelium ad huius beneficii magnitudinem contemplantam vehementer excitabit: <sup>4</sup> sanguine enim unigeniti filii sui scelera nostra expiari voluit, ut poenam, quam nos pro peccatis commeruimus, ultro ille persolveret, <sup>2</sup> iustusque pro iniustis damnaretur, innocens pro reis morte acerbissima afficeretur. Quare quum animo cogitabimus, <sup>3</sup> nos non corruptibilibus auro et argento redemptos esse, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati; facile statuemus, nihil nobis salubrius contingere potuisse hac remittendi peccata potestate, quae inexplicabilem Dei providentiam, summamque erga nos charitatem ostendit. Ex hac autem cogitatione maximus fructus ad omnes perveniat, necesse est.

11. *Quo maxime pacto cernatur amplitudo beneficii, quod in potestate clavium offertur.*

Mortalis peccati effectus.

4) Hebr. 10, 26.

5) I. Cor. 6, 9.

Apoc. 22, 15.

Gen. 3.

Quantum sit Dei beneficium in potestate clavium ecclesiae concessum.

Nam qui Deum mortali aliquo peccato offendit, quidquid meritorum <sup>4</sup> ex Christi morte et cruce consequutus est, statim amittit, et <sup>5</sup> omnino paradisi aditu, quem prius interclusum Salvator noster passione sua omnibus patefecit, prohibetur. Quod quidem quum in mentem venit, facere non possumus, quin humanae miseriae consideratio vehementer sollicitos nos habeat. Verum si animum ad hanc admirabilem potestatem referamus, quae ecclesiae divinitus tributa est, et huius articuli fide confirmati, oblatam unicuique facultatem credamus, ut possit divina ope adiutus in pristinum dignitatis statum restitui; tunc vero cogimur summo gaudio et laetitia exultare, et immortales Deo gratias agere. Ac profecto, si grata et iucunda medicamenta videri solent, quae nobis medicorum arte et industria, quum gravi aliquo morbo laboramus, parantur; quanto iucundiora esse debent ea remedia, quae

Simile.

Dei sapientia ad animorum curationem, atque adeo ad vitam reparandam instituit? quum praesertim non quidem dubiam salutis spem, ut medicinae illae, quae corporibus adhibentur, sed certissimam iis, qui sanari cupiunt, salutem afferant.

12. *Cur, ac quo modo remedia, in potestate clavium ecclesiae tributa, christiani frequentare debeant.*

Erunt igitur fideles hortandi, postquam tam ampli et praeclari muneris dignitatem cognoverint, ut illud etiam studeant ad suum commodum religiose convertere. Vix enim fieri potest, ut qui re utili et necessaria non utatur, eam contemnere non existimetur; praesertim vero quum Dominus hanc potestatem remittendi peccata ea re tradiderit ecclesiae, ut omnes hoc salutari remedio uterentur: nam quemadmodum nemo sine baptismo expiari potest, ita quicumque baptismi gratiam mortiferis sceleribus amissam recuperare voluerit, ad aliud expiationis genus, nimirum poenitentiae sacramentum, confugiat necesse est. Verum hoc loco admonendi sunt fideles, ne, tam ampla veniae facultate proposita, quam etiam nullius temporis termino definiri declaravimus, vel ad peccandum faciliores, vel ad resipiscendum tardiores reddantur: in altero enim quum iniuriosi et contumeliosi in hanc divinam potestatem manifeste deprehendantur, indigni sunt, quibus Deus misericordiam suam impertiatur; in altero vero magnopere verendum est, ne, morte praeoccupati, frustra peccatorum remissionem confessi fuerint, quam tarditate et procrastinatione merito amiserunt.

Frequentandum poenitentiae sacramentum.

Propter veniae facultatem non peccandum.

Eccles. 5, 6. et 21, 2.

Non differendam esse poenitentiam usque ad mortem, docet Christus.

Lucas 12, 39.

Vide Aug. tractat. 33. in

Joan. et lib. 50. homil. 41.

Amb. lib. 2. de poenit. c. 1.

et 2. cap. 17.

# DE UNDECIMO ARTICULO

## CAPUT XII.

### CARNIS RESURRECTIONEM.

#### 1. *Quantum referat de hoc articulo exploratam habere cognitionem.*

Resurrectio-  
nis articulus  
scripturis  
praecipue est  
confirmatus.  
1) Iob 19, 15,  
26.  
Isa. 26, 19.  
Ezech. 37.

2) I. Cor. 15,  
13, 14.

Magnam huius articuli vim esse ad fidei nostrae veritatem stabiliendam, id maxime ostendit, quod <sup>1</sup> divinis litteris non solum credendus fidelibus proponitur, sed multis etiam rationibus confirmatur: quod quidem quum in aliis symboli articulis vix fieri videamus, intelligi potest, hoc veluti firmissimo fundamento salutis nostrae spem nixam esse; nam, ut Apostolus ratiocinatur, <sup>2</sup> *Si mortuorum resurrectio non est, neque Christus resurrexit; quod si Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est et fides vestra.* In eo igitur explicando parochus non minus operae et studii ponet, quam in eo evertendo multorum impietas laborarit: magnas enim et praeclaras utilitates ex ea cognitione ad fidelium fructum redundare, paulo post demonstrabitur.

#### 2. *Cur apostoli resurrectionem hominum hic carnis resurrectionem appellarint.*

Animam im-  
mortalem esse  
probat Iren.  
lib. 2. cap. 44.  
ex genes. 2. et  
ps. 20, et 148.  
Vide item Au-  
gust. lib. 2.  
soliloquiorum  
c. 13, et con-  
sentit Dam.  
in sua logica  
cap. 64. Arist.  
lib. 12. meta-  
phys. tex. 17.

3) Isa. 40, 6.  
4) Ioan. I, 14.  
Ad cuius ad-  
ventum omnes

Sed hoc in primis attendere oportebit, resurrectionem hominum in hoc articulo carnis resurrectionem appellari; quod quidem sine causa factum non est. Nam docere voluerunt apostoli id, quod necessario ponendum est, animam esse immortalem: quare ne quis forte eam simul cum corpore interiisse, utrumque vero in vitam revocari existimaret, quum animam plurimis sacrarum litterarum locis immortalem esse plane constet, ob eam rem carnis tantum suscitandae mentio in articulo facta est; et quamquam saepe etiam in sacris scripturis caro integrum hominem, ut est apud Isaiam: <sup>3</sup> *Omnis caro foenum;* et apud sanctum Ioannem: <sup>4</sup> *Et verbum caro factum est,* significet; hoc tamen loco carnis

vox corpus declarat, ut duarum partium animae et corporis, quibus homo constat, alteram tantum, nempe corpus corrumpi, <sup>1</sup> et in pulverem terrae, ex qua compactum est, redire, animam vero incorruptam et immortalem manere intelligamus. At vero quum nemo, nisi mortuus fuerit, ad vitam revocetur, anima proprie non dicitur resurgere. Carnis quoque mentio facta est, illius haeresis confutandae causa, quae, vivo <sup>2</sup> Apostolo, Hymenaei et Phileti fuit, qui asserabant, quum de resurrectione in scripturis sacris ageretur, non de corporea, sed de spirituali, qua a morte peccati ad vitam innocentem resurgitur, accipiendum esse. Itaque his verbis planum fit, eum errorem tolli, et veram corporis resurrectionem confirmari.

3. *Quibus potissimum scripturis doctrina de vera corporum resurrectione stabilienda sit.*

Verum parochi partes erunt, hanc veritatem illustrare exemplis ex veteri novoque testamento, et ex omni ecclesiastica historia depromptis; alii enim ab <sup>3</sup> Elia et <sup>4</sup> Eliseo in veteri testamento; alii, praeter eos, quos <sup>5</sup> Christus dominus a morte excitavit, a sauctis <sup>6</sup> apostolis <sup>7</sup> aliisque permultis ad vitam revocati sunt; quae resurrectio multorum huius articuli doctrinam confirmat. Ut enim plures a morte excitatos credimus, ita universos ad vitam revocatum iri credendum est; quin etiam praecipuus fructus, quem nos ex huiusmodi miraculis capere debemus, ille est, ut summam fidem huic articulo tribuamus. Sunt multa testimonia, quae parochis, qui in sacris litteris mediocriter versati sunt, facile occurrent. Illustriora vero loca sunt in veteri quidem testamento, quae leguntur apud Iob, <sup>8</sup> quum ait, se in carne sua conspecturum Deum suum; et apud Danielelem de iis, <sup>9</sup> qui in pulvere terrae dormiunt, alios in vitam aeternam, alios in opprobrium sempiternum evigilatos: in novo autem testamento, quae sanctus Matthaeus <sup>10</sup> refert de disputatione, quam Dominus cum Sadducaeis habuit; praeterea <sup>11</sup> quae evangelistae narrant de extremo iudicio. Atque

homines etc. Athan. in symb.

1) Genes. 3, 19.

Corpus solum corrumpitur. Dam. lib.

4. c. 28. Anima cum non intereat, non resurgit.

2) 1. Tim. 2, 17, 18.

Errorem hunc Basiliden secutus est, teste Iren. lib. 1. cap. 13.

3) 3. Reg. 17, 22.

4) 4. Reg. 4, 34.

5) Matt. 9, 25.

Lucas 7, 13, 14, 15.

Ioan. 11, 43.

6) Act. 9, 40.

7) Iren. lib. 2, c. 56. et Eus. lib. 5. c. 7.

Ambr. serm. 90. de sancta Agnetc.

8) Iob 19, 25.

26.

9) Dan. 12, 2.

10) Matt. 22, 32.

Marc. 12, 25.

26.

11) Matt. 19, 28. Ioan. 5, 25, 28.

1) I. Cor. 15, 12. huc etiam referenda sunt, quae Apostolus <sup>1</sup> ad Corinthios et ad <sup>2</sup> Thessalonicenses scribens, accurata ratione disseruit.

2) I. Thess. 4, 13.

Ambr. lib. de fide resur. e. 10, usque ad 20.

3) I. Cor. 15, 36, 37, 38, 42. Dem. lib. 4, de fid. orth. cap. 28.

S. Gregor. lib. 14. moral. c. 28, 29, et 30.

Haec ratio sumitur ex Arist. in 3. de anima text. 4, et 12. met. text. 17. Aug. lib. 2. soliloq. c. 13. usque ad 19. Arist. lib. 2. de caelo textu 18. Scot. 4. dist. 43. q. 2. lit. T.

4) Matt. 22, 32.

Vide hanc rationem apud

4. *Quibus similitudinibus eadem veritas stabiliri possit.*

Sed quamvis hoc fide certissimum sit, multum tamen proderit vel exemplis vel rationibus ostendere, id quod fides credendum proponit, a natura aut ab humanae mentis intelligentia non abhorere: itaque Apostolus quaerenti quo modo resurgerent mortui, sic respondit: <sup>3</sup> *Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur; et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicuius ceterorum; Deus autem dat illi corpus sicut vult; et paulo post inquit: Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.* Ad eam similitudinem multas praeterea adiungi posse, sanctus Gregorius ostendit: *Lux enim, inquit, quotidie quasi moriendo oculis subtrahitur, et rursus quasi resurgendo revocatur; et arbusta viriditatem amittunt, et rursus quasi resurgendo reparantur; et semina putrescendo moriuntur, et rursus germinando resurgunt.*

5. *Rationes, quibus haec ipsa veritas comprobatur.*

Rationes illae praeterea, quae ab ecclesiasticis scriptoribus afferuntur, satis ad eam rem probandam accommodatae videri possunt. Ac primum quidem, quum animae immortales sint, et tamquam pars hominis ad humana corpora naturalem propensionem habeant, eas a corporibus seiunctas perpetuo manere, praeter naturam existimandum est. Quoniam vero, quod naturae adversatur ac violentum est, diuturnum esse non potest; consentaneum fore videtur, ut denuo cum corporibus iungantur; ex quo etiam sequitur, ut corporum resurrectio futura sit: quo quidem argumentandi genere <sup>4</sup> Salvator noster usus est, quum adversus Sadducaeos disputans, ex animarum immortalitate corporum resurrectionem conclusit.

Deinde quum malis supplicia, bonis praemia a iustissimo Deo sint proposita; ex illis vero



quamplurimi, antequam debitas poenas persolvant, ex his magna ex parte nullis affecti virtutis praemiis e vita decedant: necesse est iterum animas cum corporibus coniungi, ut pro sceleribus aut recte factis corpora, quibus veluti peccati sociis homines utuntur, una cum anima poena aut praemio afficiantur; qui locus diligentissime tractatus est a sancto Chrysostomo in homilia ad populum Antiochenum. Quare Apostolus, quum de resurrectione dissereret, <sup>1</sup> *Si in hac vita, inquit, tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Quae quidem verba nemo ad animae miseriam referri existimabit, quae quum immortalis sit, quamvis corpora non resurgerent, in futura tamen vita beatitudine frui posset; verum de toto homine intelligenda sunt: nisi enim corpori debita pro laboribus praemia reddantur, necesse est, ut qui, quemadmodum apostoli, tot aerumnas et calamitates in vita perpessi sunt, omnium sint miserrimi. Idem vero multo apertius docet ad Thessalonicenses his verbis: <sup>2</sup> *Gloriamur in ecclesiis Dei pro patientia vestra, et fide in omnibus persecutionibus vestris et tribulationibus, quas sustinetis in exemplum iusti iudicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini: si tamen iustum est apud Deum tribuere tribulationem iis, qui vos tribulant, et vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione domini Iesu de caelo, cum angelis virtutis eius in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt evangelio domini nostri Iesu Christi.* Adde etiam, non posse homines, quamdiu anima a corpore seiuncta est, plenam felicitatem et bonis omnibus cumulatam adipisci. Ut enim quaelibet pars, a toto separata, imperfecta est; ita etiam anima, quae corpori non est adiuncta: ex quo sequitur, ut illi ad summam felicitatem nihil desit, corporum resurrectionem necessariam esse. His igitur atque aliis huiusmodi rationibus parochus fideles in hoc articulo erudire poterit.

Dam. lib. 4. de fide orth. c. 28. et Ambr. in lib. de fide resurr. c. 19. S. Chrysost. hom. 49. et 50. ad pop. antioch. Vide item hom. 44. in Ioan.

1) 1. Cor. 15, 19.

2) 2. Thess. 1. 4. 5. 6. 7. 8.

Plena beatitudo hominis non est, nisi anima corpori iungatur.

6. *Nullus homo tunc invenietur, qui mortis et resurrectionis sit expertus.*

De varia resurgentium conditione.  
1) 1. Cor. 15. 22. Omnes resurgemus, ergo omnes moriemur.

2) Ioan. 5. 29. Omnes homines morientur antequam iudicio finis imponatur.

Gen. 3.  
Rom. 5. 6.  
Hebr. 9.  
Psal. 88.  
Hieron. ep. 15. ad Mide- rium et Ale- xandrum.

Aug. lib. 20. de civit. c. 20.

3) The. 4. 16. S. Ambr. in I. epistola ad thes. c. 4.

Aug. lib. 20. de civ. Dei c. 20.

Explicare praeterea diligenter oportebit ex Apostoli doctrina, quinam ad vitam suscitandi sint: nam ad Corinthios scribens, <sup>1</sup> *Sicut in Adam, inquit, omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Omni itaque malorum bonorumque discrimine remoto, omnes a mortuis, quamquam non omnium par conditio futura est, resurgent: <sup>2</sup> qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii. Quum autem omnes dicimus, tam eos intelligimus, qui adventante iudicio mortui iam erunt, quam eos, qui morientur. Huic enim sententiae, quae asserit omnes morituros esse, nemine excepto, ecclesiam acquiescere, ipsamque sententiam magis veritati convenire, scriptum reliquit sanctus Hieronymus; idem sentit et sanctus Augustinus. Neque vero huic sententiae repugnant Apostoli verba ad Thessalonicenses scripta: <sup>3</sup> *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi; deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera.* Nam sanctus Ambrosius, quum ea explanaret, ita inquit: *In ipso raptu mors praeveniet; et quasi per soporem, ut egressa anima in momento reddatur: quum enim tollentur, morientur, ut pervenientes ad Dominum, praesentia Domini recipiant animos, quia cum Domino mortui esse non possunt.* Eademque sententia comprobatur sancti Augustini auctoritate in libro de civitate Dei.

7. *Idem prorsus corpus anima humana in extremo iudicio recipiet.*

Idem omnino corpus resurget Hieron. in Paulae epistoph.

Greg. lib. 14. mor. c. 29. Ezech. 37.

4) 1. Cor. 15. 53.

Quum vero multum referat nobis certo persuaderi, hoc ipsum atque ideo idem corpus, quod uniuscuiusque proprium fuit, quamvis corruptum sit, et in pulverem redierit, tamen ad vitam suscitandum esse; illud etiam parochus accurate explicandum suscipiet. Haec Apostoli est sententia, quum inquit: <sup>4</sup> *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, ea voce hoc proprium*

corpus aperte demonstrans. Iob etiam de eo clarissime vaticinatus est: <sup>1</sup> *Et in carne mea, inquit, videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius.* <sup>2</sup> Hoc idem colligitur ex ipsius resurrectionis definitione: est enim resurrectio, auctore Damasceno, ad eum statum, unde cecideris, revocatio. Denique si consideremus, cuius rei causa resurrectionem futuram paulo ante demonstratum est, nihil erit, quod cuiusquam animum hac in re dubium facere possit.

<sup>1</sup>) Iob 19, 26.  
<sup>2</sup>)  
Damasc. lib. 4.  
de orthod. fide  
c. 28.

8. *Cuius rei causa resurrectio corporum divinitus sit instituta.*

Idcirco autem corpora excitanda esse docuimus, <sup>2</sup> ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Hominem igitur ex ipso corpore, cuius opera vel Deo, vel daemioni servivit, resurgere oportet, ut cum eodem corpore triumphum coronas et praemia consequatur, aut poenas et supplicia miserima perferat.

Resurrectionis causas vide sect. 5.  
<sup>2</sup>) I. Cor. 5, 20.

9. *Corpora contractam in hac mortali vita deformitatem non resument.*

Neque vero corpus tantum resurget, sed quidquid ad illius naturae veritatem, atque ad hominis decus et ornamentum pertinet, restituendum est. Praeclarum ea de re sancti Augustini testimonium legimus: *Nihil tunc vitii, inquit, in corporibus existet: si aliqui plus pinguedine obesi et crassi extiterint, non totam corporis molem assument, sed quod illam habitudinem superabit, reputabitur superfluum; et e diverso, quaecumque vel morbus vel senium confecit in corpore, reparabitur per Christum virtute divina, ut, si aliqui propter macrorem fuerint graciles, quia Christus non solum nobis corpus reparabit, sed quidquid per miseriam huius vitae fuerit nobis ademptum.* Item alio loco: *Non resumet homo capillos, quos habuerit, sed quos decuerit, iuxta illud: <sup>3</sup> Omnes capilli capitis vestri numerati sunt: qui secundum divinam sapientiam sunt reparandi.* In primis vero, quoniam membra ad veritatem humanae naturae

Corporis resurgentis pulcritudo et integritas. S. Aug. lib. 11, de civit. Dei, c. 19, et 20, et 21, et Ezech. c. 86, 87, 88, 89, et 90. Vide item Hieron. in ep. ad Pammachium de erroribus Iohannis hieros.

Capilli quos homo recipiet. Aug. lib. 22, civit. c. 19, et enchirid. c. 89.

<sup>3</sup>) Matt. 10, 30.

pertinent, simul restituentur omnia. Qui enim vel ab ipso ortu oculis capti sunt, vel ob aliquem morbum lumina amiserunt, claudi, atque omnino manci, et quibusvis membris debiles, integro ac perfecto corpore resurgent: aliter enim animae desiderio, quae ad corporis coniunctionem propensa est, minime satisfactum esset; cuius tamen cupiditatem in resurrectione explendam esse, sine dubitatione credimus. Praeterea satis constat, resurrectionem, aequae ac creationem, inter praecipua Dei opera numerari. Quemadmodum igitur omnia a Deo initio creationis perfecta fuerunt, ita etiam in resurrectione futurum omnino affirmare oportet.

10. *Martyres corporibus integris resurgentes, in eis vulnerum cicatrices gestabunt.*

Vide lib. 22. de civit. Dei c. 19. 20. ubi horum verborum sensus planior est. Cicatrices martyrum relinquuntur post resurrectionem ad cumulum felicitatis, in improbis autem contra ad miseriam.

Neque id de martyribus solum fatendum est, de quibus sanctus Augustinus ita testatur: *Non erunt absque illis membris; non enim posset illa mutilatio non esse corporis vitium, alioquin qui capite truncati sunt, deberent sine capite resurgere*: verumtamen exstabant in eorundem membrorum articulis gladii cicatrices, refulgentes super omne aurum et lapidem pretiosum, veluti et cicatrices vulnerum Christi.

11. *Etiam improborum corpora mutilata hic resurgent integra.*

Quod de improbis quoque verissime dicitur, etsi illorum culpa membra amputata fuerint; nam quo plura membra habebunt, tanto acerbiori dolorum cruciatu conficientur: quare illa membrorum restitutio non ad eorum felicitatem, sed ad calamitatem ac miseriam est redundatura, quum merita non ipsis membris, sed personae, cuius corpori coniuncta sunt, adscribantur: nam iis, qui poenitentiam egerunt, ad praemium; illis vero, qui eandem contempserint, ad supplicium restituentur. Haec vero si a parochis attente considerentur, numquam eis rerum et sententiarum copia deerit ad excitandos inflammandosque pietatis studio fidelium animos; ut vitae huius molestias et aerumnas cogitantes, beatam illam re-

surrectionis gloriam, quae iustis et piis proposita est, avidè expectent.

12. *Corpora hominum, postquam resurrexerint, qualia sint futura.*

Sequitur nunc, ut fideles intelligant, si ea spectemus, quae corporis substantiam constituunt, quamvis illud ipsum, atque idem corpus a mortuis revocari oporteat, quod antea extinctum fuerat, longe aliam tamen et diversam eius conditionem fore. Ut enim cetera omittamus, in eo maxime resurgentium corpora a se ipsis differant, quod, quum antea mortis legibus subiecta essent, posteaquam ad vitam suscitata fuerint, sublato bonorum malorumque discrimine, immortalitatem assequuntur. Quam quidem admirabilem naturae restitutionem insignis Christi victoria meruit, quam de morte reportavit, quemadmodum sacrarum scripturarum testimonia nos admonent; scriptum est enim: <sup>1</sup> *Praecipitabit mortem in sempiternum*; et alibi: <sup>2</sup> *Ero mors tua, o mors*; quod explicans Apostolus, inquit: <sup>3</sup> *Novissime autem inimica destruetur mors*; et apud sanctum Ioannem legimus: <sup>4</sup> *Mors ultra non erit*. Decebat autem maxime Christi domini merito, quo mortis imperium eversum est, peccatum Adae longo intervallo superari. Idem etiam divinae iustitiae consentaneum fuit, ut boni beata vita perpetuo fruerentur; mali vero, sempiternas poenas luentes, <sup>5</sup> quaererent mortem, et non invenirent, optarent mori, et mors fugeret ab eis. Atque haec quidem immortalitas bonis malisque communis erit.

13. *Cuiusmodi dotibus beatorum corpora post resurrectionem erunt ornata.*

Habebunt praeterea sanctorum rediviva corpora insignia quaedam et praeclara ornamenta, quibus multo nobiliora futura sint, quam umquam antea fuerint. Praecipua vero sunt quatuor illa, quae dotes appellantur, ex Apostoli doctrina, a patribus observatae. Earum prima est impassibilitas, munus scilicet et dos, quae efficiet, ne molesti aliquid pati, ullove dolore aut incommodo affici queant; nihil enim aut frigorum vis, aut

Corpus iuxta substantiam idem prorsus resurget, sed tamen diversa qualitate.

Corpora damnatorum in medio igne fore perpetuo probat Aug. lib. 21. civ. c. 2, 3, 4.

1) Isa. 25, 8.

2) Ose. 13, 14.

3) I. Cor. 15, 26.

4) Apoc. 21, 4. Immortalitas bonis et malis communis iustitiae Dei consentanea.

5) Apoc. 9, 6.

Quatuor dotes resurgentium corporum in beatis; de quibus post Apostolum Aug. ser. 90. de temp. Ambros. in epist. I. ad Cor. 15. Primum ornamentum resurgentium

corporum in  
beatis est im-  
passibilitas.

1) I. Cor. 15, 42.  
vide item Isa.  
25. et 49. 10.  
Apoc. 7. 16.  
21. 4.

Damnatorum  
corpora licet  
sint incorrup-  
tibilis, pati  
tamen possunt.

Job 14, 22.

Isa. 66, 24.

Matth. 13, 50.  
et 25, 46.

Secundum or-  
namentum or-  
nit claritas.

2) Matth. 13, 43.

Sap. 3. 7.

Dan. 12, 3.

3) Matt. 17, 2.

4) Phil. 3, 21.

5) I. Cor. 15, 43.

6) Exod. 34, 29.

7) 2. Cor. 3, 7.  
Claritas haec,  
quid sit.

Ioan. 14, 2.  
In domo Pa-  
tris mei man-  
siones, etc.

8) I. Cor. 15,  
41. 42.

Tertium or-  
namentum a-  
gilitas.

Sap. 3.

Apoc. 14.

Aug. lib. 13,

de civit. cap.

18, et 20. et

flammae ardor, aut aquarum impetus obesse eis poterit. <sup>1</sup> *Seminatur*, inquit Apostolus, *in corruptione, surget in incorruptione*. Quod autem impassibilitatem potius quam incorruptionem scholastici appellarint, ea causa fuit, ut, quod est proprium corporis gloriosi, significarent: non enim impassibilitas illis communis est cum damnatis, quorum corpora, licet incorruptibilia sint, aestuare tamen possunt, atque algere, variisque cruciatibus affici.

Hanc consequitur claritas, qua sanctorum corpora, tamquam sol, fulgebunt; ita enim apud sanctum Matthaeum testatur Salvator noster: <sup>2</sup> *Iusti, inquit, fulgebunt, sicut sol in regno patris eorum*. Ac ne quis de eo dubitaret, <sup>3</sup> suae transfigurationis exemplo declaravit. Hanc interdum Apostolus gloriam, modo claritatem appellat. <sup>4</sup> *Reformabit*, inquit, *corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*; et rursus: <sup>5</sup> *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*. Huius etiam gloriae <sup>6</sup> imaginem quandam vidit populus Israel in deserto, quum facies Moysis ex colloquio et praesentia Dei ita colluceret, <sup>7</sup> ut in eam filii Israel oculos intendere non possent. Est vero claritas haec fulgor quidam ex summa animae felicitate ad corpus redundans, ita ut sit quaedam communicatio illius beatitudinis, qua anima fruitur; quo modo etiam anima ipsa beata efficitur, quod in eam pars divinae felicitatis derivetur. Hoc vero munere non aequae omnes, perinde ac primo, ornari credendum est: erunt quidem sanctorum corpora omnia aequae impassibilia, sed eundem splendorem non habebunt; nam ut testatur Apostolus: <sup>8</sup> *Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum: stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum*.

Cum hac dote coniuncta est illa, quam agilitatem vocant, qua corpus ab onere, quo nunc premitur, liberabitur; facillimeque in quamcumque partem anima voluerit, ita moveri poterit, ut ea motione nihil celerius esse queat, quemadmodum aperte sanctus Augustinus in libro de

civitate Dei, et Hieronymus in Isaiam docuerunt. Quare ab Apostolo dictum est: <sup>1</sup> *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.*

His vero addita est, quae vocatur subtilitas, cuius virtute corpus animae imperio omnino subiicietur, eique serviet, et ad nutum praesto erit; quod ex illis Apostoli verbis ostenditur: <sup>2</sup> *Seminatur, inquit, corpus animale, surget corpus spiritale.* Haec fere sunt praecipua capita, quae in huius articuli explicatione tradenda erunt.

14. *Quem fructum ex tantis resurrectionis mysteriis fideles capient.*

Ut autem fideles sciant, quem fructum ex tot tantorumque mysteriorum cognitione capere possint, primum declarare oportebit, maximas a nobis Deo gratias agendas esse, <sup>3</sup> qui haec sapientibus absconderit, et revelaverit parvulis. Quot enim viri, vel prudentiae laude praestantes, vel singulari doctrina praediti, in hac tamen certa veritate caeci plane fuerunt? Quod igitur nobis illa patefecerit, quibus ad eam intelligentiam adspirare non licebat, est quod summam eius benignitatem et clementiam perpetuis laudibus celebremus.

Deinde magnus etiam ille fructus ex huius articuli meditatione consequetur, quod scilicet in eorum morte, qui nobis necessitudine vel benevolentia coniuncti sunt, facile tum alios, tum nos ipsos consolabimur: quo quidem genere consolationis <sup>4</sup> Apostolum usum esse constat, quum ad Thessalonicenses de dormientibus scriberet.

Sed in omnibus etiam aliis aerumnis, et in calamitatibus, futura resurrectionis cogitatio summam nobis doloris levationem afferet, quemadmodum sancti Iob exemplo didicimus, <sup>5</sup> qui una hac spe afflictum et moerentem animum sustentabat, fore aliquando, ut in resurrectione dominum Deum suum conspiceret.

Praeterea hoc plurimum valebit ad persuadendum fidelibus populis, ut rectam vitam, integram, ab omnique prorsus peccati labe puram, agere quam diligentissime carent: si enim co-

1. 12. c. 11, Hieron. in c. 40. Isa. super illa verba: Mutabunt fortitudinem.

1) 1. Cor. 16, 43. Quantum ornamentum subtilitas.

2) 1. Cor. 15, 44.

Quam salutare ex articulo resurrectionis capiuntur fructus.

Primus.

3) Matt. 11, 25.

Secundus.

4) 1. Thess. 4, 13.

Tertius.

5) Iob 19, 26, 27.

Quartus.

gitaverint ingentes illas divitias, quæ resurrectionem consequuntur, ipsis propositas esse, facile ad virtutis et pietatis studia allicientur. Contra vero nulla res maiorem vim habitura est ad comprimendas animi cupiditates, hominesque a sceleribus avocandos, quam si sæpius admonentur, quibusnam malis et cruciatibus improbi afficiendi sunt, <sup>1</sup> qui extremo illo die procedent in resurrectionem iudicii.

1) Ioan. 5, 29.

## DE DUODECIMO ARTICULO

### CAPUT XIII.

#### VITAM AETERNAM.

1. *Cur postremo loco hic fidei articulus sit positus, et quantum referat, illum frequenter populo explicari.*

Agens agit propter finem. Arist. lib. 2. phys. text. 49. et 81.

Fidelibus difficillima quæque, æternæ vitæ intuitu, facilia. Matth. 5, 16, et 19. 2. Cor. 4, 17. Hebr. 1, 19.

Vita æterna æternam beatitudinem significat. Vid. August. lib. 5. civit. c. 12. 19. et 11. et in ps. 118. conc. 19.

Sancti apostoli, duces nostri, symbolum, quo fidei nostræ summa continetur, æternæ vitæ articulo claudi et terminari voluerunt: tum quia post carnis resurrectionem nihil aliud fidelibus expectandum est, nisi æternæ vitæ præmium; tum vero, ut perfecta illa felicitas et bonis omnibus cumulata nobis semper ante oculos versaretur, doceremurque, in ea mentem et cogitationes nostras omnes defigendas esse. Quare parochi in erudiendis fidelibus numquam intermittent, præmiis æternæ vitæ propositis, eorum animos accendere; ut, quaecumque vel difficillima christiani nominis causa subeunda esse docuerint, facilia, atque ideo iucunda existiment, promptioresque ad parendum Deo et alacriores redantur.

2. *Quid hic per vitam æternam significetur.*

Sed quoniam sub his verbis, quæ ad beatitudinem nostram declarandam hoc loco usurpantur, plurima mysteria in occulto latent, ea sic aperienda sunt, ut quantum cuiusque ingenium ferat, omnibus patere possint. Admonendi igitur sunt fideles, his vocibus *vitam æternam*, non



magis perpetuitatem vitae, cui etiam daemones sceleratique homines addicti sunt, quam in perpetuitate beatitudinem, quae beatorum desiderium expleat, significari. Atque ita intelligebat legis peritus ille, <sup>1</sup> qui a Domino salvatore nostro, quid sibi faciendum esset, ut vitam aeternam possideret, in evangelio quaesivit, perinde ac si diceret: Quenam mihi praestanda sunt, ut ad eum locum, ubi perfecta felicitate frui licet, perveniam? In hunc vero sensum sacrae litterae haec verba accipiunt, ut <sup>2</sup> multis in locis licet animadvertere.

3. *Cur vitae aeternae nomine summa illa beatitudo designetur.*

Hoc vero potissimum nomine summa illa beatitudo appellata est, ne quis existimaret eam in rebus corporeis et caducis, quae aeternae esse non possunt, consistere. Neque enim haec ipsa beatitudinis vox satis explicare poterat, quod quaerebatur; praesertim quum non defuerint homines inanis cuiusdam sapientiae opinione inflati, qui summum bonum in iis rebus ponerent, quae percipiuntur sensibus. Haec enim pereunt et veterascunt; beatitudo vero nullo temporis termino definienda est: quin potius terrena haec longissime a vera felicitate absunt, a qua is quam maxime recedit, qui mundi amore et desiderio tenetur; scriptum est enim: <sup>3</sup> *Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo*; et paulo post: *Mundus transit, et concupiscentia eius*. Haec igitur parochi fidelium mentibus imprimenda diligenter curabunt, ut mortalia contemnere, nullamque in hac vita, in qua <sup>4</sup> non cives sed advenae sumus, felicitatem obtineri posse, in animum inducant. Quamquam hic etiam spe beati merito dicemur, <sup>5</sup> si, abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie, et iuste, et pie vixerimus in hoc saeculo, exspectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et salvatoris nostri Iesu Christi. Haec autem quum permulti, <sup>6</sup> qui sibi ipsi sapientes videbantur, minus intelligerent, et in hac vita

Ps. 48. et 54.  
Iob 20.

1) Luc. 10, 25.

2) Matt. 19, 20.  
et 25, 46.  
Ioan. 17, 3.  
Rom. 2, 7.  
Beatitudo non  
in rebus corporeis consistit: vide Aug. lib. 19. de civit. c. 415. 6. et 7. et Arist. lib. 1. ethic. c. 7. 8. et 9.  
D. Thom. I. 2. q. 2. art. 3.

3) I. Ioan. 2, 15. 17.

4) I. Pet. 2, 11. Spe in hac vita inchoari potest nostra beatitudo.  
5) Tit. 2. 12. 13.

6) Rom. I, 23. Beatitudinem aeternam esse oportere.

felicitatem quaerendam putarent, stulti facti sunt, et in maximas calamitates inciderunt. Sed illud praeterea ex vi huius nominis *vitam aeternam* percipimus, semel adeptam felicitatem amitti numquam posse, ut falso nonnulli suspicati sunt: nam felicitas ex omnibus bonis sine ulla mali admistione cumulatur; quae quum hominis desiderium expleat, in aeterna vita necessario consistit: neque enim potest beatus non magnopere velle, ut illis bonis, quae adeptus est, sibi perpetuo frui liceat. Quare, nisi ea possessio stabilis et certa sit, maximo cruciatu timoris angatur, necesse est.

4. *Aeterna beatitudo verbis aut mente humana comprehendi non potest.*

Aug. de civ. Dei lib. 12. cap. 20. Felicitas est omnium bonorum sine ulla mali admistione iugis possessio.  
Scot. 4. sent. d. 49. q. 6. litt. Q.

De inenarrabili sanctorum gloria, et de praemiis essentialibus, vide August. lib. 22. de civit. c. 20. et 30. lib. 3. de liber. arb. c. 25. et serm. 64. de verb. Domini, et serm. 37. de sanctis.

Beatitudo proprio verbo nequit exprimi.

Verum quanta sit beatorum, qui in caelesti patria vivunt, felicitas, eaque ab ipsis tantum, praeterea a nemine, comprehendi possit, haec ipsae voces, quum vitam beatam dicimus, satis demonstrant: nam quum ad rem aliquam significandam eo nomine utimur, quod cum multis aliis commune est, facile intelligimus deesse propriam vocem, qua res illa plane exprimatur. Quum igitur felicitas iis vocibus declaretur, quae non magis in beatos quam in omnes, qui perpetuo vivunt, recte conveniunt; hoc nobis argumento esse potest, altiore et praestantiore quandam rem esse, quam ut proprio vocabulo perfecte significare eius rationem possimus: nam etsi plurima alia nomina caelesti huic beatitudini in sacris litteris tribuuntur, cuiusmodi sunt <sup>1</sup> *regnum Dei*, <sup>2</sup> *Christi*, <sup>3</sup> *caelorum*, <sup>4</sup> *paradisus*, <sup>5</sup> *sancta civitas*, <sup>6</sup> *nova Hierusalem*, <sup>7</sup> *domus patris*; tamen perspicuum est, nullum ex iis ad eius magnitudinem explicandam satis esse. Quare parochi hoc loco oblatam sibi occasionem non praeterrunt, fideles tam amplis praemiis, quae vitae aeternae nomine declarantur, ad pietatem, iustitiam et omnia christianae religionis officia invitandi.

1) Matt. 6, 33. et 21, 31.  
Marei I, 14.  
2) Io. 18, 36.  
Ephes. 5, 5.  
Col. I, 13.  
3) Matth. 5, 3.  
4) Ezech. 28, 13.  
Luce 23, 43.  
5) Isa. 52, 1.  
Apoc. 21, 2.  
6) Apoc. 3, 12.  
21, 2.  
7) Ioan. 14, 2.  
Vita magnum bonum, et quantum ab omnibus expectatur. Vide

Constat enim vitam in maximis bonis, quae natura expetuntur, numerari solere; atqui hoc potissimum bono, quum vitam aeternam dicimus, beatitudo definitur. Quod si exigua hac et cala-

mitosa vita, quae tot et tam variis miseriis subiecta est, ut mors verius dicenda sit, nihil magis amatur, nihil aut carius aut iucundius esse potest; quo tandem animi studio, qua contentione aeternam illam vitam quaerere debemus, quae, defunctis omnibus malis, perfectam et absolutam bonorum omnium rationem coniunctam habet?

Aug. lib. 11. civit. cap. 27, 28. Vita haec potius mors dicenda. Aug. lib. 12. civ. c. 20.

5. *Beatitudo omnium malorum privatione, et omnium bonorum adeptione continetur.*

Nam, uti sancti patres tradiderunt, aeternae vitae felicitas omnium malorum liberatione, et bonorum adeptione definienda est. De malis clarissima sunt sanctarum litterarum testimonia; scriptum est enim in apocalypsi: <sup>1</sup> *Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus aestus; et rursus: <sup>2</sup> Absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum; et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Iam vero beatorum immensa gloria, innumeraque solidae laetitiae et voluptatis genera futura sunt; cuius gloriae magnitudinem quum animus noster capere, aut illa in animos nostros penetrare nullo modo possit, necesse est, nos in illam, nempe <sup>3</sup> in gaudium Domini, introire, ut eo circumfusi, mentis desiderium cumulate expleamus.

Felicitas malum nullum admittit, et nullum bonum excludit. Aug. lib. 22. de civit. c. 30.

Chrys. etiam 30. c. ad Theodor. lapsus. Anselm. epist. 2. ad Hugonem, et in lib. de similit. c. 47.

1) Apoc. 7, 16.

2) Apoc. 21, 4.

Omne bonum concludit.

August. lib. 22. cap. in fin.

Alex. de Aless. super Ps. 47.

3) Matt. 25, 21.

6. *Quibus praecipue bonorum generibus beati profuerunt.*

Quamvis autem, ut sanctus Augustinus scribit, facilius mala, quibus carituri sumus, quam bona ac voluptates, quas hausuri sumus, numerari posse videantur; danda tamen erit opera, ut, quae fideles summae illius felicitatis adipiscendae cupiditate inflammare poterunt, breviter et dilucide explicentur. Sed illa in primis distinctione uti oportebit, quam a gravissimis divinarum rerum scriptoribus accepimus: ii enim duo bonorum genera esse statuunt; quorum alterum ad beatitudinis naturam pertinet, alterum ipsam beatitudinem consequitur: quare illa essentialia, haec vero accessoria bona, docendi causa, appellarunt.

S. Aug. Serm. 64. de verb. Domini, et de symb. ad cat. lib. 3. c. 11. Dan. 12.

Beatitudo duplex, una essentialis, altera accessoria; de hac distinctione vide doctores in 4. sent. dist. 49.

7. *In quo consistat essentialis et primaria aeterna beatitudinis causa.*

Praemium  
essentiale est  
Dei visio. Aug.  
lib. 22. civit.  
c. 29.

1) Ioan. 17, 3.  
Ubi nota,  
quod loquitur  
de fide, non de  
beatitudine.

2) I. Ioan. 3, 2.

Beatitudo ho-  
minis duobus  
constat.

Ac solida quidem beatitudo, quam essentialem communi nomine licet vocare, in eo sita est, ut Deum videamus, eiusque pulchritudine fruamur, quia est omnis bonitatis ac perfectionis fons et principium. <sup>1</sup> *Haec est vita aeterna*, inquit Christus dominus, *ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum*. Quam sententiam sanctus Ioannes videtur interpretari, quum ait: <sup>2</sup> *Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus: scimus, quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*. Significat enim beatitudinem ex his duobus constare; tum quod Deum intuebimur qualis in natura sua ac substantia est, tum quod veluti dii efficiemur. Nam qui illo fruuntur, quamvis propriam substantiam retineant, admirabilem tamen quandam et prope divinam formam induunt, ut dii potius, quam homines videantur.

8. *Beati quomodo Dei formam et naturam quodammodo induant.*

Beati ad di-  
vinam natu-  
ram proxime  
accedunt 2.  
Cor. 5.

3) I. Cor. 13, 12.  
S. Aug. lib. 15.  
de Trinit. c. 9.  
S. Dionys. c. 1.  
de divin. nomi.  
Vide div. Th.  
in I. p. q. 12.  
art. 2. contra  
gentes lib. 3.  
cap. 52.

Hoc autem cur ita fiat, ex eo perspicuum est, quod unaquaeque res vel ex eius essentia, vel ex eius similitudine et specie cognoscitur. At quoniam nihil est Deo simile, cuius similitudinis adiumento ad perfectam eius notitiam pervenire possimus; consequens est, ut eius naturam et essentiam videre nemini liceat, nisi haec eadem divina essentia se nobis coniunxerit. Atque id Apostoli verba significant: <sup>3</sup> *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem*; nam, quod inquit *in aenigmate*, interpretatur sanctus Augustinus, in similitudine ad Deum intelligendum acomodata. Quod etiam sanctus Dionysius aperte ostendit, quum affirmat, nulla inferiorum similitudine superiora percipi posse: neque enim ex alicuius rei corporeae similitudine eius, quae corpore careat, essentia et substantia cognosci potest; quum praesertim necesse sit rerum similitudines minus concretio-

nis habere, et magis spirituales esse, quam res ipsas quarum imaginem referunt, quemadmodum in omnium rerum cognitione facile experimur. Quoniam vero fieri non potest, ut alicuius rei creatae similitudo aequae pura et spiritualis, ac Deus ipse est, reperiatur; ita fit, ut ex nulla similitudine divinam essentiam perfecte intelligere possimus. Accedit etiam, quod omnes creatae res certis perfectionis terminis circumscribuntur; at Deus infinitus est, neque ullius rei creatae similitudo eius immensitatem capere potest. Quocirca una illa ratio divinae substantiae cognoscendae relinquitur, ut ea se nobis coniungat, et incredibili quodam modo intelligentiam nostram altius extollat, atque ita idonei ad eius naturae speciem contemplantam reddamur.

9. *Lumine gloriae beati illustrantur, et ad Deum videndum tota spe omnes commoveri debent.*

Id vero lumine gloriae assequemur, quum, eo splendore illustrati, <sup>1</sup> Deum lumen verum in eius lumine videbimus; nam beati Deum praesentem semper intuentur: quo quidem dono, omnium maximo et praestantissimo, <sup>2</sup> divinae essentiae participes effecti, vera et solida beatitudine potiuntur; quam nos ita credere debemus, ut eam Dei benignitate cum certa spe nobis exspectandam esse, in symbolo patrum definitum sit; ait enim: *Exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi.*

10. *Quo modo in beatitudine homo Deo coniungatur, similitudine explicatur.*

Divina haec plane sunt, neque ullis verbis explicari, aut cogitatione comprehendi a nobis possunt. Verum licet aliquam huius beatitudinis imaginem in iis etiam rebus, quae sensu percipiuntur, cernere: nam, quemadmodum ferrum, admoto igni, ignem concipit, et quamvis eius substantia non mutetur, fit tamen, ut diversum quidpiam, nimirum ignis, esse videatur; eodem modo, qui in caelestem illam gloriam admissi sunt, Dei amore inflammati, ita afficiuntur, quum tamen id, quod sunt, esse non desinant, ut multo magis distare ab iis, qui in hac vita sunt, me-

1) Ps. 35, 10.  
De lumine gloriae vide S. Th. I. p. q. 12. art. 5. Scot. 4. sent. dist. 49. q. 11.

2) 2. Pet. 1, 4.

Symbolum constantinopolitanum.

A simili.

Anselmus  
hanc tangit si-  
militudinem  
in lib. de simi-  
lit. cap. 56.

rito dici possint, quam ferrum candens ab eo, quod nullam caloris vim in se contineat. Ut igitur rem paucis complectamur, summa illa et absoluta beatitudo, quam essentialem vocamus, in Dei possessione constituenda est. Quid enim ei ad perfectam felicitatem deesse potest, qui Deum optimum et perfectissimum possidet?

11. *Quae sint accidentalia bona, quibus beati circumfluent.*

Praemium,  
scilicet bonum be-  
atitudinis ac-  
cidentale. Au-  
gust. lib. 22.  
civit. c. 30.

Verum ad illam tamen quaedam accedunt ornamenta, omnibus beatis communia; quae, quoniam ab humana ratione minus remota sunt, vehementius quoque animos nostros commovere et excitare solent. Huius generis ea sunt, de quibus Apostolus ad Romanos videtur intelligere:

1) Rom. 2, 10.  
Qualis gloria  
beatorum, ob  
quam ipsa be-  
atitudo gloria  
dicitur.

Ps. 83, 13.  
Rom. 8, 18.  
Honor beato-  
rum quantus,  
ob quem ipsi  
reges apoc. 5.  
in c. 5, 10, graeco  
textu nomi-  
nantur.

2) Luc. 12, 4.  
3) Ps. 21, 23.

Ioan. 20, 17.  
Hebr. 2, 11.

4) Ioan. 1, 12.  
Rom. 8, 14.

5) Matt. 25, 34.

6) Ps. 138, 17.

7) Matt. 10, 32.

<sup>1</sup> *Gloria et honor et pax omni operanti bonum;* nam gloria quidem beati perfruentur, non illa solum, quam tandem essentialem beatitudinem, vel cum eius natura maxime coniunctam esse ostendimus; sed ea etiam, quae constat ex clara et aperta notitia, quam singuli de alterius eximia et praestanti dignitate habituri sunt. At vero quantus ille honor existimandus est, qui eis a Domino tribuitur, quum <sup>2</sup> non amplius servi, <sup>3</sup> sed amici, fratres ac <sup>4</sup> filii Dei vocentur? Quare ita electos suos amantissimis et honorificentissimis verbis Salvator noster compellabit: <sup>5</sup> *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum;* ut merito liceat exclamare: <sup>6</sup> *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* <sup>7</sup> Sed laudibus etiam a Christo domino coram patre caelesti et angelis eius celebrabuntur. Praeterea, si hoc commune omnibus hominibus desiderium natura ingenuit honoris, qui a viris sapientia praestantibus habeatur, quod eos locupletissimos virtutis suae testes fore existiment; quantum beatorum gloriae accessurum putamus, quod alius alium summo honore prosequetur?

12. *Quibus bonorum copiis beati in aeternis illis sedibus cumulabuntur.*

Beatitudo  
omnibus bonis  
animi et cor-

Infinita esset omnium oblectationum enumeratio, quibus beatorum gloria cumulata erit, ac ne cogitatione quidem fingere eas possumus. Sed

tamen hoc fidelibus persuasum esse debet, quae- cumque nobis iucunda in hac vita contingere, vel etiam optari queant, sive ea ad mentis cognitionem, sive ad corporis perfectum habitum pertineant, earum rerum omnium copiis beatam caelestium vitam circumfluere, quamvis hoc altiore quodam modo, quam oculus vidit, aut auris audivit, aut in cor hominis ascendit, fieri <sup>1</sup> Apostolus affirmet: nam corpus quidem, quod antea crassum et concretum erat, quum in caelo, de- tracta mortalitate, <sup>2</sup> tenue et spirituale effectum fuerit, nullis amplius alimentis indigebit; anima <sup>3</sup> autem aeternae gloriae pabulo, quod magni il- lius convivii auctor transiens omnibus ministra- bit, cum summa voluptate exsaturabitur. Quis vero pretiosas vestes, aut regales corporis or- natus desiderare potest, ubi nullus harum rerum usus futurus sit, <sup>4</sup> omnesque immortalitate et splendore amicti, et <sup>5</sup> sempiternae gloriae corona ornati erunt? Sed si amplae etiam et magnificae domus possessio ad humanam felicitatem perti- net, quid caelo ipso, quod Dei claritate undique collustratur, vel amplius vel magnificentius cogitari potest? Quare Propheta, quum eius domi- cillii pulchritudinem sibi ante oculos poneret, et ad beatas illas sedes perveniendi cupiditate arde- ret, <sup>6</sup> *Quam dilecta, inquit, tabernacula tua, Do- mine virtutum: concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini; cor meum et caro mea exsul- taverunt in Deum vivum.* Atque, ut hic sit omnium fidelium animus, haec communis omnium vox, quemadmodum parochi vehementer optare, ita etiam omni studio curare debent.

13. *Praemiis iisdem, citra ullum discrimen, beati non afficientur.*

Nam <sup>7</sup> *In domo Patris mei, inquit Dominus, mansiones multae sunt; in quibus maiora et mi- nora praemia, ut quisque promeritus erit, red- dentur.* <sup>8</sup> *Qui enim parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedi- ctionibus et metet.* Quare non solum ad eam bea- titudinem fideles excitabunt, verum etiam eius consequendae certam rationem hanc esse frequen-

poris constat.  
Ps. 35, 9.

1) I. Cor. 2, 9.  
Isa. 64, 4.

2) I. Cor. 15, 42, 43.

3) Luc. 12, 37.  
Terrena vilia erunt beatis.

4) I. Cor. 15, 34.  
Apoc. 7, 9.  
5) I. Cor. 9, 25.  
2. Tim. 4, 8.

6) Ps. 83, 2, 3.

7) Ioan. 14, 2.  
Ps. 61.

Diversa erunt in caelo me- ritorum prae- mia.

8) 2. Cor. 9, 6.  
Aug. lib. 22. civ. c. 30. Cy- prian. de oper.  
Continuatio primae partis

ad secundam  
de sacramen-  
tis.

ter monebunt, ut fide et charitate instructi, et in oratione et sacramentorum usu perseverantes, ad omnia benignitatis officia in proximos se exercent: ita enim Dei misericordia fiet, qui beatam illam gloriam diligentibus se praeparavit, ut aliquando impleatur quod dictum est per Prophetam: <sup>1</sup> *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciae, et in requie opulenta.*

1) Isa. 32. 18.





# CATECHISMI ROMANI

## PARS SECUNDA

DE SACRAMENTIS IN GENERE.



### CAPUT I.

1. *Doctrinam sacramentorum tradere parochi  
in primis est curandum.*

Quum omnis christianae doctrinae pars scientiam diligentiamque desiderat, tum sacramentorum disciplina, quae et Dei iussu necessaria, et utilitate uberrima est, parochi facultatem et industriam postulat singularem, ut eius accurata ac frequenti perceptione fideles tales evadant, quibus praestantissimae ac sanctissimae res digne et salutariter impertiri possint, et sacerdotes ab illa divini interdicti regula non discedant: <sup>1</sup> *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

2. *Quidnam sibi velit sacramenti vocabulum.*

Principio igitur, quoniam universe de toto genere sacramentorum agendum est, ab ipsius nominis vi atque notione oportet incipere, eiusque ambiguum significationem explanare, ut, quae huius verbi sententia hoc loco propria sit, facilius intelligatur. Quare docendi sunt fideles, sacramenti nomen, quod ad propositam rem attinet, aliter a profanis, quam a sacris scriptoribus acceptum esse. Nam alii auctores sacramenti nomine obligationem illam significari voluerunt, quum iurati aliquo servitutis vinculo obstringimur; ex quo iusiurandum, quo se milites fidelem operam reipublicae praestituros pollicentur, sacramentum militare dictum est; atque haec frequentissima huius vocabuli significatio apud illos videtur fuisse. Verum apud Latinos patres, qui res divinas scriptis tradiderunt, sacramenti nomen aliquam rem sacram, quae in occulto latet,

Partes doctrinae christianae symbolum sunt, et signa decalogum, et oratio. Canes sunt infideles ecclesiam Dei lacerantes. Porci autem porcina vitam agentes omnia genera virtutum conculcantes, de quibus inquit Christus,

Abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis.

1) Matth. 7, 6. Sacramenti vox est multiplex.

Latini pro iureiurando sacramentum sumpserunt. Tullius Cic. I. offic.

Patres pro re divina latente mysterii, et sacramenti nomine usi sunt.

- 1) Eph. 1, 9.  
2) 1. Tim. 3, 16.  
3) Sap. 2, 22.

declarat; quemadmodum Graeci, ad eandem rem significandam, mysterii vocabulo usi sunt. In eam vero sententiam sacramenti vocem accipientem esse intelligimus, quum ad Ephesios scribitur: <sup>1</sup> *Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae.* Deinde ad Timotheum: <sup>2</sup> *Magnum est pietatis sacramentum.* Praeterea in libro Sapientiae: <sup>3</sup> *Nescierunt sacramenta Dei.* Quibus in locis et aliis multis licet animadvertere, sacramentum nihil aliud, nisi rem sacram, abditam atque occultam significare.

3. *Sacramenti nomen, ad signa sacra significanda a patribus accommodatum, est antiquissimum.*

Divus Greg. in c. 16. lib. 1. Regum supra illud: Directus est spiritus Domini in David.

Sacramenti nomen a primis ecclesiae patribus saepe fuit usurpatum.

Vide Tertul. de praescr. et lib. 1. adversus Marc. Cyp. ep. 55. et in lib. de bapt. Christi. Hieronym. in commentario in Thren. Aug. lib. 19. contra Faust. c. 17. in Ioan. tr. 80.

Quare Latini doctores signa quaedam sensibus subiecta, quae gratiam, quam efficiunt, simul etiam declarant, ac veluti ante oculos ponunt, sacramenta commode appellari posse existimant. Quamquam, ut divo Gregorio placet, ob id sacramenta dici possunt, quod divina virtus sub rerum corporearum tegumentis occulte salutem efficiat. Nec vero quisquam putet, hoc vocabulum nuper in ecclesiam inductum esse: nam qui sanctos Hieronymum et Augustinum legerit, facile perspiciet, antiquos religionis nostrae scriptores ad eam, de qua loquimur, rem demonstrandam, saepissime sacramenti nomine, interdum vero etiam symboli, vel mystici signi, vel sacri signi voce usos esse. Atque haec de sacramenti nomine dicta sint, quod quidem veteris etiam legis sacramentis convenit; de quibus nihil opus est pastoribus praecepta tradere, quum ea evangelii lege et gratia sublata sint.

4. *Quam rem catholicis scriptoribus proprie denotet sacramentum.*

De propria vi atque natura sacramenti.

Sacramentum est res, qua salus et iustitia comparatur.

Verum, praeter nominis notionem, quae hactenus declarata est, rei etiam vis et natura diligenter investiganda, et, quid sacramentum sit, fidelibus aperiendum est. Sacramenta enim ex genere earum rerum esse, quibus salus et iustitia comparatur, dubitare nemo potest. Sed quum multae rationes sint, quae ad hanc rem explicandam aptae et accommodatae videantur; nulla tamen planius et dilucidius eam demonstrat,

quam definitio a divo Augustino tradita, quam deinde omnes doctores scholastici sequuti sunt.

<sup>1</sup> *Sacramentum*, inquit ille, *est signum rei sacrae*: vel ut aliis verbis, in eandem tamen sententiam, dictum est: <sup>2</sup> *Sacramentum est invisibilis gratiae visibile signum, ad nostram iustificationem institutum.* \*

5. *Rerum sensibilium divisio, quae quidque signi nomine intelligendum sit.*

Quae quidem definitio uti magis pateat, singulae eius partes pastoribus exponendae erunt. Atque in primis docere oportebit, rerum omnium quae sensibus percipiuntur, duo esse genera: aliae enim ob id inventae sunt, ut aliquid significant; aliae non alterius rei significandae, sed sua tantum causa effectae sunt; quo in numero omnes paene res, quae natura constant, haberi possunt. At vero in priori genere vocabula rerum, scriptura, vexilla, imagines, tubae, et alia huiusmodi permulta ponenda sunt: nam si ex vocabulis vim significandi detraxeris, sublata videtur esse causa, quamobrem vocabula instituerentur. Haec igitur signa proprie dicuntur: illud enim signum esse sanctus Augustinus testatur, quod praeter rem, quam sensibus obiicit, efficit etiam, ut ex se alterius rei cognitionem capiamus; sicuti ex vestigio, quod terrae impressum intuemur, transiisse aliquem, cuius vestigium apparet, facile cognoscimus.

6. *Quo modo sacramenta in genere signi reponenda sint, ostenditur.*

Quae quum ita se habeant, sacramentum ad hoc rerum genus, quae significandi causa institutae sunt, referri perspicuum est: siquidem specie quadam et similitudine id nobis declarat, quod Deus in animis nostris, sua virtute, quae sensu percipi non potest, efficit. Baptismus enim (ut, quod docetur, exemplo notius fiat), quum, adhibitis certis et solemnibus verbis, aqua extrinsecus abluimur, hoc significat, Spiritus sancti virtute omnem peccati maculam et turpitudinem interius clui, et animas nostras praeclaro illo caelestis iustitiae dono augeri atque orna-

<sup>1</sup> Divus Aug. lib. 19. de civ. Dei cap. 5. Alex. de Ales. 4. p. q. 1. mem. 1. D. Th. in 3. par. q. 66. per tot.

<sup>2</sup> Haec definitio colligitur ex Aug. lib. de catech. rud. c. 26.

Rerum sensibilium duo esse genera. Aug. lib. 2. de doctrina Christi c. 1. Signa alia naturaliter, alia ad placitum. Arist. lib. 1. Perich. cap. 1. Aug. lib. 2. de doctr. Christi cap. 1. quem sequitur Mag. lib. 4. dis. 1. et Gratian. de conc. sec. dist. 1. c. signum.

Sacramentum cur inter res, quae significant reponi debeat.

Aug. lib. 3. de doctrina Christi, c. 9. et ep. 23. ad Bonif. et in lib. de catech. rud. c. 26. Tertul. in lib. de resurr. carnis. Greg. 1. 6. c. 3. in lib. reg.

ri; simulque ea corporis ablutio, ut postea suo loco explicabitur, illud in animo efficit, quod significat.

7. *Idem etiam ex scripturis demonstratur.*

Sacramenta inter res, quae significant, esse numeranda ex scripturis colligitur.

- 1) Gen. 17, 10. 11. 12.
- 2) Rom. 4, 11.
- 3) Rom. 6, 3.

Utilitas ex doctrina superiori emanans.

Sed ex scripturis etiam aperte colligitur, sacramentum inter signa numerandum esse. Apostolus enim de circumcisione, veteris legis sacramento, quae <sup>1</sup> Abraham patri omnium credentium data erat, ita ad Romanos scribit: <sup>2</sup> *Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiae fidei.* Et alio loco, <sup>3</sup> quum affirmat nos omnes, *qui baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizatos esse*, licet cognoscere, baptismum huius rei significationem habere, nimirum, ut ait idem Apostolus: *Nos consepultos esse cum illo per baptismum in mortem.* Neque vero parum proderit, si fidelis populus sacramenta ad signa pertinere intellexerit: ita enim fiet, ut quae illis significantur, continentur, atque efficiuntur, sancta et augusta esse, facilius sibi persuadeat; cognitaque eorum sanctitate, ad divinam erga nos beneficentiam colendam ac venerandam magis excitetur.

8. *Quot sunt signorum genera.*

Sacramentum esse rei sacrae signum quomodo intelligendum, et quod quadruplex sit signorum genus.

Signa naturalia, voluntaria, prognostica, et practica.

Sequitur nunc, ut verba illa *rei sacrae*, quae est altera definitionis pars, explicentur. Quod quidem ut commode fieri possit, paulo altius repetenda sunt, quae de signorum varietate sanctus Augustinus acute et subtiliter disputavit. Quaedam enim signa naturalia dicuntur, quae praeter se alterius rei notitiam (quod omnibus signis commune esse, antea demonstratum est) in animis nostris gignunt, veluti fumus, ex quo statim ignem adesse intelligitur; atque hoc signum ob eam causam naturale appellandum est, quod fumus non voluntate ignem significat, sed rerum usus efficit, ut, si quis fumum tantum videat, naturam simul et vim ignis, qui adhuc latet, subesse, mente et cogitatione percipiat. Quaedam vero signa naturalia non constant, sed constituta atque ab hominibus inventa sunt, ut et colloqui inter se, et aliis animi sui sensa explicare, vicissimque aliorum sententiam et con-

silia possent cognoscere. Haec autem quam varia et multiplicia sint, ex eo licet animadvertere, quod nonnulla ad oculorum, pleraque ad aurium sensum, reliqua ad ceteros sensus pertineant; nam quum aliquid alicui inuimus, et, exempli causa, sublato vexillo quidpiam declaramus, satis constat, eam significationem ad oculos tantum referri: quemadmodum tubarum, tiliarum, aut citharae sonus, qui non solum delectandi, sed plerumque significandi causa funditur, ad aurium iudicium spectat: quo quidem praecipue sensu verba etiam accipiuntur, quae ad exprimendas intimas animi cogitationes maximam vim habent.

9. *De signis a Deo institutis tam in veteri, quam in novo testamento.*

Verum, praeter illa signa, quae hominum consensu et voluntate constituta esse hactenus diximus, alia quaedam sunt divinitus data, quorum tamen non unum genus esse omnes consentiunt. Alia enim signa ob eam tantum rem a Deo hominibus commendata sunt, ut aliquid significarent vel admonerent, cuiusmodi fuerunt legis purificationes, panis azymus, et alia per multa, quae ad mosaici cultus caeremonias pertinebant; alia vero Deus instituit, quae non significandi modo, sed efficiendi etiam vim haberent: atque in hoc posteriori signorum genere sacramenta novae legis numeranda esse, liquido apparet. Signa enim sunt divinitus tradita, non ab hominibus inventa, quae rei cuiuspiam sacrae, quam declarant, efficientiam in se continere certo credimus.

Signa quaedam sunt divinitus data, Aug. lib. 3. de doctr. Christ. c. 9. et in 3. de trinitate cap. 10. Vide de his Leviticum fere per totum; significationes autem pete ex Cyrillo in lib. de adorat. in spiritu et veritate.

1) Levit. c. 4, 5, 6. etc. Exod. 12, 15, 18. et 23, 15. et 34, 18.

10. *Res sacra quo modo in definitione sacramenti sit intelligenda.*

Sed quemadmodum signa in multiplici varietate esse ostendimus; ita etiam res sacra non unius modi existimanda est. Quod vero ad propositam sacramenti definitionem attinet, divinarum rerum scriptores, sacrae rei nomine, Dei gratiam, quae nos sanctos efficit, ac omnium divinarum virtutum habitu exornat, demonstrant: huic enim gratiae propriam sacrae rei appellationem tribuendam merito putarunt, quippe quum

Conc. trid. sess. 6. c. 7. de sacramentis.

Gratia Dei sacra res proprie nuncupatur.

Mag. in 4. d. I. D. Th. in 3. p. q. 60. art. 2. et Hugo de sacramentis.

eius beneficio animus noster Deo consecratur et coniungatur.

11. *Sacramenti uberior definitio, et qua ratione a reliquis signis sacris illud differat.*

Scot. 4. dis. I.  
quaest. 2. lit.  
M.

Quare, ut explicatius, quid sacramentum sit, declaretur, docendum erit, rem esse sensibus subiectam, quae, ex Dei institutione, sanctitatis et iustitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet: ex quo sequitur, ut facile quis possit intelligere, imagines sanctorum, cruces et alia id generis, quamvis sacrarum rerum signa sint, non ideo tamen sacramenta dicenda esse. Huius autem veritatis doctrinam facile erit omnium sacramentorum exemplo comprobare, si, quod antea de baptismo admonuimus, quum dicebamus solemnem illam corporis abluionem signum esse, et efficientiam habere rei sacrae, quae interius Spiritus sancti vi fieret, id etiam in aliis sacramentis exercere aliquis velit.

12. *Sacramenta non unam tantum rem, sed plures significant.*

D. Thom.  
in. 3. part.  
quaest. 60.  
art. 3. quod  
probat ex Aug.  
verbis, quae  
citantur de  
consec. dist.  
2. cap. Hoc est  
quod Sacramenta  
significant rem  
praesentem;  
secundo, praeteritam;  
tertio, futuram.  
Unumquodque  
insuper  
sacramentum  
tria significat,  
passionem,  
gratiam, et  
gloriam: si-  
gnum remem-  
orativum.

Iam vero hisce mysticis signis, quae a Deo instituta sunt, illud etiam praecipue convenit, ut ex Domini institutione non unam aliquam rem, sed plures simul significant. Quod in singulis sacramentis licet cognoscere, quae non solum sanctitatem et iustitiam nostram, sed praeterea duo alia cum ipsa sanctitate maxime coniuncta declarant, Christi scilicet redemptoris passionem, quae sanctitatis causa est, et vitam aeternam caelestemque beatitudinem, ad quam sanctitas nostra, tamquam ad finem, referri debet. Quod quidem, quum in omnibus sacramentis perspicui possit, merito sacri doctores unicuique sacramentorum triplicem significandi vim inesse tradiderunt: tum quia alicuius rei praeteritae memoriam afferat, tum quia aliam praesentem indicet ac demonstret, tum quia aliam futuram praenuntiet. Neque vero existimandum est, hoc ita ab illis doceri, ut etiam sanctarum scripturarum testimonio non probe-

1) Rom. 6, 3.  
Demonstra-

tur; nam quum Apostolus ait: <sup>1</sup> *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius*

*baptizati sumus*; plane ostendit, idcirco baptismum signum dicendum esse, quod dominicae passionis et mortis nos admoneat. Deinde quum inquit: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut, quo modo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus*; ex his verbis perspicuum est, baptismum signum esse, quo caelestis gratia in nos infusa declaratur: cuius munere nobis datum est, ut, novam vitam instituentes, omnia verae pietatis officia facile et libenti animo exsequamur. Postremo quum addit: <sup>1</sup> *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus*; apparet, baptismum vitae etiam aeternae, quam per illum consequuturi sumus, non obscuram significationem dare.

13. *Sacramentum non unam tantum praesentem rem, sed plures designat.*

Sed praeter haec, quae commemoravimus, varia significandi genera et rationes, saepe etiam evenit, ut sacramentum non unam tantum rem praesentem, sed plures demonstrat ac notet. Id vero sanctissimum eucharistiae sacramentum intuentibus facile est intelligere, quo veri corporis et sanguinis Domini praesentia, nec non gratia, quam non impure sacra mysteria sumentes percipiunt, designatur. Ex iis igitur, quae dicta sunt, pastoribus argumenta deesse non poterunt, quibus ostendant, quanta divinitatis potentia, quot arcana miracula sacramentis novae legis insint, ut, ea summa cum religione colenda et suscipienda esse, omnibus persuadeant.

14. *Cur sacramenta institui apud christianos oportuerit.*

Verum ad rectum sacramentorum usum docendum nihil accommodatius videri potest, quam diligenter causas exponere, cur sacramenta institui oportuerit. Plures autem numerari solent, quarum prima est humani ingenii imbecillitas: siquidem natura ita comparatum videmus, ut ad earum rerum notitiam, quae mente atque intelligentia comprehensae sunt, nisi per ea, quae

tivum et pro-  
gnosticum,  
quae tria ha-  
bentur in fe-  
sto corporis  
Christi, ibi:  
O sacrum con-  
vivium. Et I.  
Cor. 2. Non en-  
nim me iudi-  
cavi scire ali-  
quid nisi Je-  
sum Christum,  
et hunc cru-  
cifixum. Et in  
canone mis-  
sae.

Haec dona,  
haec munera,  
haec sancta  
sacrificia.

1) Rom. 6, 5.  
Significatio  
sacramenti al-  
legorica pas-  
sionis, histori-  
ca gratiae, a-  
nagogica glo-  
riae.

Sacramen-  
tum aliquan-  
do plures res  
praesentes de-  
signat. Sacra-  
mentum eu-  
charistiae  
quot habeat  
significatio-  
nes, vide Dam.  
lib. 4. de orth.  
fid. cap. 14. et  
Thom. in 3.  
p. 73. art. 4.

Causae ob  
quas instituta  
sunt sacra-  
menta. Hugo  
de sacram. p.  
9. cap. 2.  
Magist. in 4. et  
dist. I. Thom.  
in 3. q. p. 61.  
art. I. Prima,  
ut humani in-

genii imbecillitatem adiuvant. Aug. lib. 11. de trinit. c. 2. S. Chrysostom. hom. 83. in Matthaeum, et Hom. 60. ad pop. antioch.

aliquo sensu percipiuntur, nemini adspirare liceat. Ut igitur, quae occulta Dei virtute efficiuntur, facilius intelligere possemus, idem summus rerum omnium artifex sapientissime fecit, ut eam ipsam virtutem aliquibus signis, quae sub sensum cadunt, pro sua in nos benignitate declararet: nam, ut praeclare a sancto Chrysostomo dictum est, si homo corporis concretione caruisset, nuda ipsa bona, neque illis integumentis involuta, ei oblata essent; quoniam vero anima corpori coniuncta est, omnino opus fuit, ut rerum, quae sentiuntur, adminiculo ad ea intelligenda uteretur.

Secunda, ut credendi tarditatem erigant. Aug. lib. 4. contra Donat. c. 24.

Altera vero causa est, quod animus noster haud facile commovetur ad ea, quae nobis promittuntur, credenda. Quare Deus a mundi exordio, quae facere instituerat, verbis quidem frequentissime indicare consuevit: interdum vero, quum opus aliquod institueret, cuius magnitudo promissi fidem abrogare posset, alia etiam signa, quae nonnumquam miraculi speciem haberent, verbis adiunxit. Nam quum Deus <sup>1</sup> Moysen ad Israelitici populi liberationem mitteret, ille vero, ne Dei quidem praecipientis auxilio fretus, timeret, ne onus sibi gravius imponeretur, quam ut sustinere posset, aut ne populus divinis oraculis et dictis fidem non adiungeret; <sup>2</sup> Dominus promissionem suam multa signorum varietate firmavit. Quemadmodum igitur in veteri testamento Deus fecerat, ut magni alicuius promissi constantiam signis testificaretur; ita etiam in nova lege Christus salvator noster, quum nobis peccatorum veniam, caelestem gratiam, Spiritus sancti communicationem pollicitus est, quaedam signa oculis et sensibus subiecta instituit, quibus eum quasi pignoribus obligatum haberemus, atque ita fidelem in promissis futurum dubitare numquam possemus.

1) Exod. 3, 19. 11.

2) Exod. 4, 3. 5. 6. 7.

Instituta sunt sacramenta, ut ostendatur plenitudo divinae misericordiae, et dispensatio divinae iustitiae.

Alex. de Alex. 4. part. q. 1. membro 2. art. 2.

Tertia, ut parata et certa sit medicina ad depellendos animi morbos, et salutem tuendam. S. Ambr. lib. 5. de sacram. cap. 4.

3) 2. Luc. 10. 33. 34.

Tertia causa fuit, ut illa tamquam remedia, ut scribit sanctus Ambrosius, <sup>3</sup> atque evangelici Samaritani medicamenta, ad animarum sanitatem vel recuperandam vel tuendam praesto essent. Virtutem enim, quae ex passione Christi



manat, hoc est gratiam, quam ille nobis in ara crucis meruit, per sacramenta, quasi per alveum quendam, in nos ipsos derivare oportet: aliter vero nemini ulla salutis spes reliqua esse poterit. Quare clementissimus Dominus sacramenta verbo suo et promissione sancita relinquere in ecclesia voluit, per quae passionis suae fructum nobis re ipsa communicari sine dubitatione crederemus, si modo unusquisque nostrum ad se eam curationem pie et religiose admoveret.

Sed quarta etiam causa accedit, cur sacramentorum institutio necessaria videri possit: ut scilicet notae quaedam et symbola essent, quibus fideles internoscerentur, quum praesertim nullus hominum coetus queat, ut etiam a divo Augustino traditum est, sive verae sive falsae religionis nomine, quasi unum corpus coagmentari, nisi aliquo visibilium signorum foedere coniungantur. Utrumque igitur praestant novae legis sacramenta, quae et christianae fidei cultores ab infidelibus distinguunt, et ipsos fideles sancto quodam vinculo inter se connectunt.

Praeterea aliam etiam iustissimam fuisse causam sacramenta instituendi, ex illis Apostoli verbis: <sup>1</sup> *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, ostendi potest. Sacramentis enim fidem nostram in hominum conspectu profiteri, et notam facere videmur. Quare ad baptismum accedentes, palam testamur, nos credere, eius aquae virtute, qua in sacramento abluimur, spiritualem animae purgationem fieri. Magnam deinde vim habent sacramenta, non solum ad fidem in animis nostris excitandam et exercendam, sed etiam eam charitatem inflammendam, qua amare inter nos debemus, quum, arctissimo nos vinculo colligatos et unius corporis membra effectos esse, ex sacrorum mysteriorum communione recordamur.

Postremo, quod in christianae pietatis studio plurimi faciendum est, humanae mentis superbiam edomant ac comprimunt, nosque ad humilitatem exercent, dum sensibilibus elementis subiicere nos cogimur, ut Deo obtemperemus, a

Quarta, ut sint christianismi veraeque religionis symbola, et sancta societatis vincula. D. Aug. lib. 19. contr. Faustum c. 11. et 21. et de vera relig. c. 17. et Basil. in exhort. ad baptismum.

Quinta, sunt testimonia nostrae fidei, eiusque certa declaratio.

<sup>1</sup> Rom. 10, 10.

Sexta, ut sint incitamenta fidei et charitatis.

Septima, sunt humilitatis excitandae instrumenta.

quo antea impie defeceramus, ut mundi elementis serviremus.

Epilogus superiorum.

Haec sunt, quae potissimum de sacramenti nomine, natura, institutione, fidei populo tradenda esse visa sunt; quae posteaquam a pastoribus accurate exposita fuerint, docere deinceps oportebit, quibus ex rebus singula sacramenta constant, quaeque sint illorum partes, ac praeterea qui ritus et caeremoniae additae illis fuerint.

15. *Partes ad constituendum unumquodque sacramentum necessariae.*

Duobus quodlibet sacramentum constat.

Mag. in 4. sent. dist. 2. litt. D. Thom. in 3. p. q. art. 4. 5. et 6.

Primum igitur explicandum est, rem sensibilem, quae supra in sacramenti definitione posita est, non unam tantum esse, quamvis unum signum constitui credendum sit. Duo enim sunt, ex quibus quodlibet sacramentum conficitur: quorum alterum materiae rationem habet, atque *elementum* dicitur; alterum formae vim, et *verbum* communi vocabulo appellatur: sic enim a patribus accepimus. Qua in re notum est, atque apud omnes pervulgatum, illud sancti Augustini testimonium: *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*. Rei igitur sensibilis nomine, tum materiam sive elementum intelligunt, ut in sacramento baptismi aquam, confirmationis chrismam, et extremae unctionis oleum, quae omnia sub aspectum cadunt; tum praeterea verba, quae formae rationem habent, atque ad aurium sensum pertinent. Apostolus vero utrumque aperte indicavit, quum inquit: *Christus dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae*. Quo in loco materia et forma sacramenti exprimitur.

16. *Cur elemento verba addita fuerint.*

Materia et forma sacramentorum ex scripturis trahuntur. Verborum in sacramentis virtus. Aug. lib. 8. de doctr. christ. cap. 3.

Addenda autem erant verba ad materiam, ut apertior clariorque rei, quae gerebatur, significatio fieret. Verba enim inter omnia signa maximam vim habere perspicuum est; ac, si ipsa desint, plane obscurum erit, quidnam materia sacramentorum designet ac demonstret. Nam, ut in baptismo licet videre, quum aqua non minus re-

frigerandi, quam abluendi vim habeat, et utriusque rei symbolum esse possit, nisi verba addantur, utrum horum in baptismo significet, aliquis fortasse coniectura aliqua diiudicabit; nemo autem ea de re quidpiam certi affirmare audebit: at quum verba adhibentur, statim intelligimus, abluendi vim et significationem habere.

17. *Excellentia sacramentorum novae legis.*

In hoc autem nostra sacramenta antiquae legis sacramentis plurimum praestant, quod in illis administrandis nulla, quod quidem acceperimus, definita forma servaretur; quo etiam fiebat, ut incerta admodum et obscura essent: nostra vero formam verborum ita praescriptam habent, ut, si forte ab ea discedatur, sacramenti ratio constare non possit; ob eamque rem clarissima sunt, ac nullum relinquunt dubitandi locum. Hae igitur sunt partes, quae ad naturam et substantiam sacramentorum pertinent, et ex quibus unumquodque sacramentum necessario constituitur.

Sacramenta legis veteris formam definitam non habebant: hoc colligitur ex scripturis, in quibus veterum sacramentorum fit mentio. Forma sublata, ratio sacramenti tollitur.

18. *Quae sit caeremoniarum in sacramentis virtus et natura.*

His accedunt caeremoniae, quae tametsi praetermitti sine peccato non possunt, nisi aliud facere ipsa necessitas cogat; tamen, si quando omittantur, quoniam rei naturam non attingunt, nihil de vera sacramenti ratione imminui credendum est. Ac merito quidem a primis usque ecclesiae temporibus illud semper servatum est, ut sacramenta solemnibus quibusdam caeremoniis ministrarentur. Primum enim maxime decuit, sacris mysteriis eum religionis cultum tribuere, ut sancta sancte tractare videremur: praeterea, quae sacramento efficiuntur, caeremoniae ipsae magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, et earum rerum sanctitatem in animos fidelium altius imprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur et diligenter observant, ad sublimium rerum cogitationem erigunt, fidemque in eis ac charitatem excitant: quo maior cura et diligentia adhibenda erit, ut fideles vim caeremoniarum, quibus singula sacramenta conficiuntur, cognitam et perspectam habeant.

Videatur c. 13. de sacramentis in genere sess. 7. concil. trid. Caeremoniarum antiquitas, Dion. Areopag. in lib. 1. de eccl. hierar. cap. 2. Clem. ep. 3. Basil. de Spiritu sancto c. 27. conc. trid. sess. 22. c. 4. et 5. in fidei doctrina.

Caeremoniarum effectus Isidor. lib. de offic. eccles. c. 20.

19. *Quot sint catholicae ecclesiae sacramenta.*

De necessitate, numero, et utilitate sacramentorum.

Sequitur, ut sacramentorum etiam numerus explicetur: quae quidem cognitio hanc utilitatem affert, quod populus eo maiori pietate omnes animi sui vires ad laudandam et praedicandam Dei erga nos singularem beneficentiam convertet, quo plura salutis ac beatae vitae adiumenta nobis divinitus parata esse intellexerit. Catholicae igitur ecclesiae sacramenta, quemadmodum ex scripturis probatur, et patrum traditione ad nos pervenit, et <sup>2</sup> conciliorum testatur auctoritas, septenario numero definita sunt.

1) Prov. 9, 1. Zach. 3. et 4, v. 9. et 2.

Fuerant designata septem ecclesiae sacramenta, sed de his fusiuse postea.

2) Sess. 7. conc. trid. can. 1. de sacramentis in genere concil. const. sess. 13. Flor. in decreto dato armenis.

Humano generi septem esse necessaria ad vitam commode traducendam.

Conc. constant. sess. 15. florent. in decreto dato armenis: trident. sess. 7. Thom. in 3. p. q. 65. art. 1.

20. *Cur nec maiori nec minori numero sacramenta concludantur.*

Cur autem neque plura neque pauciora numerentur, ex iis etiam rebus, quae per similitudinem a naturali vita ad spirituales transferuntur, probabili quadam ratione ostendi poterit. Homini enim ad vivendum, vitamque conservandam, et ex sua rei publicae utilitate traducendam, haec septem necessaria videntur: ut scilicet in lucem edatur, augeatur, alatur; si in morbum incidat, sanetur; imbecillitas virium reficiatur; deinde, quod ad rempublicam attinet, ut magistratus numquam desint, quorum auctoritate et imperio regatur; ac postremo, legitima sobolis propagatione seipsum et humanum genus conservet. Quae omnia quoniam vitae illi, qua anima Deo vivit, respondere satis apparet, ex iis facile sacramentorum numerus colligetur.

21. *Septem sacramenta esse, ex scripturis demonstratur.*

Primus enim est baptismus, veluti ceterorum ianua, quo <sup>3</sup> Christo renascimur. Deinde confirmatio, cuius virtute fit, ut divina gratia augeamur et roboremur: baptismus enim iam apostolis, ut divus Augustinus testatur, inquit Dominus: <sup>4</sup> *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Tum eucharistia, qua, tamquam cibo vere caelesti, spiritus noster alitur et sustinetur; de ea enim dictum est a Salvatore: <sup>5</sup> *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.*

3) Ioan. 3, 5. Scot. 4. sent. dist. 2. q. 1.

D. August. epist. 180.

4) Lucae 24, 49. Act. 1, 8.

5) Ioan. 6, 56.

Sequitur quarto loco poenitentia, <sup>1</sup> cuius ope sanitas amissa restituitur, postquam peccati vulnera accepimus. Postea vero extrema unctio, qua peccatorum reliquiae tolluntur, et animi virtutes recreantur: siquidem divus Iacobus, quum de hoc sacramento loqueretur, ita testatus est: <sup>2</sup> *Et, si in peccatis sit, remittentur ei.* Sequitur <sup>3</sup> ordo, quo publica sacramentorum ministeria perpetuo in ecclesia exercendi, sacrasque omnes functiones exsequendi potestas traditur. Postremo additur <sup>4</sup> matrimonium, ut ex maris et feminae legitima et sancta coniunctione, filii ad Dei cultum et humani generis conservationem procreentur, et religiose educantur.

1) Ioan. 20, 22.  
23.

2) Iacob. 5, 14.

3) Act. 13, 2. 3.  
1. Tim. 4, 14.  
2. Tim. 1, 6.

4) Ephes. 5, 31.  
32.

22. *Aequalis non est omnium sacramentorum vel necessitas vel dignitas.*

Illud vero maxime animadvertendum est, quamvis omnia sacramenta divinam et admirabilem virtutem in se contineant; tamen non parum omnia et aequalem necessitatem aut dignitatem, aut unam eandemque significandi vim habere. Atque ex iis tria sunt, quae tametsi non eadem ratione, tamen prae ceteris necessaria dicuntur. Baptismus enim unicuique sine ulla adiunctione necessarium esse, Salvator his verbis declaravit: <sup>5</sup> *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Poenitentia <sup>6</sup> vero illis tantummodo necessaria est, qui se post baptismum aliquo mortali peccato obstrinxerunt; neque enim aeternum exitium effugere poterunt, nisi eos admissi peccati rite poenituerit. Ordo praeterea, etsi non singulis fidelibus, toti tamen ecclesiae omnino necessarius est. Verum si dignitas in sacramentis spectetur, eucharistia sanctitate, et mysteriorum numero ac magnitudine, longe ceteris antecellit. Quae omnia facilius intelligentur, quum suo loco ea, quae ad singula sacramenta pertinent, explicabuntur.

De praestantia et differentia sacramentorum. Tria sunt sacramenta prae ceteris necessaria. D. Thom. in 3. p. q. 65. art. 4. conc. trid. de sacramentis in genere sess. 7. can. 3. et 4. Baptismi necessitas.

5) Ioan. 3, 5. Poenitentiae necessitas.

6) Apoc. 2, 5. Luc. 13, 3. Ordinis necessitas. Prov. 11, 14. Eucharistiae dignitas. Dion. in lib. de eccl. hier. c. 3. Thom. in 3. p. q. 65. art. 3.

23. *A quo haec sacra et divina mysteria sint accepta, principaliterque dispensentur.*

Deinceps videndum est, a quo haec sacra et divina mysteria acceperimus: neque enim dubi-

Causa efficiens, seu auctor sacramen-

torum Deus est, per Christum. Ambr. lib. 4. de sac. c. 4. D. Thom. in 3. p. q. 64. Trident. sess. 7. de sacramentis in genere, can. 1.

Proprium est Dei illabi in animam hominis. In lib. de eccles. dogm. et Cas- sian. collat. 7. cap. 13.

1) Ioan. I, 33.

Dispensat Deus sacramenta per homines. 2) I. Cor. 4, 1. Hebr. 5, 1. D. Thom. in 3. p. q. 64. art. 4. Conc. trid. sess. 7. can. 10.

Ministorum quae sit ratio. Concil. triden. de sacramentis in genere sess. 7. can. 11. et 12. vide Greg. Nazianz. orat. in S. Bapt. Ambr. de his, qui myst. init. c. 5. Chrys. hom. 8. in I. Cor. August.

tandum est, quin praeclari alicuius muneris dignitas, eius, a quo donum ipsum profectum est, dignitate et praesentia quam maxime augeatur. Sed ea quaestio difficilem explicationem habere non potest. Nam quum Deus sit, qui homines iustus efficiat, ipsa vero sacramenta iustitiae adipiscendae mirifica quaedam instrumenta sint; patet, unum eundemque Deum in Christo iustificationis et sacramentorum auctorem agnoscendum esse. Praeterea sacramenta eam vim et efficientiam continent, quae ad intimam animam penetrat. Quum vero unius Dei potentiae proprium sit, in corda et mentes hominum illabi, ex hoc etiam perspicitur, sacramenta a Deo ipso per Christum instituta esse; quemadmodum ab eo quoque intus dispensari, certa et constanti fide tenendum est: hoc enim testimonium de illo se accepisse sanctus Ioannes affirmat, quum ait:

*1 Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.*

*24. Quibus ministris utatur Deus in sacramentis dispensandis.*

Sed quamvis Deus sacramentorum auctor et dispensator sit, <sup>2</sup> ea tamen non per angelos, verum per homines ministrari in ecclesia voluit. Non minus enim ministrorum officio, quam materia et forma ad sacramenta conficienda opus esse, perpetua sanctorum patrum traditione confirmatum est.

*25. Minister sua pravitate gratiae sacramentalis virtutem impedire non potest.*

Atque hi quidem ministri, quoniam in sacra illa functione non suam, sed Christi personam gerunt, ea re fit, ut, sive boni, sive mali sint, modo ea forma et materia utantur, quam ex Christi instituto semper ecclesia catholica servavit, idque facere proponant, quod ecclesia in ea administratione facit, vere sacramenta conficiant et conferant: ita ut gratiae fructum nulla res impedire possit, nisi qui ea suscipiunt, se ipsos tanto bono fraudare, et Spiritui sancto ve-

lint obsistere. Hanc vero in ecclesia certam et exploratam sententiam semper fuisse, sanctus Augustinus in iis disputationibus, quae adversus Donatistas conscripsit, clarissime demonstravit. Quod si etiam scripturae testimonia quaerimus, ipsum Apostolum his verbis loquentem audiamus.

<sup>1</sup> *Ego, inquit, plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit: itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Ex quo loco satis intelligitur, quemadmodum arboribus nihil obest eorum improbitas, quorum manu satae sunt; ita nihil vitii aliena culpa contrahi ab illis posse, qui malorum hominum ministerio Christo insiti sunt. Quare, ut ex divi <sup>2</sup> Ioannis evangelio sancti patres nostri docuerunt, Iudas etiam Iscariotes plures baptizavit; ex quibus tamen neminem iterum baptizatum fuisse legimus: ita ut praeclare divus Augustinus scriptum reliquerit: *Dedit baptismum Iudas, et non baptizatum est post Iudam: dedit <sup>3</sup> Ioannes, et baptizatum est post Ioannem; quia, si datum est a Iuda, baptismum Christi erat: quod autem a Ioanne datum est, Ioannis erat. Non Iudam Ioanni, sed baptismum Christi etiam per Iudae manus datum, baptismum Ioannis, etiam per manus Ioannis dato, recte praeponimus.*

26. *Quid de illis sentiendum sit, qui impura conscientia sacramenta administrant.*

Neque vero pastores aliive sacramentorum ministri, quum haec audiunt, satis sibi esse arbitrentur, si, posthabita morum integritate ac conscientiae munditia, illud tantum cogitent, quo modo sacramenta ab illis rite ministrentur; id enim etsi diligenter curandum est, in hoc tamen omnia, quae ad eam functionem pertinent, posita non sunt. Meminisse autem semper debent, sacramenta divinam quidem virtutem, quae illis inest, numquam amittere; at vero impure ea ministrantibus aeternam perniciem et mortem afferre. Sancta enim, quod semel atque iterum ac saepius admonere oportet, sancte et religiose tractanda sunt. <sup>4</sup> *Peccatori, ut est apud Prophe-*

contr. Crescen. lib. 4. cap. 20. et 4. contr. Don. c. 4. lib. 2. contr. liter. Petil. c. 47.

1) 1. Cor. 3. 6. 7.

2) Ioan. 4. 2.

D. Aug. tract. 5. in Ioan.

3) Act. 19. 3. 4. 5.

Sacramenta novae legis impura conscientia ministrare, quam perniciosam ipsis sit ministris. Thom. in 3. p. q. 64. art. 4. ex Dion. lib. de eccl. hier. c. 1. et ex epist. ad Demoph. consentit Aug. lib. 2. contr. epist. Parm. c. 10. et tract. 5. in Ioan. et lib. 3. contr. Cres. c. 6. 4) Ps. 49. 16.

17. sess. 7.  
concil. trident.  
de sacramen-  
tis in genere  
can. 6.

S. Dionys. de  
eccles. hierarc.  
c. I.

De sacramen-  
torum primo  
effectu, qui  
est gratia iu-  
stificans.

Sess. 7. concil.  
trid. de sacra-  
mentis in ge-  
nere can. 6. 7.  
et 8. Thom.  
in 3. p. q. art.  
1. 2. 5.  
1) Ephes. 5,  
25. 26.

Ang. tract.  
80. in Ioan.

Scnt. 4. dist.  
I. q. 5.

tam, dixit Deus: *Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? tu vero odisti disciplinam.* Quod si homini peccatis contaminato minus licet de rebus divinis agere; quantum ab eo scelus concipi existimandum erit, qui sibi multorum scelerum conscius est, nec tamen sacra mysteria polluto ore conficere, vel in foedas manus sumere, contrectare, atque aliis porrigere et ministrare vereatur? quum praesertim apud sanctum Dionysium scriptum sit, malis symbola (ita enim sacramenta appellat) ne contingere quidem permissum esse. Sanctitatem igitur sacrarum rerum ministri in primis sectentur, pure ad sacramenta ministranda accedant, atque ita se ad pietatem exerceant, ut ex eorum frequenti tractatione et usu uberiorem in dies gratiam, adiuvante Deo, consequantur.

27. *De duobus praecipuis sacramentorum effectibus.*

Sed iam, his rebus explicatis, docendum erit, quinam sacramentorum effectus sit; id enim sacramenti definitioni, quae supra tradita est, non parum lucis allaturum videtur: ii autem duo praecipue numerantur. Ac principalem quidem locum merito gratia illa obtinet, quam usitato a sacris doctoribus nomine iustificantem vocamus; ita enim Apostolus apertissime nos docuit, quum inquit, Christum <sup>1</sup> dilexisset ecclesiam, et seipsum tradidisset pro ea, *ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae.* Quo autem pacto tanta res et tam admirabilis per sacramentum efficiatur, ut, quemadmodum sancti Augustini sententia celebratum est, *aqua corpus abluat, et cor tangat;* id quidem humana ratione atque intelligentia comprehendere non potest. Constitutum enim esse debet, nullam rem sensibilem suapte natura ea vi praeditam esse, ut penetrare ad animam queat. At fidei lumine cognoscimus, omnipotentis Dei virtutem in sacramentis inesse, qua id efficiant, quod sua vi res ipsae naturales praestare non possunt.



28. *Quo modo effectus sacramenti initio nascentis ecclesiae sint mirabiliter designati.*

Quocirca, ne ulla umquam huius effectus dubitatio in animis fidelium resideret, quum ministrari sacramenta coeptum est, voluit clementissimus Deus, quid illa interius efficerent, miraculorum significationibus declarare, ut eadem perpetuo interius fieri constantissime crederemus, quamvis longe a nostris sensibus remota essent. Itaque, ut omittamus, Salvatori nostro in Iordane baptizato <sup>1</sup> caelos apertos esse, et Spiritum sanctum columbae specie apparuisse, ut admoneremur, eius gratiam, quum salutari fonte abluimur, in animam nostram infundi; ut hoc, inquam, omittamus (magis enim ad baptismi sanctificationem, quam sacramenti administrationem pertinet), nonne legimus, quum Pentecostes die apostoli Spiritum sanctum acceperunt, quo deinde ad praedicandam fidei veritatem, adeundaque pro Christi gloria pericula alacriores et fortiores fuerunt, tunc, facto repente de caelo sonitu tamquam advenientis spiritus vehementis, apparuisse illis dispersitas linguas quasi ignis? Ex quo intellectum est, sacramento confirmationis eundem nobis spiritum tribui, easque vires addi, quibus possimus carni, mundo et satanae, perpetuis scilicet hostibus nostris, fortiter repugnare et resistere. Atque <sup>2</sup> haec miracula, quoties apostoli sacramenta ista ministrarent, initio nascentis ecclesiae aliquamdiu visa sunt, donec, firmata iam fide et corroborata, fieri desierunt.

29. *Quanta sit sacramentorum novae legis, supra veteris legis sacramenta, excellentia.*

Ex iis igitur, quae de priori sacramentorum effectu, gratia scilicet iustificante, demonstrata sunt, illud etiam plane constat, excellentiorem et praestantio-rem vim sacramentis novae legis inesse, quam olim veteris legis sacramenta habuerunt: quae quum <sup>3</sup> infirma essent egenaque elementa, <sup>4</sup> inquinatos sanctificabant ad emundationem carnis, non animae; quare, ut signa tantum earum rerum, quae mysteriis nostris effi-

Sacramentorum vis mirabilis declarata initio nascentis ecclesiae. Aug. lib. q. veter. et nov. test. q. 93.

<sup>1</sup>) Math. 3, 16.  
Marc. 1, 10.  
Luc. 3, 21, 22.  
Act. 2, 3, 4.

<sup>2</sup>) Act. 8, 17.  
et 19, 6.

Praestantiora esse legis novae sacramenta veteribus docet Aug. lib. 9. contr. Faustum cap. 13, et in Ps. 83. Ambr. lib. de sacram. c. 4.  
<sup>3</sup>) Gal. 4, 9.

Sacramenta novae legis ex Christi latere manant. Aug. lib. 3. de symb. cap. 6. in Ioan. tract. 15.

<sup>4</sup>) Hebr. 9, 13.

cienda essent, instituta sunt. At vero sacramenta novae legis, ex Christi latere manantia, <sup>1</sup> qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundant conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi, atque ita eam gratiam, quam significant, Christi sanguinis virtute operantur. Quocirca, si ea cum antiquis sacramentis conferamus, praeterquam quod plus efficaciae habent, et utilitate uberiora, et sanctitate augustiora esse inveniuntur.

30. *Quae sacramenta characterem imprimant, et quid sit character.*

Secundus sacramentorum effectus est characteris sacri in animam impressio sess. 5. conc. trid. de sacrament. in genere, can. 91.  
2) 2. Cor. 1, 22. Scot. 4. rep. orth. dist. 6. quaest. 7. D. August. lib. 2. contr. ep. Parm. cap. 12. et epist. 50. circa medium, et tract. 6. in Ioan. et lib. I. contr. Cresc. c. 30. vide item div. Thom. in 3. p. quaest. 63.

Alter vero sacramentorum effectus, non quidem omnibus communis, sed trium tantummodo proprius, baptismi, confirmationis et ordinis sacri, est character, quem animae imprimunt. Nam quum Apostolus ait: <sup>2</sup> *Unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris;* voce illa *signavit* non obscure characterem descripsit, cuius proprium est aliquid signare et notare. Est autem character veluti insigne quoddam animae impressum, quod deleri numquam potest, eique perpetuo inhaeret; de quo ita apud sanctum Augustinum scriptum est: *An minus forte sacramenta christiana, quam corporalis haec nota, qua scilicet miles insignitur, poterunt?* Illa namque militi ad militiam, quam deseruisset, revertenti non nova imprimitur, sed antiqua cognoscitur et approbatur.

31. *Quis sit characteris effectus, et quo modo sacramenta characterem imprimant iterari non debeant.*

Characteris usus duplex. Thom. in 3. part. q. 63. art. 2.  
Character baptismi quid efficiat.  
Character confirmationis quid praestet.  
Character sacramenti or-

Iam vero character hoc praestat, tum ut apti ad aliquid sacri suscipiendum vel peragendum efficiamur, tum ut aliqua nota alter ab altero internoscatur. Ac baptismi quidem character utrumque consequimur, ut ad alia sacramenta percipienda reddamur idonei, et eo praeterea fidelis populus a gentibus, quae fidem non colunt, distinguatur. Idem autem in characterem confirmationis et sacri ordinis licet agnoscere: quorum

altero veluti Christi milites ad eius nominis publicam confessionem et propugnationem, ac contra insitum nobis hostem <sup>1</sup> et spiritualia nequitiæ in caelestibus armamur atque instruimur, simulque ab iis, qui nuper baptizati <sup>2</sup> tamquam modo geniti infantes sunt, discernimur; alter vero tum potestatem sacramenta conficiendi et ministrandi coniunctam habet, tum eorum, qui huiusmodi potestate præditi sunt, a reliquo fidelium coetu distinctionem ostendit. Tenenda igitur est catholicae ecclesiae regula, qua docemur, tria hæc sacramenta characterem imprimere, neque ullo umquam tempore iteranda esse.

32. *Quibus rationibus assequuntur pastores, ut populus sacramenta veneretur, et his religiose utatur.*

Hæc sunt, quæ generatim de sacramentis tradenda erunt; in cuius argumenti explicatione pastores duo potissimum efficere omni studio conentur. Primum est, ut fideles intelligant, quanto honore, et cultu, et veneratione hæc divina et caelestia munera digna sint; alterum vero, ut, quoniam a clementissimo Deo ad communem omnium salutem proposita sunt, iis pie et religiose utantur, atque ita christianæ perfectionis desiderio exardescant, ut, si poenitentiae præsertim et eucharistiae saluberrimo usu aliquamdiu careant, plurimum damni se fecisse existiment. Hæc autem facile pastores assequi poterunt, si, quæ de sacramentorum divinitate et fructu supra dicta sunt, auribus fidelium sæpius inculcabunt: primum a Domino salvatore nostro, a quo nihil nisi perfectissimum proficisci potest, instituta esse; præterea quum ministrantur, Spiritus sancti intima cordis nostri permeantis efficacissimum numen præsto esse; deinde admirabili et certa curandarum animarum virtute prædita esse; tum per ea immensas illas dominicæ passionis divitias ad nos derivari. Postremo vero ostendant, totum christianum aedificium <sup>3</sup> firmissimo quidem lapidis angularis fundamento inniti: verum, nisi verbi Dei prædicatione et sacramentorum usu undique fulciatur, magnopere verendum esse, ne, magna ex parte,

dinis, quid si-  
gnet.

1) Ephes. 6, 11.  
12.

2) I. Pet. 2, 2.  
Tria tantum  
sacramenta  
characterem  
imprimunt,  
quæ nec um-  
quam iteran-  
tur.

Concilium  
florent. in de-  
cret. Euch. et  
trid. cap. 9.  
sess. 7.

In Sacramen-  
torum doctri-  
na duo præ-  
cipue obser-  
vanda.

Eucharistiae  
et poeniten-  
tiae usus fre-  
quenter popu-  
lo inculcan-  
dus.

3) Isa. 28, 16.  
Rom. 9, 33.

2. Pet. 2, 7.  
Sacramentis,  
et verbi Dei  
doctrina eccle-  
siam maxime  
fulciri.

labefactatum concidat; ut enim per sacramenta in vitam suscipimur, ita hoc veluti pabulo alimur, conservamur, augetur. |

## DE BAPTISMI SACRAMENTO

### CAPUT II.

#### 1. *Cur expediat doctrinam baptismi frequenter populis fidelibus inculcari.*

Doctrina sacramentorum, quam sit utilis et necessaria.

1) Rom. 6, 3.  
4. 5. 1. Cor. 6,  
11. et 12. 13.

Gal. 3, 27.  
Ephes. 5, 27.  
Baptismi vox,  
quam serio omnibus sit expendenda.

Ex iis quidem, quae hactenus de sacramentis universe tradita sunt, cognosci potest, quam necessarium sit ad christianae religionis vel doctrinam percipiendam, vel pietatem exercendam, ea intelligere, quae de illorum singulis credenda catholica ecclesia proponit. Sed si quis diligentius<sup>1</sup> Apostolum legerit, sine dubitatione ita stuet, perfectam baptismi cognitionem a fidelibus magnopere requiri: adeo non solum frequenter, sed gravibus verbis et spiritu Dei plenis, eius mysterii memoriam renovat, divinitatem commendat, atque in eo redemptoris nostri mortem, sepulturam et resurrectionem nobis ante oculos, tum ad contemplandum, tum ad imitandum constituit. Quare pastores numquam se satis multam operam et studium in huius sacramenti tractatione collocasse arbitrentur.

#### 2. *Quando potissimum parochio sermo de baptismo sit instituendus.*

Solemnis baptismus sabbato paschae et pentecostes agi solitus. Tertul. lib. de bapt. cap. 19. Ambr. in lib. de myster. pas. et sermone 62.

Verum praeter eos dies, in quibus, more maiorum, divina baptismi mysteria potissimum explananda essent, in sabbato magno Paschae et Pentecostes, quo tempore ecclesia summa cum religione maximisque caeremoniis hoc sacramentum celebrare consueverat, aliis etiam diebus occasionem captent de hoc argumento disserendi. Atque illud in primis tempus maxime opportunum ad eam rem videri poterit, si interdum, quum baptismus alicui ministrandus sit, fidelis populi multitudinem convenisse animadverterint. Tunc enim facilius multo erit, si minus liceat omnia capita, quae ad hoc sacramen-

tum attinent, persequi, unum saltem aut alterum docere, quum fideles earum rerum doctrinam, quam auribus percipiunt, simul etiam sacris baptismi caeremoniis expressam vident, pioque et attento animo contemplantur. Ex quo deinde fiet, ut unusquisque, iis rebus admonitus, quas in alio geri videat, secum recordetur, qua se sponsione Deo obligarit, quum baptismo initiatus est; simulque illud cogitet, an vita et moribus talem se praebeat, qualem ipsa christiani nominis professio pollicetur. Ut igitur, quae docenda erunt, dilucide exponantur, quaenam sit baptismi natura et substantia aperiendum est, si prius tamen ipsius vocis significatio explicetur.

3. *Quid baptismi nomen proprie denotet.*

Ac baptismum quidem graecum esse nomen nemo ignorat: quod etsi in sacris litteris non solum eam ablutionem, quae cum sacramento coniuncta est, <sup>1</sup> sed etiam omne ablutionis genus, <sup>2</sup> quod aliquando ad passionem translatum est, significat; tamen apud ecclesiae scriptores non quamvis corporis ablutionem declarat, sed eam, quae cum sacramento coniungitur, nec sine praescripta verborum forma ministratur: qua quidem significatione <sup>3</sup> apostoli ex Christi domini instituto frequentissime usi sunt.

4. *Quibus praeterea nominibus ablutionem sacramentalem patres expresserint.*

Alia quoque nomina ad eandem rem significandam sancti patres usurparunt: sacramentum enim fidei appellari, quod illud suscipientes, universam christianae religionis fidem profiteantur, divus Augustinus testatur. Alii vero, quia fide corda nostra illuminantur, quam in baptismo profiteamur, hoc sacramentum illuminationem vocarunt; nam et Apostolus ita inquit: <sup>4</sup> *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum;* tempus nimirum, quo baptizati erant, significans. Chrysostomus praeterea in oratione, quam ad baptizandos habuit, tum expurgationem, quia per baptismum <sup>5</sup> expurgamus vetus fermentum, ut simus nova conspersio, tum sepulturam, <sup>6</sup> tum

Utilitas inclinata de baptismi doctrinae.

Qua se sponsione quisque in baptismo obligarit, vide Tertul. lib. de spect. et de baptismo.

Octo baptismi genera, vid. apud Dam. lib. 4. de fid. orth. cap. 10. Greg. Naz. or. 40. 1) Isa. 24, 23. Marc. 7, 4. 2) Marc. 10, 38. Lucae 12, 50.

3) Rom. 6, 3, 4. I. Cor. 1. Ephes. 4, 15. Gal. 2, 12. I. Pet. 3, 21.

De variis baptismi nominibus vide Greg. Naz. in orat. 39. In sancta lumina, Clemen. Alex. lib. I. paedag. c. 6. Dionys. Areop. cap. 3. de eccl. hierarchia illuminationem vocavit.

4) Hebr. 10, 32. et cap. 6, 4.

Expurgatio. Sepultura. Crux Christi. Plantatio.

5) I. Cor. 5, 7.

6) Rom. 6, 4.

S. Dion. de  
eccl. hierar.  
cap. 12.

plantationem, tum crucem Christi nominat; quarum omnium appellationum causam ex epistola ad Romanos scripta licet colligere. Cur autem divus Dionysius principium sanctissimorum mandatorum vocaverit, perspicuum est; quum hoc sacramentum veluti ianua sit, qua in christianae vitae societatem ingredimur, atque ab eo divinis praeceptis obtemperandi initium facimus. Atque haec de nomine breviter exponenda erunt.

#### 5. Quae sit baptismi definitio.

Definitiones  
baptismi vide  
apud Alex. de  
Ales. in 4 part.  
q. 11. per to-  
tam, et Thom.  
in 3. part. q.  
66. art. 1.  
1) Ioan. 3, 5.

2) Ephes. 5, 26.

3) Ephes. 2, 3.

4) Ioan. I, 12.  
13.

Quod autem ad rei definitionem attinet, etsi multae ex sacris scriptoribus afferri possunt, illa tamen aptior et commodior esse videtur, quam ex verbis Domini apud Ioannem, et Apostoli ad Ephesios, licet intelligere. Nam quum Salvator dicat: <sup>1</sup> *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; et Apostolus, quum de ecclesia loqueretur: <sup>2</sup> *Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae*; ita fit, ut recte et apposite definiatur, baptismum esse sacramentum regenerationis per aquam in verbo. <sup>3</sup> Natura enim ex Adam filii irae nascimur, per baptismum vero in Christo filii misericordiae renascimur; siquidem <sup>4</sup> dedit hominibus potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

#### 6. Qua ratione baptismi sacramentum perficiatur.

Baptismus  
ablutione et  
forma verbo-  
rum perfici-  
tur. Chrysost.  
hom. 24. in  
Ioan. Aug. lib.  
6. contr. Do-  
nat. c. 25.

Concil. flo-  
rent. et trid.  
div. Aug. tra-  
ctat. 80. in  
Ioan.

Aqua non  
potest dici sa-  
cramentum,  
sed ablutio.

Sed quibuscumque tandem verbis baptismi naturam explicari contigerit, docendus erit populus, hoc sacramentum confici ablutione, cui, ex Domini salvatoris instituto, certa et solemnna verba necessario adhibentur, quemadmodum semper sancti patres docuerunt; quod apertissimo illo divi Augustini testimonio demonstratur: *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.* Id vero eo diligentius monere oportebit, ne forte fideles in eum errorem inducantur, ut existiment, quod vulgo dici solitum est, aquam ipsam, quae ad conficiendum baptismum in sacro fonte asservatur, sacramentum esse: tunc enim sacramentum baptismi dicendum est, quum aqua ad abluendum

aliquem, additis verbis, quae a Domino instituta sunt, re ipsa utimur. Iam vero quoniam singula sacramenta ex materia et forma constitui initio diximus, quum generatim de omnibus sacramentis ageretur, idcirco, quae utraque sit in baptismo, a pastoribus declarandum erit.

7. *Quae sit propria baptismi materia.*

Materiam igitur, sive elementum huius sacramenti, esse omne naturalis aquae genus, sive ea maris sit, sive fluvii, sive paludis, sive putei, aut fontis, quae sine ulla adiunctione aqua dici solet. Nam et Salvator docuit: <sup>1</sup> *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; et Apostolus inquit, <sup>2</sup> *ecclesiam lavacro aquae mundatam esse*; et in beati Ioannis epistola scriptum legimus: <sup>3</sup> *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, et sanguis*. Quod etiam <sup>4</sup> aliis sacrarum litterarum testimoniis comprobatur.

8. *Locus divi Matthaei de baptismo ignis exponitur.*

Quod vero a Ioanne Baptista dictum est, venturum esse Dominum, <sup>5</sup> qui baptizaret in Spiritu sancto et igne; id quidem nullo modo de baptismi materia intelligendum est, sed vel ad intimum Spiritus sancti effectum, vel certe ad miraculum referri debet, <sup>6</sup> quod die Pentecostes apparuit, quum Spiritus sanctus e caelo in apostolos ignis specie delapsus est; de quo alio loco Christus dominus noster praedixit: <sup>7</sup> *Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizamini Spiritu sancto non post multos hos dies*.

9. *Quibus figuris et prophetiis vis aquarum baptismi sit demonstrata.*

Verum idem quoque a Domino tum figuris, tum prophetarum oraculis significatum esse, ex divinis scripturis animadvertimus. Diluvium enim, <sup>8</sup> quo mundus purgatus est, quod <sup>9</sup> multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, huius aquae figuram et similitudinem gessisse, apostolorum princeps <sup>10</sup> in priori epistola ostendit. <sup>11</sup> Et maris rubri transitum eiusdem aquae significationem habuisse, <sup>12</sup> divus Paulus ad Corinthios

De materia baptismi sess. 7. conc. trid. de baptismo can. 2. conc. florent.

1) Ioan. 3, 5.

2) Ephes. 5, 26.

3) Ioan. 5, 8.

4) Act. 8, 10.

47. Hebr. 10,

15. 19. 22. et

1. Pet. 3, 20.

5) Matt. 3, 11.

Sic exponit Hieronym. in Matth.

6) Act. 2, 3.

Sess. 7. concil.

trid. de bap-

tism. can. I.

7) Act. I, 5.

Ambr. lib. I.

de sacram. c.

5. et 6. et lib.

2. per tot.

8) Gen. 6, 5.

Diluvium

olim bap-

tismum reprae-

sentavit.

9) Gen. 6, 5.

10) I. Pet. 3, 21.

Mare rubrum.

11) Exod. 14,

22.

12) I. Cor. 10.

Naaman ablu-

tio.

1) 4. Reg. 5, 14. scribens, exposuit: ut interim omittamus <sup>1</sup> tum Naaman Syri ablutionem, <sup>2</sup> tum probaticae piscinae admirabilem vim, et alia id genus multa, in quibus huius mysterii symbolum inesse facile apparet.

Vim aquarum baptismi praevicit Isaias.

3) Isa. 55, 1.  
4) Ezech. 47, 1.  
5) Zach. 13, 1.

De praedictionibus autem dubitare nemo potest, quin aquae illae, ad quas tam liberaliter <sup>3</sup> Isaias propheta omnes sitientes invitat, <sup>4</sup> vel quas e templo egredientes Ezechiel in spiritu vidit, <sup>5</sup> tum praeterea fons ille, quem domui David et habitantibus Hierusalem paratum in ablutionem peccatoris et menstruatae Zacharias praenuntiavit, ad salutarem baptismi aquam indicandam atque exprimendam pertineant.

10. *Cur aqua ad baptismum conficiendum nos potius uti voluerit Deus, quam alia materia.*

Aquae usus in baptismo quam sit naturae consentaneus, ex S. Hieron. ep. 83. t. 2. vide divum Thom. in 3. part. quaest. 66. art. 3. Prima ratio.

Quantum vero baptismi naturae et virtuti consentaneum fuerit, ut eius propria materia aqua institueretur, pluribus quidem rationibus divus Hieronymus ad Oceanum scribens demonstravit. Sed quod ad hunc locum attinet, pastores docere in primis poterunt, quoniam hoc sacramentum omnibus sine ulla exceptione ad consequendam vitam necessarium erat, idcirco aquae materiam, quae numquam non praesto est, atque ab omnibus facile parari potest, maxime idoneam fuisse. Deinde aqua effectum baptismi maxime significat: ut enim aqua sordes abluit, ita etiam baptismi vim atque efficientiam, quo peccatorum maculae eluuntur, optime demonstrat. Accedit illud, quod, quemadmodum aqua refrigerandis corporibus aptissima est, sic baptismo cupiditatum ardor magna ex parte restinguitur.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

11. *Aquae simplici et naturali quare chrisma adiciatur.*

Aquae simplici et naturali, cur chrisma adiciatur vide Ambr. lib. I. de sacram. c. 2. et lib. 3. cap. et Innoc. lib. I. decr. tit. 35. cap. I. Cum

Illud vero animadvertendum est, quamvis aqua simplex, quae nihil aliud admistum habet, materia apta sit ad hoc sacramentum conficiendum, quoties scilicet baptismi ministrandi necessitas incidat; tamen ex apostolorum traditione semper in catholica ecclesia observatum esse, ut, quum solemnibus caeremoniis baptismus conficitur, sacrum etiam chrisma addatur; quo



baptismi effectum magis declarari perspicuum est. Docendus quoque erit populus, etsi aliquando incertum esse potest, utrum haec, an illa vera aqua sit, qualem sacramenti perfectio requirat; hoc tamen pro certo habendum esse, numquam ex alia materia, quam ex aquae naturalis liquore, baptismi sacramentum ulla ratione confici posse.

venisset. Dam. lib. I. c. 10. in fin.

12. *Quare promiscue omnibus fidelibus perfecta baptismi forma clare exponenda sit.*

Sed duarum partium, ex quibus baptismus constare debet, postquam altera, hoc est materia, diligenter explicata fuerit, studebunt pastores eadem diligentia formam etiam tradere, quae est altera eius pars maxime necessaria. In huius autem sacramenti explicatione, eo maiori cura et studio elaborandum putabunt, quod tam sancti mysterii notitia non solum sua sponte fideles vehementer delectare potest, quod quidem in omni divinarum rerum scientia communiter evenit, verum etiam ad usus fere quotidianos sumopere expetenda est. Quum enim saepe incidant tempora, quemadmodum suo loco planius dicetur, in quibus tum ab aliis de populo, tum saepissime a mulieribus baptismum ministrari oporteat; ita fit, ut promiscue omnibus fidelibus ea, quae ad huius sacramenti substantiam pertinent, cognita et perspecta esse debeant.

Quam saepe, et quanta cura baptismi natura sit inculcanda.

13. *Quae sit perfecta et absoluta huius sacramenti forma.*

Quare dilucidis et apertis verbis, quae facile percipi ab omnibus possint, pastores docebunt, hanc esse perfectam et absolutam baptismi formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Ita enim a Domino et Salvatore nostro traditum est, quum apostolis apud Matthaeum praecepit: <sup>1</sup> *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Ex illo autem verbo *baptizantes*, catholica ecclesia divinitus edocta optime intellexit, in huius sacramenti forma actionem ministri exprimendam esse; quod quidem fit, quum dicitur: *ego te baptizo.* At quo-

Aug. lib. 6. contr. Donat. c. 25.

Greg. Naz. orat. 40. Baptismi forma.

1) Matt. 28, 19.

Actio ministri in baptismo ex Christi verbo esse necessaria colligitur.

Persona, quae

baptizatur. Principalis causa sanctificationis est sancta Trinitas.

1) Ioan. I, 33.

Ambr. lib. I. de Spiritu sancto c. 24. et lib. 2. de sacramentis c. 7. In forma baptismi quid Nomen significet.

Ignorantia linguae latinae, mutans baptismi verba verum confert baptisma. Summa conciliorum fol. 220. Bernardus ep. 340.

Graecorum baptizandi ratio.

Alex. de Aless. 4. p. q. 13. memb. 3. art.

2. Ita editio princeps, et reliquae inde excusae; at Eucbologium habet; *servus Dei*. Conc. florent. in doctrina de sacram.

Thom. in 3. part. q. 66. art. 6.

2) Act. 2, 38, 8, 16. et 10, 48. Baptizabant apostoli in no-

niam, praeter ministros, tum illius personam qui baptizatur, tum principalem causam, quae baptismum efficit, significare oportebat; idcirco illud pronomen *te*, et distincta divinarum personarum nomina adduntur, ut absoluta sacramenti forma iis verbis concludatur, quae modo exposita sunt: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Neque enim sola Filii persona, de quo a Ioanne scribitur: <sup>1</sup> *Hic est, qui baptizat*; sed simul omnes sanctae trinitatis personae ad baptismi sacramentum operantur. Quod autem *in nomine*, non *in nominibus* dictum est, hoc plane declarat unam trinitatis naturam et divinitatem. Etenim hoc loco *nomen* ad personas non refertur, sed divinam substantiam, virtutem et potestatem, quae una et eadem est in tribus personis, significat.

14. *An in forma baptismi verba omnia perinde sint necessaria.*

Sed in hac forma, quam integram et perfectam esse ostendimus, observandum est, quaedam prorsus necessaria esse, quae si omittantur, sacramentum confici non potest; quaedam vero non ita necessaria, ut, si desint, sacramenti ratio non constet: cuiusmodi est vox illa *ego*, cuius vis in verbo *baptizo* continetur. Immo vero in ecclesiis Graecorum variata dicendi ratione, praetermitti consuevit, propterea quod nullam fieri oportere ministri mentionem iudicarunt. Ex quo factum est, ut in baptismo hac forma passim utantur: *Baptizatur servus \* Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*; a quibus tamen perfecte sacramentum ministrari, ex concilii Florentini sententia et definitione apparet, quum iis verbis satis explicetur id, quod ad baptismi veritatem attinet, nimirum ablutio, quae tunc re ipsa peragitur.

15. *Quo modo apostoli in nomine Christi baptizaverint.*

Quod si etiam aliquando tempus fuisse dicendum est, quum apostoli <sup>2</sup> in nomine tantum domini Iesu Christi baptizarent, id quidem Spiritus sancti afflatu eos fecisse, exploratum nobis

esse debet, ut initio nascentis ecclesiae Iesu Christi nomine praedicatio illustrior fieret, divinaque et immensa eius potestas magis celebraretur. Deinde vero rem penitus introspectientes, facile intelligimus, nullam earum partium in ea forma desiderari, quae ab ipso Salvatore praescriptae sunt. Qui enim Iesum Christum dicit, simul etiam Patris personam, a quo unctus, et Spiritum sanctum, quo unctus est, significat.

mine Christi, hoc est, in forma tradita a Christo.

Dam. lib. 4. c. 10. lit. E.

16. *Apostolos in nomine Christi, tacitis aliis duabus personis trinitatis, numquam baptizasse credendum est.*

Quamquam dubium fortasse alicui videri potest, an huiusmodi forma apostoli aliquem baptizaverint, si Ambrosii et Basilii, sanctissimorum et gravissimorum patrum, auctoritatem sequi volumus, qui ita baptismum in nomine Iesu Christi interpretati sunt, ut dixerint, iis verbis significari baptismum, non qui a Ioanne, sed qui a Christo domino traditus esset, tametsi a communi et usitata forma, quae distincta trium personarum nomina continet, apostoli non discederent. Atque hoc loquendi genere Paulus etiam in epistola ad Galatas usus videtur, quum inquit:

S. Ambr. lib. I. de Spiritu sancto, cap. 3. Cum nomen Iesu adoramus, totam Dei maiestatem veneramus. Petros Chrysologus ser. 144.

<sup>1</sup> *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis;* ut significaret in fide Christi, nec alia tamen forma, quam idem Salvator et Dominus noster servandam praeceperat, baptizatos esse. Hactenus igitur de materia et forma, quae ad baptismi substantiam maxime pertinent, fideles docere satis fuerit.

Gal. 3, 27.

17. *Quo pacto in hoc regenerationis mysterio fieri debeat ablutio.*

Quoniam vero in hoc sacramento conficiendo legitima etiam abluitionis rationem servari oportet; idcirco eius quoque partis doctrina a pastoribus tradenda est, atque ab eis breviter explicandum, communi ecclesiae more et consuetudine receptum esse, ut baptismus uno aliquo ex tribus modis confici posset. Nam qui hoc sacramento initiari debent, vel in aquam merguntur, vel aqua in eos infunditur, vel aquae aspersione tinguntur. Ex his autem ritibus qui-

Ablutio baptismi tribus modis fieri potest. Thom. in 3. part. q. 66. art. 7.

- cumque servetur, baptismum vere perfici credendum est: aqua enim in baptismo adhibetur ad significandam animae ablutionem, quam efficit; quare baptismus ab <sup>1</sup> Apostolo lavacrum appellatus est. Ablutio autem non magis fit, quam aliquis aqua mergitur, quod diu a primis temporibus in ecclesia observatum animadvertimus, quam vel aquae effusione, quod nunc in frequenti usu positum videmus, vel aspersione, quemadmodum <sup>2</sup> a Petro factum esse colligitur, quum uno die tria millia hominum ad fidei veritatem traduxit et baptizavit.

1) Ephes. 5, 26.  
Lavacrum  
regeneratio-  
nis.

Trina mer-  
sio fuit in usu  
Augustini tem-  
pore.

2) Act. 2, c. 41.

18. *Unicane ablutio requiratur, an tria.*

Una ne, an  
trina ablutio  
fieri debeat c.  
49. Apostolorum  
Concil.  
tolet. IV. can.  
5. Dion. lib.  
de eccles. hier.  
rar. c. 4.

Utrum vero unica, an trina ablutio fiat, nihil referre existimandum est: utrovis enim modo et antea in ecclesia baptismum vere confectum esse, et nunc confici posse, ex divi Gregorii Magni epistola ad Leandrum scripta, satis apparet. Retinendus est tamen a fidelibus is ritus, quem unusquisque in sua ecclesia servari animadvertit.

19. *Quare caput hic potissimum abluatur.*

Thom. in 3.  
part. q. 66.  
art. 7. ad ter-  
tium argu-  
mentum.

Verba sa-  
cramenti, eod-  
dem tempore,  
quo abluatur  
caput pronun-  
cianda sunt.  
Ps. 28. Domi-  
nus super a-  
quas.

Atque illud praecipue monere oportet, non quamlibet corporis partem, sed potissimum caput, in quo omnes tum interiores, tum externi sensus vigent, abluendum, simulque ab eo, qui baptizat, non ante aut post ablutionem verba sacramenti, quae formam continent, sed eodem tempore, quo ablutio ipsa peragitur, pronuntianda esse.

20. *Christusne baptismum, ante, an post passionem, instituerit.*

Duo tempora  
institutionis  
baptismi.

Thom. in 3.  
part. q. 66.  
art. 2.

Quando Chri-  
stus Bapti-  
smum insti-  
tuerit.

His expositis, conveniet praeterea docere, atque in memoriam fidelium reducere, baptismum, quemadmodum et reliqua sacramenta, a Christo domino institutum esse. Hoc igitur pastores frequenter docebunt explicabuntque, duo diversa tempora baptismi notanda esse: alterum, quum Salvator eum instituit; alterum, quum lex de eo suscipiendo sancita est. Ac, quod ad primum attinet, tunc a Domino hoc sacramentum institutum esse perspicitur, quum ipse a

3) Matth. 3, 16.

<sup>3</sup> Ioanne baptizatus sanctificandi virtutem aquae

tribuit. Testantur enim sancti Gregorius Nazianzenus et Augustinus, eo tempore aquae vim generandi, in spiritualem scilicet vitam, datam esse. Et alio loco Augustinus ita scriptum reliquit: *Ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo omnia peccata abluit aqua.* Et alibi: *Baptizatur Dominus, non mundari indigens, sed tactu mundae carnis aquas mundans, ut vim abluendi habeant.* Atque ad eam rem illud maximo argumento esse potuit, quod tunc sanctissima trinitas, in cuius nomine baptismus conficitur, numen suum praesens declaravit. <sup>1</sup> Vox enim Patris audita est, Filii persona aderat, et Spiritus sanctus in columbae specie descendit; praeterea caeli aperti sunt, quo nobis iam per baptismum licet ascendere. Quod si quis scire cupiat, quam ratione tanta et tam divina virtus a Domino aquis tributa sit, id quidem humanam intelligentiam superat; hoc vero satis percipi a nobis potest, baptismum a Domino suscepto, sanctissimi et purissimi eius corporis tactu, aquam ad baptismi salutarem usum consecratam esse; ita tamen, ut hoc sacramentum, etsi ante passionem institutum fuerit, a passione tamen, quae omnium Christi actionum tamquam finis erat, vim et efficientiam duxisse, credendum sit.

21. *Quando lex baptismi homines obligare coeperit.*

Sed de altero etiam, quo scilicet tempore lex de baptismo lata fuerit, nullus dubitandi locus relinquitur. Nam inter sacros scriptores convenit, post Domini resurrectionem, quum apostolis praecepit: <sup>2</sup> *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*; ex eo tempore omnes homines, qui salutem aeternam consequuturi erant, lege de baptismo teneri coepisse. Quod quidem ex apostolorum principis auctoritate colligitur, quum inquit: <sup>3</sup> *Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.* Idemque ex illo Pauli loco: <sup>4</sup> *Se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret* (quum de ecclesia loqueretur), *mundans eam lavacro aquae in verbo, licet cognoscere.* Uterque enim baptismi obliga-

D. Greg. Nazian. orat. in nat. Salvatoris circa finem. Ambr. serm. 18. et 21. super Beati immaculati.

August. serm. 29, 36. et 37. de tempore.

Aquae vis per Christum est aucta. Tota Trinitas in baptismo Christi praesens suum numen declarat.

1) Matt. 3, 16. Marc. 1, 10. 11. Lucae 3, 21.

Aug. serm. 36. de tempore.

Baptismus ante Christi passionem fuit quidem usitatus, postea tamen vim suam accepit.

Lex de baptismo suscipiendo quando lata fuerit.

2) Matt. 28, 19.

Quando baptismus homines obligare coepit.

3) I. Pet. I, 3.

4) Ephes. 5, 25. 26.

tionem ad tempus, quod mortem Domini consequutum est, videtur retulisse: ut dubitandum nullo modo sit, verba etiam illa Salvatoris: <sup>1</sup> *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, id ipsum tempus spectasse, quod post passionem futurum erat.

22. *Sacramentum baptismi in quanta veneratione habendum.*

Quanta munera in baptismo conferantur ex his, quae in Christi baptismo evenerunt, docet divus Thom. in 3. part. q. 39. art. 5. et 6. cap. 4.

2) 4. Reg. 6. 17.

Ex his igitur, si accurate a pastoribus tractentur, haud dubium esse potest, quin fideles maximam in hoc sacramento dignitatem agnoscant, ac summa animi pietate venerentur; praesertim vero quum cogitarint, praeclara illa et amplissima munera, quae, quum Christus dominus baptizaretur, miraculorum significationibus declarata sunt, singulis, quum baptizantur, intima Spiritus sancti virtute, donari atque impartiri. Ut enim, si, quemadmodum <sup>2</sup> Elisei puero contigit, nobis oculi ita aperirentur, ut caelestes res intueri possemus, nemo adeo communi sensu carere putandus esset, quem divina baptismi mysteria in maximam admirationem non traducerent; cur idem etiam eventurum non existimemus, quum a pastoribus huius sacramenti divitiae ita expositae fuerint, ut eas fideles, si non corporis oculis, at mentis acie, fidei splendore illuminatae, contemplari queant?

23. *Quot hominum genera baptismum administrare possint.*

Non homo, sed Christus est, qui baptizati, sacerdos vero legatione tantum pro Christo fungitur. Ioan. I. Super quem etc. Cypr. de bapt. Christi circa princip.

Et dicitur: Ego te baptizo in nomine etc. 3) I. Cor. 14. Triplex ordo ministrorum baptismi: pri-

Iam vero, a quibus ministris hoc sacramentum conficiatur, non utiliter modo, sed necessario tradendum videtur; tum ut ii, quibus praecipue hoc munus commissum est, illud sancte et religiose curare studeant, tum ut ne quis, tamquam fines suos egressus, in alienam possessionem intempestive ingrediatur, vel superbe irrumpat, quum in omnibus ordinem servandum esse <sup>3</sup> Apostolus admoneat. Doceantur igitur fideles, triplicem esse eorum ordinem: ac in primo quidem episcopos et sacerdotes collocandos esse, quibus datum est, ut iure suo, non extraordinaria aliqua potestate, hoc munus exercent; iis

enim in apostolis praeceptum est a Domino: <sup>1</sup> *Euntes baptizate*; quamvis episcopi, ne graviorem illam docendi populi curam deserere cogentur, <sup>2</sup> baptismi ministerium sacerdotibus relinquere soliti essent. Quod vero sacerdotes iure suo hanc functionem exerceant, ita ut praesente etiam episcopo, ministrare baptismum possint, ex doctrina patrum, et usu ecclesiae constat. Nam quum ad eucharistiam consecrandam instituti sint, <sup>3</sup> quae est pacis et unitatis sacramentum, consentaneum fuit, potestatem iis dari omnia illa administrandi, per quae necessario huius pacis et unitatis quilibet particeps fieri posset. Quod si aliquando patres sacerdotibus, sine episcopi venia, baptizandi ius permissum non esse dixerunt, id de eo baptismo, qui certis anni diebus solemni caeremonia administrari consueverat, intelligendum videtur.

Secundum ministrorum locum obtinent diaconi, quibus, sine episcopi aut sacerdotis consensu, non licere hoc sacramentum administrare, plurima sanctorum patrum decreta testantur.

24. *Qui sacramentum baptismi in casu necessitatis conferre possint.*

Extremus ordo illorum est, qui, cogente necessitate, sine solemnibus caeremoniis baptizare possunt; quo in numero sunt omnes, etiam de populo, sive mares sive feminae, quaecumque illi sectam profiteantur. Nam et iudaeis quoque, et infidelibus, et haereticis, quum necessitas cogit, hoc munus permissum est, si tamen id efficere propositum eis fuerit, quod ecclesia catholica in eo administrationis genere efficit. Haec autem quum multa veterum patrum et conciliorum decreta confirmarunt, tum vero a sacra tridentina synodo anathema in eos sancitum est, qui dicere audeant, *baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit ecclesia, non esse verum baptismum.* In quo profecto summam Domini nostri bonitatem et sapientiam licet admirari. Nam quum hoc sacramentum necessario in omnibus percipiendum

mus ordo est episcoporum et sacerdotum.

Isid. lib. 2. de offic. eccl. cap. 24.

1) Matt. 28, 19.

2) 1. Cor. 1, 17.

Sacerdotum. proprium est

baptismum conferre. Th.

in 3. part. q.

67. art. 2.

3) 1. Cor. 10, 17.

Vide Leonem magnum ep.

83.

Secundu<sup>s</sup>

ordo est diaconorum: diaconi sine

necessitate ba-

puzare non

possunt dist.

93. c. Diaconus.

Thom. in. 3.

part. q. 67.

art. 1. et de consecr. dist.

4. cap. Cunctas. Quilibet

in necessitate

baptizare potest: sess. 7.

concil. Trident. de bap-

tism. can. 4.

Con. item later. c. 1. et ha-

betur de summa trinitat. c.

Firmiter, et concil. florent. in decretis Eu-

genii.

Populares non debent solemnes caeremonias in baptismo adhibere. Thom. in 3. part. q. 67. art. 3. Thom. loco cit. art. 4.

sit, quemadmodum aquam eius materiam instituit, qua nihil magis commune esse potest, sic etiam neminem ab eius administratione excludi voluit. Quamvis, ut dictum est, non omnibus liceat solemnes caeremonias adhibere; non quidem quod ritus aut caeremoniae plus dignitatis, sed quod minus necessitatis, quam sacramentum, habeant.

25. *Quis ordo in baptizando a fidelibus servandus sit.*

Neque vero hoc munus ita omnibus promiscue permissum esse, fideles arbitrentur, quin ordinem aliquem ministrorum statuere maxime deceat. Mulier enim, si mares adsint, laicus item, praesente clerico, tum clericus coram sacerdote, baptismi administrationem sibi sumere non debent. Quamquam obstetrices, quae baptizare consueverunt, improbandae non sunt, si interdum, praesente aliquo viro, qui huius sacramenti conficiendi minime peritus sit, quod alias viri magis proprium officium videretur, ipsae exsequantur.

26. *Cur praeter eos, qui baptizant, in regenerationis mysteriis patrini adhibeantur.*

De Patrinis baptizantium agit Dionys. lib. de eccl. hierar. c. 4. Alex. de Aless. 4. part. q. 10. membro 3. art. 1.

Accedit autem ad eos ministros, qui, ut hactenus declaratum est, baptismum conficiunt, aliud etiam ministrorum genus, qui ad sacramentum et salutarem ablutionem celebrandam ex vetustissima catholicae ecclesiae consuetudine adhiberi solent; ii nunc patrini, olim susceptores, sponsores, seu fideiussores, communi vocabulo, a rerum divinarum scriptoribus vocabantur. De quorum numero, quoniam ad omnes fere laicos pertinet, accurate a pastoribus agendum erit, ut fideles intelligant, quae potissimum ad illud recte perficiendum necessaria sint. In primis vero explicare oportet, quae causa fuerit, cur ad baptismum praeter sacramenti ministros patrini etiam et susceptores adiungerentur. Quod quidem optimo iure factum esse omnibus videbitur, si meminerint, baptismum esse spirituales regenerationem, per quam filii Dei nascimur; de ea enim ita loquitur divus Petrus: *Sicut modo geniti infantes rationabiles, sine dolo lac con-*

Thom. in 3. part. q. 67. art. 7.

1) I. Pet. 2, 2.



*cupiscite*. Ut igitur, postquam aliquis in hanc lucem editus est, nutrice et paedagogo indiget, quorum ope atque opera educetur, ac doctrina et bonis artibus erudiat; ita etiam necesse est, ut, qui ex baptismi fonte vitam spiritualem vivere incipiunt, alicuius fidei et prudentiae committantur, a quo christianae religionis praecepta haurire, ad omnemque pietatis rationem institui possint, atque ita paulatim in Christo adolescere, donec tandem viri perfecti, iuvante Domino, evadant; quum praesertim pastoribus, qui publicae parochiarum curationi praepositi sunt, tantum temporis non supersit, ut privatam illam curam pueros in fide erudiendi suscipere possint. Huius autem vetustissimae consuetudinis praeclarum testimonium a divo Dionysio habemus, quum inquit: *Divinis nostris ducibus* (sic enim apostolos vocat) *in mentem venit, et visum est suscipere infantes, secundum istum sanctum modum, quod naturales parentes pueri eum cuidam docto in divinis, veluti paedagogo, traderent, sub quo, sicut sub divino patre et salvationis sanctae susceptore, reliquum vitae puer degeret*. Eandem vero sententiam confirmat Hyginii auctoritas.

27. *Cognatio spiritualis in baptismo contracta testimonium impedit et dirimit.*

Quamobrem sapientissime a sancta ecclesia constitutum est, ut non solum is, qui baptizat, cum baptizato, sed etiam susceptor cum eo, quem suscipit, et cum eius veris parentibus affinitate devinciatur; ita ut legitima nuptiarum foedera inter hos omnes iniri non possint, atque inita dirimantur.

28. *Quae sint patrinorum partes, quidque ab illis exigatur.*

Praeterea docere oportet fideles, quae sint susceptoris partes. Etenim hoc munus adeo negligenter in ecclesia tractatur, ut nudum tantum huius functionis nomen relictum sit; quid autem sancti in eo contineatur, ne suspicari quidem homines videantur. Hoc igitur universe susceptores semper cogitent, se hac potissimum

Patrinorum adhibendorum quam vetusta sit consuetudo.

S. Dion. de eccl. hierar. c. 12. in fin.

Hygin. papa de cons. dis. 4. c. in catechismo, et ibid. c. Non plures, etc. in baptisate, et 30. q. I. cap. Pervenit, et seq. De affinitate in baptismo contracta. Sess. 24. concil. trid. de reform. Matth. c. 19, 28. q. I. vide item, et de cognition. spirit. in 6.

Patrinorum officium.

Thom. in 3. par. q. 67. art. 8.

lege obstrictos esse, ut spirituales filios perpetuo commendatos habeant, atque in iis, quae ad christianae vitae institutionem spectant, curent diligenter, ut illi tales se in omni vita praebeant, quales eos futuros esse solemniter caeremonia sponderunt. Audiamus quid ea de re sanctus Dionysius scribat, verba sponsoris exprimens: *Spondeo puerum inducturum, quum ad sacram intelligentiam venerit, sedulis adhortationibus meis, ut abrenuntiet contrariis omnino, profiteatur peragatque divina, quae pollicetur.* Item divus Augustinus: *Vos, inquit, ante omnia tam viros, quam mulieres, qui filios in baptisate suscepistis, moneo, ut cognoscatis fideiussores apud Deum exstitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere.* Ac profecto decet maxime, eum, qui aliquod officium suscipit, in eo diligenter exsequendo numquam defatigari: et qui se alterius paedagogum et custodem professus est, minime pati illum esse desertum, quem semel in fidem et clientelam suam recepit, donec illum opera et praesidio suo egere intellexerit. Quae autem filiis spiritualibus tradenda sint, paucis divus Augustinus comprehendit, quum de hoc ipso susceptorum officio loqueretur; ait enim: *Debent eos admonere, ut castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant, et ante omnia symbolum et orationem dominicam eos doceant, decalogum etiam, et quae sint prima christianae religionis rudimenta.*

29. *Quivis promiscue ad susceptoris munus non est admittendus.*

Dionys. loco supra citat. de eccles. hierar. c. 2.  
D. Aug. serm. 163. de tempore. Ambr. lib. I. de sacram. cap. 2. in fine.

Quid suscipitres filios suos spirituales docere debeant, fusiis Aug. sess. 163. de tempore, sed haec habentur de cons. dist. 4. cap. Vos autem.

Quales patrini sint assumendi. Parentes naturales filios suos suscipere non possunt. 3o. q. 1. c. Pervenit. Thom. in 3. p. q. 67. art. 8. ad secundam. Neque infideles et haeretici ex conc. mag. can. 55. et de cons. dist. 4. c. in baptisate.

Quae quum ita se habeant, facile intelligimus, cuinam hominum generi sanctae huius tutelae administratio committenda non sit; nimirum iis, qui eam gerere aut fideliter nolint, aut sedulo et accurate non queant. Quocirca praeter naturales parentes, quibus non licet eam curationem suscipere, ut ex eo magis appareat, quantum haec spiritualis educatio a carnali distet, haeretici in primis, iudaei, infideles ab hoc munere omnino prohibendi sunt, ut qui in ea cogitatione et cura semper versentur, ut fidei

veritatem mendaciis obscurent, atque omnem christianam pietatem evertant.

30. *Quis patrinorum numerus esse debeat.*

Plures quoque ne baptizatum de baptismo suscipiant, sed ut unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus, et una, tridentino concilio statutum est: tum quia disciplinae atque institutionis ordo a multitudine magistrorum perturbari poterat; tum quia providere oportebat, ne inter plures eiusmodi affinitates coniungerentur, quae impedirent, quominus legitimo matrimonii vinculo hominum inter homines societas latius diffunderetur.

Patrinorum numerus.

Sess. 24. concil. trid. de reform. matrim. c. 20. et idem habetur de consecr. dist. 4. c. Non plures, et de cogn. spirit. cap. Quamvis.

31. *Baptismus ad salutem omnibus necessarius.*

Sed quum ceterarum rerum cognitio, quae hactenus expositae sunt, fidelibus utilissima habenda sit, tum vero nihil magis necessarium videri potest, quam ut doceantur, omnibus hominibus baptismi legem a Domino praescriptam esse, ita ut, nisi per baptismi gratiam Deo renascantur, in sempiternam miseriam et interitum a parentibus, sive illi fideles, sive infideles sint, procreentur. Igitur saepius a pastoribus explicandum erit, quod apud Evangelistam legitur: <sup>1</sup> *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

1) Ioan. 3, 5. Clemens Roman. epist. 3. Aug. in Ioan. tractat. 13. Ambr. de iis, qui myster. initiantur, c. 4. conc. lateran. cap. I. Citra baptismum nullus omnino salvari potest. Conc. trident. de baptismo can. 5. et sess. 6. de iustificatione cap. 4. de baptismo parvulorum sess. 5. concil. trident. decreto de peccato originali, et sess. 7. de baptismo c. 12. 13. et 14.

Dion. Areop. de eccl. hier. cap. 7. Aug. epist. 28. et lib. I. de peccat. merit. et remiss. c. 23. concil. millevit. c. 2.

2) Matt. 19, 14.

3) Marc. 10, 16.

4) I. Cor. I, 16.

5) Gen. 17, 11.

32. *Infantes omnino sunt baptizandi.*  
 Quam legem non solum de iis, qui adulta aetate sunt, sed etiam de pueris infantibus intelligendam esse, idque ab apostolica traditione ecclesiam accepisse, communis patrum sententia et auctoritas confirmat. Praeterea credendum est, noluisse Christum dominum baptismi sacramentum et gratiam pueris denegari, de quibus dicebat: <sup>2</sup> *Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum caelorum;* <sup>3</sup> quos amplexabatur, super quos manus imponebat, quos benedicebat. Deinde quum <sup>4</sup> legimus totam aliquam familiam a Paulo baptizatam esse, satis apparet, pueros etiam, qui in illorum numero erant, salutari fonte ablutos esse. Deinde circumcisio, quae figura fuit baptismi, eum morem maxime commendat; <sup>5</sup> pueros

- enim octavo die circumcidi solitos, nemo est, qui ignoret. Ac quibus<sup>1</sup> circumcisio manufacta in exspoliatione corporis carnis proderat, iisdem baptismum, qui est<sup>2</sup> circumcisio Christi non manufacta, prodesse perspicuum est.

- 3) Rom. 5, 17. Postremo, ut Apostolus docet,<sup>3</sup> si unius delicto mors regnavit per unum; multo magis abundantiam gratiae, et donationis, et iustitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Iesum Christum. Quum itaque per Adae peccatum pueri ex origine noxam contraxerint, multo magis per Christum dominum possunt gratiam et iustitiam consequi, ut regnent in vitam, quod quidem sine baptismo fieri nullo modo potest. Quare docebunt pastores, infantes omnino baptizandos, et deinde paulatim teneram aetatem christianae religionis praeceptis ad veram pietatem informandam esse: nam,<sup>4</sup> ut a Sapiente praeclare dictum est, *Adolescens iuxta viam suam, etiam quum senuerit, non recedet ab ea.*

*33. Infantes in baptismo gratiam spiritualem percipiunt.*

- Infantes etiam in baptismo gratiam accipiunt.  
Aug. in enchir. c. 42.  
Scot. 4. dist. 4. quaest. 2.

Neque enim dubitare licet, quin fidei sacramentum, quum abluuntur, accipiant; non quia mentis suae assensione credant, sed quia parentum fide, si parentes fideles fuerint, sin minus fide (ut divi Augustini verbis loquamur) universae societatis sanctorum muniuntur. Etenim ab iis omnibus recte dicimus eos baptismo offerri, quibus placet ut offerantur, et quorum charitate ad communionem sancti Spiritus adiunguntur.

*34. Infantium baptismus non differendus.*

- Infantes mox ad baptismum sunt deferendi.

- Greg. Naz. orat. 40. in sanctum baptismum.

- Aug. lib. 3. de orig. animae c. 9. et lib. 1. de pecc. mer. et rem. c. 23.

Hortandi autem sunt magnopere fideles, ut liberos suos, quam primum sine periculo facere liceat, ad ecclesiam deferendos, et solemnibus caeremoniis baptizandos curent. Nam quum pueris infantibus nulla alia salutis comparandae ratio, nisi eis baptismus praebeatur, relicta sit, facile intelligitur, quam gravi culpa illi sese obstrinant, qui eos sacramenti gratia diutius quam necessitas postulet, carere patiantur; quum praesertim propter aetatis imbecillitatem, infinita paene vitae pericula illi impendeant.

35. *Adulti quo modo ante baptismum instruendi sint.*

Diversam vero rationem in iis servandam esse, qui adulta aetate sunt, et perfectum rationis usum habent, qui scilicet ab infidelibus oriuntur, antiquae ecclesiae consuetudo declarat. Nam christiana quidem fides illis proponenda est, atque omni studio ad eam suscipiendam cohortandi, alliciendi, invitandi sunt. Quod si ad dominum Deum convertantur, tum vero monere oportet, ne, ultra tempus ab ecclesia praescriptum, baptismi sacramentum differant. Nam quum scriptum sit: <sup>1</sup> *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem*; docendi sunt, perfectam conversionem in nova per baptismum generatione positam esse. Praeterea, quo serius ad baptismum veniunt, eo diutius sibi carendum esse ceterorum sacramentorum usu et gratia, quibus christiana religio colitur, quum ad ea sine baptismo nulli aditus patere possit: deinde etiam maximo fructu privari, quem ex baptismo percipimus; siquidem non solum omnium scelerum, quae antea admissa sunt, maculam et sordes baptismi aqua prorsus eluit ac tollit, sed divina gratia nos ornat, cuius ope et auxilio in posterum etiam peccata vitare possumus, iustitiamque et innocentiam tueri: qua in re summam christianae vitae constare facile omnes intelligunt.

36. *Adultis baptismum differendum esse demonstratur.*

Sed quamvis haec ita sint, non consuevit tamen ecclesia baptismi sacramentum huic hominum generi statim tribuere, sed ad certum tempus differendum esse constituit. Neque enim ea dilatio periculum, quod quidem pueris imminere supra dictum est, coniunctum habet; quum illis, qui rationis usu praediti sunt, baptismi suscipiendi propositum atque consilium, et male actae vitae poenitentia satis futura sit ad gratiam et iustitiam, si repentinus aliquis casus impediat, quominus salutari aqua ablui possint. Contra vero haec dilatio aliquas videtur utilitates afferre. Primum enim, quoniam ab ecclesia diligenter

De baptismo adultorum vide Ang. in lib. de fide et operibus, c. 9. et de consec. dist. 4. cap. Ante baptismum, et ante viginti.

1) Eecl. 5, 8.

Baptismi quanta sit virtus.

Propositum baptismi in necessitate ad salutem sufficit. Aug. in lib. qu. in lev. q. 84. Ambr. in lib. 5. ep. 33. de obitu Valent. Thom. in 5. part. q. 65. art. 2.

Cur expediat in adultis baptismam differri.

providendum est, ne quis ad hoc sacramentum ficto et simulato animo accedat, eorum voluntas, qui baptismum petunt, magis exploratur atque perspicitur: cuius rei causa in antiquis conciliis decretum legimus, ut qui ex iudaeis ad fidem catholicam veniunt, antequam baptismus illis administretur, aliquot menses inter catechumenos essent: deinde in fidei doctrina, quam profiteri debent, et christianae vitae institutionibus erudirentur perfectius. Praeterea, minus religionis cultus sacramento tribuitur, si constitutis tantum Paschae et Pentecostes diebus, solemniori caeremonia baptismum suscipiant.

Conc. Agaten. c. 34. et de consecr. dist. 9. c. iudaei, vide item conc. Brach. 3. cap. I. et Laod. c. 46.

37. *Baptismus non semper adultis differendus.*

Quando non diu differri debeat baptismus.

Greg. Naz. orat. 40. In sanctum baptismum.

1) Act. 8, 38.

2) Act. 10, 48.

Sed interdum tamen baptismi tempus, iusta aliqua et necessaria de causa, differendum non est, veluti si vitae periculum instare videatur; ac praesertim, si illi abluendi sint, qui iam fidei mysteria plene perceperint. Quod quidem Philippum et apostolorum principem fecisse satis constat,<sup>1</sup> quum alter Candacis reginae eunuchum, alter Cornelium, nulla interposita mora, sed statim, ut se fidem amplecti professi sunt, baptizavit.

38. *Quo modo affecti esse debeant, qui sunt baptizandi.*

Primum in baptizandis propositum requiritur.

3) Rom. 6, 2. Aug. in lib. de poenit. medic. c. 2. Thom. in 3. p. q. 68. art. 7. Thom. in 3. par. q. 68. art. 21. et colligitur ex August. l. 4. conf. c. 1.

Docendum praeterea, ac populo explicandum erit, quo modo affecti esse debeant, qui baptizandi sunt. In primis itaque opus est, ut velint, propositumque illis sit baptismum suscipere. Nam quum unusquisque<sup>3</sup> in baptismo peccato moriatur, et novam vitae rationem et disciplinam suscipiat, aequum est, non invito cuiquam aut recusanti, sed illis tantum, qui sponte sua et libenti animo accipiunt, baptismum praebere. Quare ex sancta traditione semper servatum animadvertimus, ut nemini baptismus ministretur, nisi prius interrogatus fuerit, an velit baptizari. Nec vero in pueris quoque infantibus eam voluntatem deesse existimandum est, quum ecclesiae voluntas, quae pro illis spondet, obscura esse non possit.

39. *Amentes quando possint, vel non possint baptisari.*

Praeterea amentes et furiosos, qui quum aliquando compotes mentis essent, in insaniam deinde inciderunt, ut qui eo tempore nullam baptismi suscipiendi voluntatem habeant, nisi vitae periculum immineat, baptizandos non esse: quum autem in vitae discrimine versantur, si antequam furere inciperent, eius voluntatis significationem dederunt, abluendi sunt; sin minus, e baptismi administratione abstinendum est: idemque iudicium de dormientibus fieri debet. Quod si in mentis potestate numquam fuerunt, ita ut nullum rationis usum habuerint, eos in fide ecclesiae non secus ac pueros, qui ratione carent, baptizandos esse, ecclesiae auctoritas et consuetudo satis declarat.

40. *Quae praeterea ad baptismum suscipiendum requirantur.*

Verum praeter baptismi voluntatem, fides etiam ea ratione, qua de voluntate dictum est, ad consequendam sacramenti gratiam maxime necessaria est. Etenim Dominus et Salvator noster docuit: <sup>1</sup> *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Deinde ut quemlibet admissorum scelerum et male actae vitae poeniteat, atque ut idem in posterum a peccatis omnibus abstinere statuatur, opus est; aliter enim, qui ita baptismum peteret, ut tamen peccandi consuetudinem nollet emendare, omnino repellendus esset. Nihil enim baptismi gratiae et virtuti tam repugnat, quam eorum mens et consilium, qui nullum unquam peccandi finem sibi constituunt. Quum itaque baptismus ob eam rem expetendus sit, <sup>2</sup> ut Christum induamus, et cum eo coniungamur, plane constat, merito a sacra ablutione reiiciendum esse, cui in vitiis et peccatis perseverare propositum est; praesertim vero, quia nihil eorum, quae ad Christum et ecclesiam pertinent, frustra suscipiendum est; inanemque baptismum, si iustitiae et salutis gratiam spectemus, in eo futurum esse, satis intelligimus, <sup>3</sup> qui secundum carnem ambulare, non secundum spiritum cogi-

In baptizandis fides requiritur. Vide Alexan. de Ales. 4. part. q. 18. mem. 2. art. 2.  
1) Matt. 16, 16.  
Tertio requiritur poenitentia.

2) Gal. 3, 27.

Ubi frustra adhiberi sacramenta videntur, ibi abstinendum est.

3) Rom. 8, 1.

Verus baptismus esse potest in impenitente, sed non salutaris.

- tat: etsi, quod ad sacramentum pertinet, perfectam eius rationem sine ulla dubitatione consequitur, si modo, quum rite baptizatur, in animo habeat id accipere, quod a sancta ecclesia administratur. Quamobrem princeps apostolorum magnae illi hominum multitudini, qui, ut ait scriptura, compuncti corde, ab eo et a reliquis apostolis, quid sibi faciendum esset, quaesiverant, ita respondit: <sup>1</sup> *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum*; et alio loco: <sup>2</sup> *Poenitemini, inquit, et convertimini, ut deleantur peccata vestra*. Item beatus Paulus ad Romanos scribens, aperte ostendit, ei, <sup>3</sup> qui baptizatur, omnino moriendum esse peccatis: quare nos monet, <sup>4</sup> ne exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed exhibeamus nos Deo, tamquam ex mortuis viventes.

41. *Quantum de his sermonem habere conferat.*

Haec vero si fideles saepe meditati fuerint, primum quidem summam Dei bonitatem vehementer admirari cogentur, qui nihil tale merentibus, tam singulare et divinum baptismi beneficium sola sua misericordia adductus tribuit; deinde, quum sibi ante oculos proponant, quam aliena esse debeat ab omni crimine eorum vita, qui tanto munere ornati sunt; illud etiam in primis a christiano homine requiri facile intelligent, ut quotidie tam sancte et religiose traducere vitam studeant, perinde ac si ea ipsa die baptismi sacramentum et gratiam consequuti essent. Quamquam ad inflammandos verae pietatis studio animos nihil magis proficiet, quam si pastores accurata oratione explicaverint, quinam sint baptismi effectus.

42. *Praecipuus baptismi effectus quis sit.*

De eximiis baptismi effectibus Greg. Naz. orat. 40. in sanctum baptismum. Primum ac praecipuus baptismi effectus est cuiuscumque peccati remis-

De his igitur quoniam saepe agendum est, ut fideles magis perspiciant, se in altissimo dignitatis gradu positos esse, nec se ab eo deiici ullis adversarii insidiis vel impetu, ullo umquam tempore patiantur; hoc primum tradere oportet, peccatum, sive a primis parentibus origine contractum, sive a nobis ipsis commissum, quamvis etiam adeo nefarium sit, ut ne cogitari quidem



posse videatur, admirabili huius sacramenti virtute remitti et condonari. Id vero multo ante ab Ezechiele praenuntiatum est, per quem dominus Deus ita loquitur: <sup>1</sup> *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et Apostolus ad Corinthios, post longam peccatorum enumerationem, subiecit: <sup>2</sup> *Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Atque hanc doctrinam perpetuo a sancta ecclesia traditam esse perspicuum est. Sanctus enim Augustinus in libro, quem de baptismo parvulorum conscripsit, ita testatur: *Generante carne, tantum contrahitur peccatum originale; regenerante autem spiritu, non solum originalium, sed etiam voluntariorum peccatorum fit remissio.* Et sanctus Hieronymus ad Oceanum, *Omnia, inquit, in baptisate condonata sunt crimina.* Ac, ne dubitare amplius ea de re cuiquam liceret, post aliorum conciliorum definitionem, sacra etiam tridentina synodus idem declaravit, quum anathema in eos decrevit, qui aliter sentire audent, quive asseverare non dubitent, quamvis peccata in baptismo remittantur, ea tamen prorsus non tolli aut radicibus evelli, sed quodam modo abradi, ita ut peccatorum radices animo infixae adhuc remaneant. Namque, ut eiusdem sanctae synodi verbis utamur, *in renatis nihil odit Deus; quia <sup>3</sup> nihil est damnationis his, qui <sup>4</sup> vere consepulti sunt cum Christo per baptismum in mortem: qui non secundum carnem ambulant, sed <sup>5</sup> veterem hominem exuentes, et <sup>6</sup> novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innocui, ac Deo dilecti effecti sunt.*

#### 43. *Concupiscentia in baptisatis an sit peccatum.*

Ac fateri quidem oportet, sicut eodem loco ipsius synodi auctoritate decretum est, in baptisatis concupiscentiam vel fomitem remanere; sed illa vere peccati rationem non habet. Nam ex divi quoque Augustini sententia: <sup>7</sup> *In parvulis baptisatis concupiscentiae reatus absolvitur, ad agonem relinquitur.* Atque idem ali-

sio. Conc. trid. sess. 5. de peccato orig.

<sup>1</sup>) Ezech. 36, 25.

<sup>2</sup>) I. Cor. 6, 11. D. Aug. lib. 1. de pecc. merit. et remiss. c. 15. Vide eundem lib. contra duas ep. Pelag. cap. 13. et enchir. c. 64. Greg. lib. 9. ep. 39. S. Hieronym. tom. 2. ad Ocean. ep. 81. ante medium. Concil. vien. et florent. doctr. de sacramentis. Trident. synod. sess. 5. de peccato originali.

<sup>3</sup>) Rom. 8, 1.

<sup>4</sup>) Rom. 6, 4.

<sup>5</sup>) Col. 3, 9. 10.

<sup>6</sup>) Ephes. 4, 24.

Aug. de Gen.

ad litt. lib. 6.

c. 14. et habet

de poenit. dist. 2. cap.

Quomodo renovari.

De concupiscentia

in baptisatis remanente,

conc. trid. de peccato

orig. sess. 5.

Quid concupiscentia.

<sup>7</sup>) D. Aug. lib.

I. de peccat. merit. et remiss. c. 39.  
 1) Idem lib. I. de nupt. et conc. c. 23 et 25. et contra Iul. lib. 6. cap. 5. lib. 1. retract. c. 15. et de verbis ap. serm. 6.  
 2) Rom. 7, 7.  
 3) Exod. 20, 17. Greg. lib. 3. Regist. ep. 30.

bi testatur: <sup>1</sup> *Concupiscentiae reatus in baptismo solvitur, sed infirmitas manet.* Concupiscentia enim, quae ex peccato est, nihil aliud est, nisi animi appetitio, natura sua rationi repugnans; qui tamen motus, si voluntatis consensum aut negligentiam coniunctam non habeat, a vera peccati natura longe abest. At quum sanctus Paulus inquit: <sup>2</sup> *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret:* <sup>3</sup> *Non concupisces;* ex his verbis, non ipsam concupiscendi vim, sed voluntatis vitium intelligi voluit. Eandem doctrinam tradit sanctus Gregorius, ita scribens: *Si qui sunt, qui dicant, peccata in baptismo superficie tenus dimitti, quid est hac praedicatione infidelius? quum per fidei sacramentum anima, peccatis radicitus absoluta, soli Deo inhaereat.* Atque ad eam rem demonstrandam Salvatoris nostri testimonio utitur, quum apud sanctum Ioannem ait: <sup>4</sup> *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.*

4) Ioan. 13, 10.

**44. Omnia peccata baptismo tolli iterum demonstratur.**

5) 4. Reg. 5, 14.

Quod si cui expressam huius rei figuram et imaginem libet intueri, proponat sibi ad contemplandum Naaman Syri leprosi historiam, <sup>5</sup> qui quum septies Iordanis aqua se abluisset, testante scriptura, ita a lepra mundatus est, ut eius caro, caro pueri videretur. Quare baptismi proprius effectus est, peccatorum omnium, sive originis vitio, sive nostra culpa contracta sint, remissio. Cuius rei causa a Domino et Salvatore nostro institutum esse, clarissimis verbis apostolorum princeps, ut alia testimonia omittamus, explicavit, quum inquit: <sup>6</sup> *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.*

6) Act. 3, 38.

**45. Ut culpa, ita etiam poena omnis baptismo remittitur.**

Secundus baptismi effectus est omnium poenarum, quae peccatis debentur condonatio. Th. in

Iam vero, in baptismo non solum peccata remittuntur, sed peccatorum etiam et scelerum poenae omnes a Deo benigne condonantur. Nam etsi omnibus sacramentis hoc commune est, ut per illa virtus passionis Christi domini communicetur; de solo tamen baptismo dictum est ab

Apostolo, <sup>1</sup> nos per ipsum Christo commori et sepeliri. Ex quo sancta ecclesia semper intellexit, sine maxima sacramenti iniuria fieri non posse, ut ei, qui baptismo expiandus sit, eiusmodi pietatis officia, quae usitato nomine sancti patres opera satisfactionis vocarunt, imponantur. Nec vero, quae hoc loco traduntur, veteris ecclesiae consuetudini adversantur, quae olim iudaeis, quum baptizarentur, praecipiebat, ut quadraginta continuos dies ieiunarent. Neque enim illud institutum ad satisfactionem pertinebat, sed qui baptismum percepissent, ea ratione admonebantur, ut sacramenti dignitatem venerantes, ieiuniis et orationibus aliquamdiu sine intermissionibus operam darent.

46. *Non liberatur mox baptizatus a poenis civilibus.*

Sed quamquam in baptismo poenas peccatorum condonari exploratum esse debet; ab eo tamen poenarum genere, quae civilibus iudiciis ob grave aliquod scelus persolvendae sunt, nemo liberatur, ita ut, qui morte dignus sit, per baptismum a poena, quae legibus constituta est, eripiatur. Tametsi vehementer laudanda esset eorum principum religio et pietas, qui eam quoque animadversionem, ut Dei gloria in suis sacramentis illustrior fieret, sontibus remitterent ac condonarent.

47. *Remittuntur in baptismo poenae, quae post hanc vitam inferri solent.*

Efficat praeterea baptismus post huius vitae curriculum poenarum omnium, quae originale peccatum consequuntur, liberationem. Siquidem merito mortis Domini factum est, ut haec consequi possemus; baptismo autem, ut supra dictum est, ei commorimur. <sup>2</sup> *Si enim, ut inquit Apostolus, complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus.*

48. *Quare per baptismum integrae naturae status non statim reddatur.*

Quod si quaerat aliquis, cur statim post baptismum in hac etiam mortali vita his incommodis non careamus, atque ad perfectum illum vitae gradum, in quo Adam primus humani ge-

3. p. 7. 69. art.  
2. Ex Ambrosio in cap. 11. ep. ad Rom. cui consentit Aug. lib. 1. de nupt. et concup. c. 34.  
1) Rom. 6, 4.  
Iam recens baptizato non est imponenda satisfactio.  
Thom. in 3. part. q. 68. art. 5. Greg. lib. 7. Reg. ep. 24.

Thom. in 3. part. q. 69. art. 2. ad tertiam.

Poenae inferni in baptismo remittuntur.

Fulg. lib. de fide ad Pet. diac. cap. 27.

2) Rom. 6, 5.

Cur post baptismum huius vitae poenae remaneant. Concil.

trident, sess. 5. can. 5.  
 Thom. in 3. part. q. 69. art. 3.  
 Prima ratio.  
 1) Rom. 6, 3. 4.

neris parens ante peccatum collocatus fuerat, sacrae ablutionis virtute non transferamur; id quidem duabus potissimum de causis factum esse respondebitur. Quarum prima est, quod nobis, <sup>1</sup> qui per baptismum Christi corpori coniuncti, atque eius membra effecti sumus, plus aliquid dignitatis tribuendum non erat, quam ipsi capiti nostro tributum esset. Quum igitur Christus dominus, etsi, ab initio ortus sui, <sup>2</sup> gratiae et veritatis plenitudinem habuit, tamen humanae naturae fragilitatem, quam suscepit, non ante deposuit, quam passionis tormenta et mortem pertulit, ac deinde ad immortalis vitae gloriam resurrexit; quis miretur, quum videat fideles, qui iam per baptismum caelestis iustitiae gratiam adepti sunt, adhuc tamen caduco et fragili corpore vestiri, ut, postquam multis laboribus pro Christo perfuncti, et morte abita, denuo ad vitam revocati fuerint, tandem digni sint, qui cum Christo aevo sempiterno perfruantur?

Secunda ratio.

Altera vero causa, cur in nobis post baptismum infirmitas corporis, morbus, dolorum sensus, concupiscentiae motus relinquatur, illa est, ut scilicet tamquam segetem et materiam virtutis haberemus, ex qua deinde uberiores gloriae fructum, atque ampliora praemia consequeremur. Nam, quum patienti animo vitae incommoda omnia toleramus, pravasque animi nostri affectiones sub rationis imperium divina ope subiicimus, certa spe niti debemus fore, ut, si cum Apostolo <sup>3</sup> bonum certamen certaverimus, cursum consummaverimus, fidem servaverimus, repositam quoque iustitiae coronam reddat nobis Dominus in illa die iustus iudex. Sic vero etiam cum filiis Israel videtur Dominus egisse, <sup>4</sup> quos etsi ab Aegyptiorum servitute, Pharaone atque eius exercitu in mare demerso, liberavit, tamen non statim in beatam illam promissionis terram introduxit, sed prius in multis variisque casibus exercuit; ac deinde quum eos in promissae terrae possessionem misisset, ceteros quidem incolas patriis sedibus exturbavit, <sup>5</sup> quasdam vero nationes reliquas fecit, quas delere non potuerunt,

3) 1. Tim. 4. 7.

4) Exod. 14.

5) Iud. 3, 2. 3.

ut populo Dei bellicae virtutis et fortitudinis exercendae occasio numquam deesset.

Huc accedit, quod si per baptismum, praeter Tertia ratio.  
dona caelestia, quibus anima ornatur, corporis etiam bona tribuerentur, dubitari merito posset, quin multi, praesentis potius vitae commoda, quam futurae speratam gloriam consecutantes, ad baptismum venirent: quum tamen non falsa haec et incerta, <sup>1</sup> *quae videntur*, sed vera atque aeterna, *quae non videntur*, bona christiano homini semper proposita esse debeant.

49. *Renati inter huius vitae miserias solida animi oblectatione non destituuntur.*

Sed interim tamen huius vitae conditio, quae Renati inter huius vitae miserias suam habent laetitiam.  
miseriarum plena est, suis voluptatibus et laetitiiis non caret. Quid enim nobis, qui iam per baptismum <sup>2</sup> veluti palmites insiti sumus in Christum, iucundius aut optabilius esse potest, quam, cruce in humeros nostros sublata, eum ducem sequi, nullisque aut laboribus defatigari, aut periculis retardari, quominus <sup>3</sup> ad praemium supernae vocationis Dei omni studio contendamus, <sup>4</sup> alii virginitatis lauream, alii <sup>5</sup> doctrinae et praedicationis coronam, <sup>6</sup> alii martyrii palmam, alii alia virtutum decora a Domino accepturi? Quae quidem praeclara laudis insignia nemini darentur, nisi prius nos ipsos in huius aerumnosae vitae stadio exercuissemus, atque in acie invicti stetissemus.

50. *Quid praeter culpae et poenae remissionem baptismo homini praestetur.*

Sed ut ad baptismi effectus oratio redeat, exponendum erit, huius sacramenti virtute nos non solum a malis, quae vere maxima dicenda sunt, liberari, verum etiam eximiis bonis et muneribus augeri. Animus enim noster divina gratia repletur, qua <sup>7</sup> iusti, et <sup>8</sup> filii Dei effecti, <sup>9</sup> aeternae quoque salutis heredes instituimur. Nam, ut scriptum est, <sup>10</sup> *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit;* <sup>11</sup> mundatamque ecclesiam lavacro aquae in verbo vitae Apostolus testatur. Est autem gratia, quemadmodum tridentina synodus ab omnibus credendum, poena Tertius baptismi effectus est gratiae Dei largitio, Th. in 3. part. q. 69. art. 4.  
7) I. Ioan. 3. 7.  
8) Ioan. 1, 12.  
9) Rom. 8, 17.  
10) Mar. 16, 16.  
Quomodo per baptismum filii Dei efficiamur, pulchre declaratur, sess. 9. de pre- cation. Domi- nica.  
11) Ephes. 5, 26.

Quid sit gratia; sess. 6. concil trident. de iustificatione cap. 7.

1) Rom. 5, 5.

2) 2. Cor. 1. 22. et 5, 5.

Virtutum infusio in baptismo. Dam. lib. 4. de fide orth. cap. I.

3) Ad Titum 3, 5.

S. Aug. lib. I. de bapt. parvul. c. 26. Th. in part. q. 69. art. 5. de cons. dist. 4. Cap. Ad haec.

4) Ioan. I, 16.

5) Rom. 7, 15. 16. 17.

Aug. lib. 4. contra Iulian. cap. 3. et 5. et lib. I. de pecc. mer. et rem.

anathematis proposita, decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas in anima inhaerens, ac veluti splendor quidam et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiore reddit. Atque id ex sacris litteris aperte colligitur, quum <sup>1</sup> gratiam effundi dicant, <sup>2</sup> eamque Spiritus sancti pignus soleant appellare.

51. *Gratiae divinae, quae baptismo infunditur, adduntur veluti pedisequas virtutes.*

Huic autem additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quae in animam cum gratia divinitus infunduntur. Quare, quum Apostolus ad Titum ait: <sup>3</sup> *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum salvatorem nostrum*; divus Augustinus verba illa: *abunde effudit*, explanans, *Nimirum*, inquit, *ad remissionem peccatorum, et copiam virtutum.*

52. *Per baptismum Christo incorporamur.*

Iam vero per baptismum etiam Christo capiti tamquam membra copulamur et connectimur. Quemadmodum igitur a capite vis manat, qua singulae corporis partes ad proprias functiones apte exsequendas moventur; ita etiam ex <sup>4</sup> Christi domini plenitudine in omnes, qui iustificantur, divina virtus et gratia diffunditur, quae nos ad omnia christianae pietatis officia habiles reddit.

53. *Quî fiat, ut tot virtutibus baptismo cumulati, adeo tarde pietatem exercent.*

Neque vero mirum cuiquam videri debet, si, quum tanta virtutum copia instructi et ornati simus, tamen non sine magna difficultate et labore pias honestasque actiones inchoamus, vel certe absolvimus. Id enim ob eam rem non evenit, quod virtutes, a quibus actiones ipsae profiscuntur, Dei beneficio nobis donatae non sint, sed <sup>5</sup> quoniam post baptismum acerrima cupiditatis pugna adversus spiritum relicta est: in qua tamen contentione animo frangi aut debilitari christianum hominem non decet, quum Dei benignitate freti, optima spe niti debeamus fore,

ut quotidiana recte vivendi exercitatione, <sup>1</sup> quaecumque pudica sunt, quaecumque iusta, quaecumque sancta, eadem etiam facilia et iucunda videantur; haec libenter cogitemus, haec alacri animo agamus, <sup>2</sup> ut Deus pacis sit nobiscum.

54. *In baptismo character indelebilis imprimitur.*

Praeterea per baptismum consignamur characterem, qui ex anima deleri numquam potest: de quo nihil est, ut plura hoc loco disserantur, quum liceat ex his, quae supra dicta sunt, quum universe de sacramentis ageretur, satis multa, quae ad hoc argumentum pertinent, in hunc locum transferre.

55. *Baptismum iterari numquam posse demonstratur.*

Sed quoniam ex characteris vi et natura ab ecclesia definitum est, baptismi sacramentum nulla ratione iterandum esse, ea de re fideles, ne aliquando in errores inducantur, saepe et diligenter a pastoribus admonendi erunt. Hoc vero docuit Apostolus, inquit: <sup>3</sup> *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Deinde quum Romanos hortatur, ut mortui per baptismum in Christo caverent, ne vitam, quam ab illo accepissent, amitterent, quum inquit: <sup>4</sup> *Quod enim Christus mortuus est peccato, mortuus est semel;* hoc videtur aperte significare, sicut ille mori iterum non potest, ita nobis denuo mori per baptismum non licere. Quare sancta etiam ecclesia se unum baptismum credere palam profitetur: quod quidem rei naturae et rationi vehementer consentaneum esse, ex eo intelligitur, quod baptismus est quaedam spiritualis regeneratio. Quemadmodum igitur naturali virtute semel tantum generamur, et in lucem edimur, atque, ut divus Augustinus ait, uterus non potest repeti; sic etiam una est spiritualis generatio, nec baptismus ullo umquam tempore iterandus est.

56. *Illi iterato non baptizantur, qui certa conditione interposita abluuntur.*

Neque vero quisquam putet, eum ab ecclesia iterari, quum, adhibita huiusmodi verborum formula, aliquem abluit, de quo incertum est, an

cap. 30. Virtutes exercitio augentur, et faciles evadunt.

1) Phil. 4, 8.

2) 2. Cor. 13.

11.

Alius baptismi effectus est characteris impressio.

Aug. lib. 6.

de baptismo

contra Dou-

list. cap. I.

conc. trid. sess.

7. cau. 9. de

sacram. in ge-

nera.

Baptismum

sine sacrilegio

iterari non

posse.

Sess. 7.

Concil. trid.

de baptismo

cau. 11. et 13.

et sess. 14. de

sacr. poenit.

cap. 21.

3) Ephes. 4, 5.

4) Rom. 6, 10.

Cor baptis-

mus semel

tantum susci-

piendus sit

synod. con-

stant. D. Aug-

ust. tract. 11.

in Ioan.

Leo magn.

ep. 37. et 79.

III. 3. de baptis-  
m. et eius  
effect. cap. De  
quibus. Leo  
papa epist. 92.

baptizatus prius fuerit: *Si baptizatus es, te iterum non baptizo; si vero nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Ita enim non impie iterari, sed sancte cum adiunctione baptismum administrari dicendum est.

57. *Baptismus conditionalis semper citra ullum delictum usurpandus non est.*

Parochi quan-  
tum errent,  
dum cum con-  
ditione sine  
discrimine bap-  
tizant.

Qua in re tamen diligenter a pastoribus aliqua providenda sunt, in quibus fere quotidie non sine maxima sacramenti iniuria peccatur. Neque enim desunt, qui nullum scelus admitti posse arbitrentur, si quemvis sine delectu cum adiunctione illa baptizent; quare si infans ad eos deferatur, nihil prorsus quaerendum putant, an is prius ablutus fuerit, sed statim ei baptismum tribuunt.

Qui rebapti-  
zant sunt ir-  
regulares. De  
apostatis, et  
reiter. bapt.  
c. Ex littera-  
rum, et de con-  
secr. dist. 4.  
cap. Eos qui  
lib. 3. de cr.  
baptismo et  
eius effectu  
cap. De qui-  
bus.

Quin etiam, quamvis exploratum habeant, domi sacramentum administratum esse, tamen sacramentum ablutionem in ecclesia, adhibita solemnitate, cum adiunctione repetere non dubitant; quod quidem sine sacrilegio facere non possunt, et eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum scriptores irregularitatem vocant. Nam ea baptismi forma, ex Alexandri Papae auctoritate, in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter perquisita, dubium relinquitur, an baptismum rite susceperint; aliter vero nunquam fas est, etiam cum adiunctione, baptismum alicui iterum administrare.

58. *Quis sit postremus fructus, qui virtute baptismi hominibus confertur.*

Quintus ba-  
ptismi effectus  
est caeli, quod  
peccato inter-  
clusum fuerat,  
aperitio. Th.  
in 3. part. q.  
69. art. 7.

Praeter cetera vero, quae ex baptismo consequimur, illud veluti extremum est, quo reliqua omnia videntur referri, quod scilicet caeli aditum, propter peccatum prius interclusum, unicuique nostrum patefacit. Haec autem, quae in nobis baptismi virtute efficiuntur, ex iis plane intelligi possunt, quae in Salvatoris baptismi contigisse evangelica auctoritas confirmavit. Et enim <sup>1</sup>caeli aperti sunt, et Spiritus sanctus columbae specie in Christum dominum descendens apparuit. Ex quo significatum est, eis, qui baptizantur, divini numinis charismata impertiri,

1) Matt. 3, 16.

Baptismi fru-  
ctus, etsi o-  
mnibus ho-



et caelorum ianuam reserari: non quidem, ut simul atque baptizati sunt, sed ut magis opportuno tempore ingrediantur in illam gloriam, quum omnium miseriarum expertes, quae in beatam vitam cadere non possunt, pro mortali conditione immortalitatem assequuntur. Atque hi quidem sunt baptismi fructus, quos, si quidem sacramenti vim spectemus, aequae ad omnes pertinere dubitari non potest; sin autem, quo quisque animo affectus ad illum suscipiendum accesserit, consideremus, plus minusve caelestis gratiae et fructus ad unum aliquem, quam ad alium, pervenire omnino fateri oportet.

59. *Quae sit caeremoniarum baptismi vis et utilitas.*

Restat nunc, ut, quae de huius sacramenti precationibus, ritibus et caeremoniis tradenda sint, aperte et breviter explicentur. Nam quod Apostolus de linguarum dono admonuit, quum inquit, sine fructu esse, si quae aliquis loquitur, a fidelibus non intelligantur; idem fere ad ritus et caeremonias transferri potest: imaginem enim et significationem earum rerum praesefereunt, quae in sacramento geruntur. Quod si illorum signorum vim et potestatem fidelis populus ignoret, non magna admodum caeremoniarum utilitas futura esse videbitur. Danda est igitur pastoribus opera, ut eas fideles intelligant, certoque sibi persuadeant, si minus necessariae sint, plurimi tamen faciendas, magnoque in honore esse oportere. Id vero tum instituentium auctoritas, qui sine controversia sancti apostoli fuerunt, tum finis, cuius causa caeremonias adhiberi voluerunt, satis docet. Ita enim sacramentum maiori cum religione ac sanctitate administrari, ac veluti ante oculos poni praeclara illa et eximia dona, quae in eo continentur, et in animos fidelium immensa Dei beneficia magis imprimi, perspicuum est.

60. *Quotuplices sint baptismi ritus.*

Sed omnes caeremoniae et precationes, quibus in baptismi administratione ecclesia utitur, ad tria capita redigendae sunt, ut in eis explicandis certus ordo a pastoribus servari possit,

minibus sint communes, non aequae tamen ad omnes perveniunt. Thom. in 3. part. q. 69. art. 8.

De precationibus, ritibus, et caeremoniis baptismi.

1) I. Cor. 14, 14.

Dion. de eccl. hierarch. cap. 4. Ritus sunt velut imagines effectuum cuiuscumque sacram. Rituum ecclesiasticorum auctores apostoli; quare de his patres scripserunt. Dion. Areop. I. c. 4. de eccl. hier. Cypr. epist. 70. ad Iulian.

Dion. Areop. c. 4. de eccl. hierar.

Ritus Baptismi sunt triplices.

Primum genus est eorum rituum, qui ante baptismum adhibentur.

et quae tradita ab illis fuerint, auditorum memoria facilius retineantur. Ac primum quidem illarum genus est, quae, antequam accedatur ad baptismi fontem, servantur; alterum earum, quae, quum ad ipsum fontem ventum est, adhibentur; tertium earum, quae, peracto iam baptismo, addi solent.

61. *Quo tempore aqua ad baptismum necessaria communi ritu sit consecranda.*

Consecrari aquam ad baptismum testis est Cyprianus epist. 70. et Basil. lib. de Spiritu sancto c. 27. et de con. dist. 4. cap. In sabbato. Quae sint tempora baptismi conferendi praecipua, Leo epist. 4. ad episc. Siciliae.

In primis igitur aqua paranda est, qua ad baptismum uti oportet. Consecratur enim baptismi fons addito mysticae unctionis oleo. Neque id omni tempore fieri permissum est, sed more maiorum festi quidam dies, qui omnium celeberrimi et sanctissimi optimo iure habendi sunt, exspectantur, in quorum vigiliis sacrae ablutionis aqua conficitur; quibus etiam tantum diebus, nisi necessitas aliter facere coegisset, in veteris ecclesiae more positum fuit, ut baptismus administraretur. Sed quamvis ecclesia hoc tempore, propter communis vitae pericula, eam consuetudinem retinendam non iudicavit; tamen solemnes illos dies Paschae et Pentecostes, quibus baptismi aqua consecranda est, summa cum religione adhuc observavit.

62. *Baptizandi cur mox in ecclesiam non admittantur.*

Non admitti baptizandos in ecclesiam demonstrant Tert. lib. de corona militis, cap. 3. Cyrill. hier. catech. si I.

Post aquae consecrationem, alia deinceps, quae baptismum antecedunt, explicare oportet. Afferuntur enim, vel etiam adducuntur, qui baptismo initiandi sunt, ad ecclesiae fores, atque ab eius introitu omnino prohibentur, quod indigni sint, qui domum Dei ingrediantur, antequam a se turpissimae servitutis iugum repulerint, et totos se Christo domino eiusque iustissimo imperio addixerint.

63. *Cur baptizandi quid petant interrogentur, et instruantur.*

Hinc baptizandi competentes dicebantur, quod simul baptismum peterent. Aug. lib. I. retract. c.

Tum vero sacerdos ab eis exquirat, quidnam ab ecclesia petant: quo cognito, primum eos christianae fidei doctrina, quam in baptismo profiteri debent, instituit; id autem catechismo efficitur. Cuius institutionis morem a Domini salvatoris praecepto manasse, nemo dubitare potest,

quum ipse apostolis iusserit: <sup>1</sup> *Ite in mundum universum, et docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.* Ex quo licet cognoscere, baptismum non esse administrandum, priusquam summa saltem religionis nostrae capita exponantur.

64. *Quo pacto ex veteri ecclesiae instituto catechizari debeant rudiores.*

Quoniam vero catechismi ratio ex multis interrogationibus constat, si is, qui instituitur, adulta aetate fuerit, ad ea, quae rogantur, ipse per se respondet; si autem infans sit, pro illo sponsor rite respondet, solemnemque sponsionem facit.

65. *Quis sit exorcismi usus.*

Sequitur exorcismus, qui ad expellendum diabolum, eiusque vires fraudandas et debilitandas, sacris et religiosis verbis, ac precationibus conficitur. Proinde sacerdos ter in faciem eius, qui initiandus est, spirat, ut serpentis antiqui potestatem expellat, et amissae vitae spiraculum consequatur.

66. *Cur eius, qui baptizatur, ori sal admoventur.*

Accedunt ad exorcismum aliae caeremoniae, quarum singulae, ut quae mysticae sint, propriam atque illustrem significationem habent. Nam quum sal in illius os, qui ad baptismum adducendus est, inseritur, hoc significari perspicuum est, eum Dei doctrina et gratiae dono consequuturum esse, ut a peccatorum putredine liberetur, saporemque bonorum operum percipiat, et divinae sapientiae pabulo delectetur.

67. *Quid sibi velit crucis signum multis corporis partibus adhibitum.*

Obsignantur praeterea signo crucis frons, oculi, pectus, humeri, aures; quae omnia declarant, baptismi mysterio sensus baptizandi aperiri ac roborari, ut Deum excipere, praeceptaque eius intelligere ac servare possit.

68. *Quare nares et aures baptizandi saliva liniuntur.*

Postea vero illi nares et aures saliva liniuntur, statimque ad baptismi fontem mittitur, ut

17. et ep. 155. et alibi plurimumque.  
1) Matth. 28. 19. 20.  
Dion. de eccles. hierarc. cap. 4. Marc. c. 16. 15.

Catechizandi ratio ex multis interrogationibus constat.

Salis significatio in baptismo de cons. dist. 4. c. Sal. Isid. lib. 2. de offic. eccles. cap. 20. et Aug. lib. 1. conf. cap. 21. Ut iniquitatis factore careat, et a veribus peccatorum ultra ne patrefiat, sed magis illaesus ad maiorem gratiam recipiendam servetur. Signum crucis baptismi adhiberi solitum scribunt Basil. lib. de Spiritu sancto. Chrys. lib. contra gen. et alii.

1) Joann. 9. 7.  
Saliuac si-  
gnificatio io  
baptismo, cu-  
ius rei memi-  
nit Amb. lib.  
1. de saera-  
mentis c. 1. et  
de iis qui  
myst. init. c.  
1. et de con-  
secr. dist. 4.  
cap. Postea.

Quae sit vis  
abrenuntiatio-  
nis.

Greg. Naz.  
orat. 40. Ambr.  
lib. 1. de sa-  
cramentis c. 2.

quemadmodum <sup>1</sup> caecus ille evangelicus, quem Dominus iusserat oculos luto illitos Siloes aqua ablueri, lumen recuperavit; ita etiam intelligamus sacrae ablutionis eam vim esse, ut menti ad caelestem veritatem percipiendam lumen afferat.

69. *Quid doceat abrenuntiatio illa satanae facta ab illo, qui baptizandus offertur.*

His peractis ad baptismi fontem veniunt, ibique aliae caeremoniae et ritus adhibentur, ex quibus christianae religionis summam licet cognoscere. Sacerdos enim, ter conceptis verbis, eum, qui baptizandus est, interrogat: *Abrenuntias satanae, et omnibus operibus eius, et omnibus pompis eius?* At ille aut eius nomine patrinus, ad singulas interrogationes respondet: *abrenuntio*. Igitur qui Christo nomen daturus est, hoc primum sancte et religiose polliceri debet, se diabolum et mundum deserere, ac nullum unquam tempus fore, in quo utrumque veluti hostem teterrimum non detestetur.

70. *Oleo catechumenorum baptizandus inungitur in pectore et inter scapulas: quid velit illa inunctio.*

Post haec oleo catechumenorum baptizandus inungitur in pectore et inter scapulas. In pectore quidem, ut per Spiritus sancti donum abiiciat errorem et ignorantiam, et suscipiat fidem rectam; quia <sup>2</sup> *iustus ex fide vivit*. Inter scapulas autem, ut Spiritus sancti gratia excutiat negligentiam et torporem, ac bonam operationem exerceat, quia <sup>3</sup> *fides sine operibus mortua est*.

71. *Quo modo baptizandus fidei suae professionem faciat.*

Deinde ad ipsum baptismi fontem consistens, interrogatur a sacerdote hoc modo: *Credis in Deum patrem omnipotentem?* Cui ille respondet: *credo*. Atque ita deinceps de reliquis symboli articulis rogatus, fidem suam solemniter profiteatur. Quibus sane duabus responsionibus, omnem christianae legis vim et disciplinam contineri, perspicuum est.

72. *Cur ab eo, qui aqua salutari proxime tingendus est, petatur, num baptizari velit.*

Sed quum iam baptismum administrare oportet

Quomodo  
baptizandus  
fidem suam  
profiteri de-  
beat. Ang. 1.  
7. coof. cap. 10.

2) Gal. 3. 11.

3) Iac. 2. 26.

tet, quaerit sacerdos ab eo, qui baptizandus est, num baptizari velit; quo quidem per se, vel eius nomine, si infans sit, patrino annuente, statim in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti salutari aqua eum abluit. Quemadmodum enim homo sua voluntate serpenti obediens, merito damnatus est; ita Dominus neminem ad suorum numerum, nisi voluntarium militem, adscribi voluit, ut, divinis iussis sponte obtemperans, aeternam salutem consequeretur.

73. *Quamobrem baptizati caput mox chrismate inungatur.*

Iam postquam baptismus absolutus est, sacerdos summum baptizati verticem chrismate perungit, ut intelligat, se ab eo die Christo capiti tamquam membrum coniunctum esse, atque eius corpori insitum, et ea re christianum a Christo, Christum vero a chrismate appellari. Quid vero chrisma significet, ex iis satis intelligi, quae tunc sacerdos orat, divus Ambrosius testatur.

74. *Quid designet vestis candida, vel album sudarium, quod baptizato donatur.*

Induit postea sacerdos baptizatum veste alba dicens: *Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, ut habeas vitam aeternam.* Infantibus vero, qui vestitu non utuntur, iisdem verbis album sudarium datur: quo symbolo significari patres sancti docent tum resurrectionis gloriam, ad quam per baptismum nascimur, tum nitorem et pulchritudinem, qua, dilutis peccatorum maculis, anima in baptismo ornatur, tum innocentiam atque integritatem, quam in omni vita baptizatus servare debet.

75. *Quae sit ratio ardentis cerei, qui a baptizato tenetur.*

Et deinde cereus ardens in manum traditur, qui ostendit fidem charitate inflammata, quam in baptismo accepit, bonorum operum studio alendam atque augendam esse.

76. *Quare, ac cuiusmodi nomen baptizato sit imponendum.*

Ad extremum vero nomen baptizato imponi

*Catech. Rom.*

1) Gen. 3, 6.  
Nemo salvatur invitus.

Unctionis post baptismum meminerunt Dion. Areop. eccl. hier. cap. 2. et 3.

Greg. Naz. orat. 40. Basil. lib. de Spiritu sancto p. 37. D. Ambr. lib. 2. de sacram. c. 7.

Vestis candidae in baptismo dari solitae meminit Dion. ubi supra. Ambr. de iis, qui myst. init. c. 7. et alii.

Lucernarum ardentium, quae dabantur in manibus baptizatorum, meminit Gregor. Naz. orat. 40. in sanctum baptismum.

Nomen datur baptizandis, quo significatur, eos per abrenunciationem prioris possessoris, se nomen dare Christo, ut in illius dominium trans-eant.

Ambr. lib. I. de sacr. cap. 2. Gentilium nominibus abstinendum.

tur, quod quidem ab aliquo sumendum est, qui, propter excellentem animi pietatem et religionem, in sanctorum numerum relatus est. Ita enim facile fiet, ut quivis nominis similitudine, ad sanctitatis et virtutis imitationem excitetur; ac praeterea, quem imitari studeat, eum quoque precetur, et speret sibi advocatum ad salutem tum animi, tum corporis defendendam venturum esse. Quare reprehendendi sunt, qui gentilium nomina, et eorum praecipue, qui sceleratissimi fuerunt, tam diligenter consecantur, et pueris imponunt; quum ex eo intelligi possit, quanti christianae pietatis studium faciendum existiment, qui impiorum hominum memoria tantopere delectari videntur, ut velint fidelium aures huiusmodi profanis nominibus undique circumsonare.

77. *Summa eorum, quae de baptismi mysteriis sunt tradita.*

Epilogus omnium, quae de baptismo dicta sunt,

Haec de baptismi sacramento si a pastoribus explanata fuerint, nihil eorum fere praetermissum esse videbitur, quae ad hanc cognitionem maxime pertinere existimanda sunt. Demonstratum est enim, quid ipsum baptismi nomen significet, quae sit eius natura et substantia, tum ex quibus partibus constet. Dictum est, a quo institutus fuerit; qui ministri ad conficiendum sacramentum necessarii sint; quosve tamquam paedagogos ad sustentandam baptizati imbecillitatem adhiberi oporteat. Traditum est etiam, quibus, et quemadmodum animo affectis baptismus administrari debeat, quae sit eius virtus et efficentia: postremo, qui ritus et caeremoniae serventur, quantum proposita ratio postulabat, satis copiose explicatum est. Quae omnia ob eam praecipue causam docenda esse pastores meminerint, ut fideles in hac cura et cogitatione perpetuo versentur, ut in iis, quae adeo sancte et religiose sponderunt, quum baptismo initiati sunt, fidem servent, atque eam vitam instituant, quae sanctissimae christiani nominis professioni respondeat.

# DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO

## CAPUT III.

### 1. *Cur hodie quam maxime confirmationis virtus sit explicanda.*

Si in confirmationis sacramento explicando pastorum diligentia requirendam umquam fuit, nunc certe opus est illud quam maxime illustrare, quum in sancta Dei ecclesia hoc sacramentum a multis omnino praetermittatur, paucissimi vero sint, qui divinae gratiae fructum, quem deberent, ex eo capere studeant. Quare fideles ita de huius sacramenti natura, vi, dignitate, tum in die Pentecostes, quo praecipue die administrari solet, tum aliis etiam diebus, quum id pastores commode fieri posse iudicaverint, docendi erunt, ut intelligant, non solum negligendum non esse, sed summa cum pietate et religione suscipiendum; ne ipsorum culpa, maximoque malo eveniat, ut frustra in eos divinum hoc beneficium collatum esse videatur.

Quantus sacramenti confirmationis contemptus irrepperit.

Confirmatio quando praecipue fieri debet.

### 2. *Quare ecclesia hoc sacramentum confirmationem vocarit.*

Sed ut a nomine initium sumatur, confirmationem ab ecclesia hoc sacramentum idcirco vocari docendum est, quoniam, qui baptizatus est, quum ab episcopo sacro chrismate ungitur, additis solemnibus illis verbis: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*; nisi aliud sacramenti efficientiam impediatur, novae virtutis robore firmior, atque adeo perfectus Christi miles esse incipit.

Hoc sacramentum est polyonymum apud veteres, sed confirmatio ab eccles. dicitur ob verba Christi. Luc. 24. 49. c. 8. 17. act. 1. sicque vocatum est a conc. auct. c. 3. et flor. et aliis.

### 3. *Confirmatio verum est novae legis sacramentum.*

In confirmatione autem veram et propriam sacramenti rationem catholica ecclesia semper agnovit; quod et Melchisedech Pontifex, et plures etiam alii sanctissimi et vetustissimi pontifices aperte declarant. Ac sanctus Clemens eius veritatis doctrinam graviore sententia comprobare non potuit; ait enim: *Omnibus festinandum est*

Confirmationem vere esse sacramentum ex traditione pontificum ostenditur, Melch. in epist. ad episc. hispan. cap. 2. et habetur de

consecr. dist. 5. cap. Spiritus. S. Clemens papa epist. 4. ad Iulian. et Iul. episc. S. Petrus de confirmatione doctrinam tradidit.

1) Urban. in ep. 1. ad omnes christianos cap. 7. et habetur de consecr. dist. 5. cap. Omnes fideles.

2) Fabian. in ep. 2. ad omnes orient. cap. 1.

3) Euseb. in ep. 3. ad episc. tusc. et camp. et habetur de cons. dist. 5. cap. Manu.

4) Dion. de eccl. hierar. cap. 4.

5) Euseb. lib. 6. hist. eccl. c. 20. hoc habetur ex epist. concilii romani.

D. Ambr. in lib. de iis, qui myst. init. c. 7. et lib. 1. de Spiritu saucto cap. 6.

6) D. Aug. lib. 1. contr. litt. Petil. c. 104. et lib. 15. de trin. c. 26.

Confirmatio verbi Dei auctoritate confirmatur.

7) Ephes. 4. 30.

8) Ps. 132. 2.

9) Rom. 5. 5.

Concil. Florent. in doct. de sacr. Unde distinctio sit

*sine mora renasci Deo, et demum ab episcopo consignari, idest, septiformem gratiam Spiritus sancti percipere: quum alioqui perfectus christianus nequaquam esse possit is, qui iniuria et voluntate, non autem necessitate compulsus, hoc sacramentum praetermiserit, ut a beato Petro accepimus, et ceteri apostoli, praecipiente Domino, docuerunt.* Hanc vero eandem fidem doctrina sua confirmarunt, qui eodem spiritu pleni pro Christo sanguinem profuderunt, <sup>1</sup> Urbanus, <sup>2</sup> Fabianus, <sup>3</sup> Eusebius Romani Pontifices, quemadmodum ex eorum decretis licet perspicere.

4. *Sacri doctores, qui huius sacramenti meminerunt.*

Accedit praeterea sanctorum patrum consentiens auctoritas; inter quos <sup>4</sup> Dionysius Areopagita, Athenarum episcopus, quum diceret, quae ratione hoc sacrum unguentum conficere, eoque uti oporteret, ita inquit: *Baptizatum sacerdotes induunt veste congrua munditiae, ut ad pontificem ducant; ille vero sacro atque prorsus divino unguento baptizatum signans, sacratissimae communionis participem facit.* <sup>5</sup> Eusebius quoque Caesariensis tantum huic sacramento tribuit, ut dicere non dubitarit, Novatum haeticum Spiritum sanctum promereri non potuisse, quia, quum baptizatus esset in gravi aegritudine, signaculo chrismatis non est signatus. Sed clarissima habemus huius rei testimonia tum a divo Ambrosio in eo libro, quem de iis, qui initiantur, inscripsit; tum a divo <sup>6</sup> Augustino in libris, quos adversus Petilianum Donatistae epistolae edidit: quorum uterque adeo de huius sacramenti veritate nihil dubitare posse existimavit, ut eam scripturae etiam locis doceat ac confirmet. Quare alter quidem verba illa Apostoli: <sup>7</sup> *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis;* alter vero quod in Psalmis legitur: <sup>8</sup> *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron;* tum illud eiusdem Apostoli: <sup>9</sup> *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis,* ad confirmationis sacramentum referri testatus est.



## 5. Quae sit confirmationis et baptismi differentia.

Quamvis autem a Melchiade dictum sit, baptismum confirmationi maxime coniunctum esse; non idem tamen sacramentum, sed ab altero longe disiunctum, existimandum est. Constat enim varietatem gratiae, quam singula sacramenta tribuunt, et rei sensibus subiectae, quae ipsam gratiam significat, efficere, ut varia quoque et diversa sacramenta sint. Quum igitur baptismi gratia homines in novam vitam gignantur; confirmationis autem sacramento, qui iam geniti sunt, viri evadant, <sup>1</sup>evacuatis, quae erant parvuli; satis intelligitur, quantum in naturali vita generatio ab incremento distat, tantumdem inter se differre baptismum, qui regenerandi vim habet, et confirmationem, cuius virtute fideles augeantur, et perfectum animi robur assumunt.

Praeterea quoniam novum atque distinctum sacramenti genus constituendum est, ubi animus in novam aliquam difficultatem incurrit, facile perspicitur, quemadmodum baptismi gratia ad mentem fide informandam indigemus, ita etiam maxime conducere, fidelium animos alia gratia confirmari, ut nullo poenarum, suppliciorum, mortis periculo aut metu a verae fidei confessione deterreantur. Quod quidem, quum sacro confirmationis chrismate efficiatur, ex eo aperte colligitur, huius sacramenti rationem a baptismo diversam esse. Quare Melchiades Pontifex utriusque discrimen accurata oratione persequitur, ita scribens: *In baptisate homo ad militiam recipitur, et in confirmatione coarmatur ad pugnam. In fonte baptismatis Spiritus sanctus plenitudinem tribuit ad innocentiam, confirmatione autem perfectionem ad gratiam ministrat: in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum ad pugnam confirmamur: in baptismo abluiamur, post baptismum roboramur: regeneratio per se salvat in pace baptismum recipientes, confirmatio armat atque instruit ad agones.* Verum haec iam non solum ab aliis conciliis tradita, sed praecipue a sacra synodo tri-

petenda sacramentorum,  
D. Thom. in  
3. part. q. 12.  
art. 1.

1) 1. Cor. 13, 11.

Alia ratio differentiae baptismi, et confirmationis, quae ex D. Thom. in 3. part. quaest. 72. art. 9. colligitur.

S. Melch. pont. in epist. ad episc. hisp. cuius verba habent de consec. dist. 5. c. Spiritus sanctus.

Conc. land. canon. 48. meld. c. 6. florent. et constant. synod.

trident. sess.  
7. de confir-  
matione.

dentina decreta sunt, ut iam de iis non solum aliter sentire, sed ne dubitare quidem ullo modo liceat.

6. *Quis sacramenti confirmationis sit auctor.*

Christus confir-  
mationis auctor. Thom. in  
3. part. q. 72.  
S. Fab. pap.  
in init. epist.  
a. quae est ad  
episc. nriant.

Quoniam vero supra demonstratum est, quam necessarium esset communiter de omnibus sacramentis docere, a quonam ortum habuerint, idem etiam de confirmatione tradere oportet, ut fideles huius sacramenti sanctitate magis afficiantur. Igitur a pastoribus explicandum est, Christum dominum non solum eius auctorem fuisse, sed, sancto Fabiano Pontifice Romano teste, chrismatis ritum, et verba, quibus in eius administratione catholica ecclesia utitur, praecepisse. Quod quidem iis facile probari poterit, qui confirmationem sacramentum esse confitentur, quum sacra omnia mysteria humanae naturae vires superent, nec ab alio, quam a Deo possint institui. Iam vero quae sint eius partes, ac primum quidem de materia dicendum est.

Omnia sa-  
cramenta a  
Christo sunt  
instituta. Th.  
in 3. part. q.  
64. art. 2.  
Amb. lib. 4.  
de sacrament.  
c. 4.

7. *Quae sit sacri huius mysterii materia.*

De materia  
confirmationis  
Aug. in ps.  
44. et lib. 13.  
de trinit. c. 26.  
Quid sit chris-  
ma apud sa-  
eros auctores.  
Vide Thom.  
in 3. part. q.  
72. art. 3. Gre-  
gor. in 1. c.  
cantic.  
Conc. laud. c.  
48. et earthag.  
11. c. 36. S. 3.  
et 111. c. 36.  
S. Dion. de  
eccl. hierar.  
c. 2. et 4. San-  
ctus Fabian.  
papa in 2. ep.  
ad episc. nr.  
et citatur de  
cons. dist. 3.  
c. Lit. vestris.

Haec autem chrisma appellatur; quo nomine, a graecis accepto, etsi profani scriptores quodlibet unguenti genus significant, illud tamen, qui res divinas tradunt, communi loquendi consuetudine ad illud tantummodo unguentum accommodarunt, quod ex oleo et balsamo solemniter episcopi consecratione conficitur. Quare duae res corporeae permistae confirmationis materiam praebent; quae quidem diversarum rerum compositio, quemadmodum multiplicem Spiritus sancti gratiam, quae confirmatis tribuitur, declarat, ita etiam ipsius sacramenti excellentiam satis ostendit. Quod autem ea sit huius sacramenti materia, quum sancta ecclesia et concilia perpetuo docuerunt, tum a sancto Dionysio et complurimis aliis gravissimis patribus traditum est; in primisque a Fabiano Pontifice, qui apostolos chrismatis consecrationem a Domino accepisse, nobisque reliquisset, testatus est.

8. *Quid oleum in materia confirmationis significet.*

Significatio  
chrismatis.

Neque vero ulla alia materia, quam chrismatis, aptior videri poterat ad illud declarandum,

quod hoc sacramento efficitur. Oleum enim, quod pingue sit, et natura sua manet ac diffuat, gratiae plenitudinem exprimit, quae per Spiritum sanctum a Christo capite in alios redundat atque effunditur, sicut unguentum, <sup>1</sup> quod descendit in barbam Aaron usque in oram vestimenti eius; <sup>2</sup> unxit enim eum Deus oleo laetitiae prae consortibus suis; ac <sup>3</sup> de plenitudine eius nos omnes accepimus.

9. Quid balsamum oleo admistum hic admoneat.

Balsamum vero, cuius <sup>4</sup> odoratus iucundissimus est, quid aliud significat, quam fideles, quum sacramento confirmationis perficiuntur, eam virtutum omnium suavitatem effundere, ut illud Apostoli queant dicere: <sup>5</sup> Christi bonus odor sumus Deo? Habet praeterea balsamum eam vim, ut, quidquid eo circumlitum fuerit, putrescere non sinat: quod quidem ad huius sacramenti virtutem significandam valde accommodatum videtur, quum plane constet, fidelium animos caelesti gratia, quae in confirmatione tribuitur, praeparatos, facile a scelerum contagione defendi posse.

10. Cur necesse sit chrisma ab episcopo consecrari.

Consecratur autem chrisma solemnibus caeremoniis ab episcopo. Ita enim Salvatorem nostrum docuisse in extrema coena, quum chrismatis conficiendi rationem apostolis commendaret, Fabianus Pontifex, sanctitate et martyrii gloria clarissimus, tradidit. Quamquam, cur ita fieri debuerit, ratione etiam ostendi potest. Et enim in plerisque aliis sacramentis Christus ita eorum materiam instituit, ut sanctitatem quoque illi tribuerit. Non solum enim aquam elementum baptismi esse voluit, quum inquit: <sup>6</sup> Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei; sed quum ipse baptizatus est, effecit, ut ea deinceps vi sanctificandi praedita esset. Quare dictum est a sancto Chrysostomo: *Aqua baptismi purgare peccata credentium non posset, nisi tactu dominici corporis sanctificata fuisset.* Quoniam igitur Dominus hanc confirmationis materiam usu ipso et

Olei significatio ex Ambrosio, super ps. 118. ser. 14. et in lib. I. de Spiritu sancto c. 3.

<sup>1</sup>) Ps. 132, 2.

<sup>2</sup>) Ps. 44, 8.

<sup>3</sup>) Ioan. I, 16.

Significatio balsami.

<sup>4</sup>) Eccl. 24, 20.

<sup>5</sup>) Cor. c. 2, 15.

Quando Christus confirmationem chrismatis docuerit, sanctus Fabianus papa in ep. citata Thom. in 3. part. q. art. 4.

<sup>6</sup>) Ioan. 3, 5.

Chrysostom. hom. 4. in Matth.

Refertur de  
const. dist. 4.  
c. Numquam.

tractatione non sacravit, necessarium est, ut sanctis et religiosis precationibus consecratur; neque ad alium ea confectio, nisi ad episcopum pertinere potest, qui eiusdem sacramenti ordinarius minister institutus est.

11. *Quae sit huius sacramenti forma.*

Christus non  
attactu corpo-  
ris sui, sed  
verbis sanctis  
materiam confir-  
mationis an-  
crari voluit.  
Conc. flor. in  
doctrina de  
saer. Thom. in  
3. part. q. 72.  
art. 4.

Sacramenti  
cuiusque for-  
ma qualis esse  
debeat.

Sed explicanda erit praeterea altera pars, ex qua sacramentum constituitur, forma scilicet et verba, quae ad sacram unctionem adhibentur: monendique fideles, ut in hoc sacramento suscipiendo, tunc maxime, quum ea pronuntiari animadvertunt, ad pietatem, fidem et religionem animos excitent, ne quid caelesti gratiae impedimento esse possit. His igitur verbis confirmationis forma absolvitur: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Sed tamen si ad veritatem rationem quoque revocemus, idem facile probari potest. Etenim sacramenti forma ea omnia continere debet, quae ipsius sacramenti naturam et substantiam explicant.

12. *Hanc esse perfectam huius sacramenti formam, quo modo confirmetur.*

Tria sunt  
in confirma-  
tione obser-  
vanda.

Thom. ibi-  
dem.

Atqui maxime haec tria in confirmatione observanda sunt: divina potestas, quae ut principalis causa in sacramento operatur: tum robur animi et spiritus, quod per sacram unctionem fidelibus ad salutem tribuitur; deinde signum, quo notatur is, qui in certamen christianae militiae descensurus est. Ac primum quidem verba illa: *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, quae extremo loco posita sunt; alterum ea: *confirmo te chrismate salutis*, quae in medio sunt; tertium, quae in principio formae locantur: *signo te signo crucis*, satis declarant. Quamquam, si etiam ratione aliqua probari non possit, hanc esse huius sacramenti veram et absolutam formam, ecclesiae catholicae auctoritas, cuius magisterio ita semper edocti fuimus, non patitur, nos ea de re quidquam dubitare.

Confirmatio-  
nis forma ex  
auctoritate ec-  
clesiae reti-  
nenda.

13. *Quis sit proprius sacramenti confirmationis minister.*

De ministro

Docere etiam pastores debent, quibus potis-

simum huius sacramenti administratio commissa sit. Nam quum multi sint, <sup>1</sup> ut est apud Prophetam, qui currant, neque tamen mittantur; necesse est, qui veri et legitimi eius ministri sint, tradere, ut fidelis populus confirmationis sacramentum et gratiam consequi possit. Solum itaque episcopum huius sacramenti conficiendi ordinariam potestatem habere, sacrae litterae ostendunt. Nam in actis apostolorum legimus, <sup>2</sup> quum Samaria verbum Dei accepisset, Petrum et Ioannem ad eos missos esse, *qui oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant.* Quo in loco licet videre, eum, qui baptizaverat, quod tantum esset diaconus, confirmandi potestatem nullam habuisse, sed munus illud perfectioribus ministris, hoc est apostolis, reservatum esse. Quin etiam, <sup>3</sup> ubicumque sacrae scripturae huius sacramenti mentionem faciunt, idem observari potest.

14. *Idem etiam Pontificum Maximorum decretis ostenditur.*

Neque ad eam demonstrandam desunt sanctorum patrum, atque Pontificum <sup>4</sup> Urbani, <sup>5</sup> Eusebii, <sup>6</sup> Damasi, <sup>7</sup> Innocentii, <sup>8</sup> Leonis clarissima testimonia, quemadmodum ex eorum decretis perspicuum est. Divus quoque <sup>9</sup> Augustinus graviter queritur de corrupta Aegyptiorum et Alexandrinorum consuetudine, quorum sacerdotes audebant confirmationis sacramentum administrare. Ac iure quidem hoc factum esse, ut eiusmodi munus ad episcopos deferretur, hac similitudine possunt pastores declarare. Ut enim in exstruendis aedificiis, etsi fabri, qui inferiores ministri sunt, caementa, calcem, ligna et reliquam materiam parant atque componunt, absolutio tamen operis ad architectum spectat; ita etiam hoc sacramentum, quo veluti spirituale aedificium perficitur, a nullo alio, nisi a summo sacerdote, administrari opus erat.

15. *Cur in confirmatione patrini assumantur, et quae in confirmatione affinitas contrahatur.*

Additur vero etiam patrinus, quemadmodum

confirmatio-  
nis.

1) Ier. 23, 21.  
Episcopi soli  
sunt ministri  
confirmationis  
c. 4. et sess.  
23. de sacra-  
mento ordinis.  
c. 4. et can. 7.

2) Act. 8, 14.  
15. 16. 17.

3) Act. 19, 6.

4) In fine epist.  
ad omnes chris-  
tianos.

5) Epist. 3. ad  
episcopos Tu-  
sciae, et Cam-  
paniae.

6) Circa me-  
dium et cete-  
ros episc. ep.  
4. ad Prosp.  
orth.

7) Epist. ad  
Veren. cap. 3.

8) Epist. 88.  
ad Germaniae  
et Galliae epi-  
scopos.

9) Aug. in  
quaest. novi  
testamenti q.  
42.

De patrini

in confirma-  
tione agitur  
3o. I. cap. Si  
quis, et de  
cons. dist. 4.  
c. in catechi-  
simo.

In confirma-  
tione quanta  
affinitas con-  
trahatur, sess.  
24. conc. trid.  
de reformat.  
matr. c. 2. vide  
idem in 6. de  
cognat. spirit.  
c. Nedum etc.  
Quamvis.

Confirmatio-  
nis sacramen-  
tum quibus  
dandum sit,  
Th. in 3. part.  
q. 72. art. 8.  
ostendit.

in baptismo fieri demonstratum est. Nam si, qui gladiatoriam dimicationem subeunt, alicuius indigent, cuius arte et consilio doceantur, quibus ictibus et petitionibus, salvis ipsis, conficere adversarium possint; quanto magis fideles, quum sacramento confirmationis quasi firmissimis armis tecti ac muniti, in spirituale certamen, cui aeterna salus proposita est, descendunt, ducis ac monitoris indigebunt? Recte igitur ad huius quoque sacramenti administrationem patrini advocandi sunt, quibuscum eadem spiritualis affinitas coniungitur, quae legitima nuptiarum foedera impedit, ut ante docuimus, quum de patrinis ageretur, qui ad baptismum adhibendi sunt.

16. *Confirmationis sacramentum non est absolute necessarium, non tamen praetermittendum.*

Sed quoniam saepe evenit, ut fideles in hoc sacramento suscipiendo, aut praepropera festinatione, aut dissoluta quadam negligentia et cunctatione utantur (nam de iis, qui ad eum impietatis gradum venerunt, ut illud contemnere et aspernari audeant, nihil est quod dicamus); aperiendum est etiam pastoribus, qui, qua aetate, quo pietatis studio praediti esse debeant, quibus confirmationem dare oportet. Atque illud in primis docendum est, hoc sacramentum eiusmodi necessitatem non habere, ut sine eo salvus quis esse non possit. Quamquam vero necessarium non est, a nemine tamen praetermitti debet; sed potius maxime cavendum est, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam large impertiuntur, aliqua negligentia committatur; quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est.

17. *Confirmationis sacramentum ab omnibus suscipiendum demonstratur.*

Ac sanctus quidem Lucas, quum admirabilem illam Spiritus sancti effusionem describeret, ita inquit: <sup>1</sup> *Et factus est repente de caelo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum; deinde, paucis interiectis: <sup>2</sup> Et repleti sunt omnes Spiritu sancto.*

1) Act. 2, 2.

2) Ibidem 4.

Ex quibus verbis licet intelligere, quoniam domus illa sanctae ecclesiae figuram et imaginem gerebat, ad omnes fideles confirmationis sacramentum, cuius initium ab eo die ductum est, pertinere. Atque id etiam ex ipsius sacramenti ratione facile colligitur; illi enim sacro chrismate confirmari debent, quibus spirituali incremento opus est, et qui ad perfectum christianae religionis habitum perducendi sunt: at nulli id non maxime convenit. Ut enim hoc spectat natura, ut qui in lucem eduntur, adolescant atque ad perfectam aetatem perveniant, etiamsi interdum, quod vult, minus assequatur; ita communis omnium mater catholica ecclesia vehementer optat, ut in iis, quos per baptismum regeneravit, christiani hominis forma perfecte absolvatur. Id autem quoniam mysticae unctionis sacramento efficitur, perspicuum est, eam ad universos fideles aequae pertinere.

Ecclesiae Christi clarum initium.

Ecel. 2. Fili, accedens ad servitum Dei etc.

Sacramento confirmationis christiani hominis forma perfecte absolvitur.

18. *Qua aetate christiani ad hoc sacramentum sint admittendi.*

In quo illud observandum est, omnibus quidem post baptismum confirmationis sacramentum posse administrari, sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis usum haberint. Quare, si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certe hoc sacramentum differre maxime convenit. Neque enim confirmatio ad salutis necessitatem instituta est, sed ut eius virtute optime instructi et parati inveniremur, quum nobis pro Christi fide pugnandum esset; ad quod sane pugnae genus pueros, qui adhuc usu rationis carent, nemo aptos esse iudicavit.

Ad hoc facit caput 3. aurelianen. conc. quod habetur de cons. dist. 5. cap. Ut ieiunii.

19. *Quo pacto, qui iam aetate sunt proveciores, se ad hoc sacramentum praeparare debeant.*

Ex his igitur efficitur, ut, qui adulta iam aetate confirmandi sunt, siquidem huius sacramenti gratiam et dona consequi cupiant, eos non solum fidem et pietatem afferre, sed graviora etiam peccata, quae admiserunt, ex animo dolere oporteat. Qua in re elaborandum est, ut peccata etiam prius confiteantur, et pastorum cohorta-

Confirmandos peccatorum commissorum poeniteat, ex D. Th. in 3. part. q. 72. art. 7. ad secundum, et confirmatur ex cap. Ut ieiunii.

nii de consecr. dist. 3.  
 Conc. aurelian. cap. 3.  
 De confirmationis effectibus vide Th. in 3. part. q. 72. art. 7.  
 conc. flor. in doctrina de sacram.

tione ad ieiunia et alia pietatis opera suscipienda incitentur, admonenturque laudabilem illam antiquae ecclesiae consuetudinem renovandam esse, ut non nisi ieiuni hoc sacramentum susciperent: quod quidem fidelibus facile persuaderi posse existimandum est, si huius sacramenti dona admirabilesque effectus intellexerint.

20. *Qui sint confirmationis effectus.*

Itaque pastores docebunt, confirmationem hoc cum ceteris sacramentis commune habere, ut, nisi impedimentum aliquod inferatur, novam gratiam tribuat. Etenim haec sacra et mystica signa eiusmodi esse demonstratum est, quae gratiam declarant atque efficiunt. Ex quo sequitur, ut peccata etiam condonet ac remittat, quoniam gratiam simul cum peccato ne fingere quidem nobis licet. Sed praeter haec, quae cum aliis communia censenda sunt, primum quidem illud proprie confirmationi tribuitur, quod baptismi gratiam perficit. Qui enim per baptismum christiani effecti sunt, <sup>1</sup> quasi infantes modo geniti, teneritatem adhuc et molliem quandam habent; ac deinde chrismatis sacramento adversus omnes carnis, mundi et diaboli impetus robustiores fiunt, et eorum animus in fide omnino confirmatur ad confitendum et glorificandum nomen domini nostri Iesu Christi, ex quo etiam nomen ipsum inventum esse nemo dubitarit.

21. *Confirmationis nomen unde ductum sit.*

Neque enim, ut quidam non minus imperite, quam impie finxerunt, confirmationis vocabulum ab eo deducitur, quod olim, qui infantes baptizati erant, quum iam adulti essent, ad episcopum adducebantur, ut fidem christianam, quam in baptismo susceperant, confirmarent; ita ut confirmatio nihil a catechesi differre videatur, cuius consuetudinis nullum probatum testimonium afferri potest: sed ab eo nomen rei impositum est, quod huius sacramenti virtute Deus in nobis <sup>2</sup> id confirmat, quod baptismo operari coepit, nosque ad christianae soliditatis perfectionem adducit. Nec vero confirmat solum, sed auget etiam, de quo Melchiades ita testatur:

Esse in gratia, et manere in peccato repugnant.

Clem. ep. 4. ad Iulium, Melchiades papa in ep. ad episc. hispan.

1) 1. Pet. 2, 2.

Ratio nominis initio huius capituli proposita hic illustratur.

Conc. trid. sess. 7. can. 1. de confirm.

2) Ps. 67, 29.



*Spiritus sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum praestat ad gratiam.* Deinde non auget modo, sed admirabili quadam ratione auget. Hoc autem pulcherrime indumenti translatione scriptura significavit atque expressit; ait enim Dominus salvator, quum de hoc sacramento loqueretur: <sup>1</sup> *Sedete in civitate quoad usque induamini virtute ex alto.*

Melchiales  
loco supradicto, et habetur de consecr. dist. 5. cap. Spiritus, et Euseb. Emiss. in homil. in die pentecost.

1) Lucae 24, 49.

22. *Virtus confirmationis ex his, quae apostolis evenerunt, declaranda.*

Quod si pastores voluerint divinam huius sacramenti efficientiam ostendere (hoc vero ad commovendos fidelium animos maximam vim habiturum esse dubitari non potest), satis erit, quid ipsis apostolis evenerit, explicare. Illi enim ante passionem, vel sub ipsam passionis horam adeo infirmi et remissi fuerant, <sup>2</sup> ut, quum Dominus comprehensus est, statim se in fugam coniecerint; Petrus vero, <sup>3</sup> qui ecclesiae petra et fundamentum designatum erat, <sup>4</sup> et summam constantiam excelsique animi magnitudinem praesetulerat, <sup>5</sup> unius mulierculae voce perterritus, se Iesu Christi discipulum esse, non semel aut iterum, sed tertio negaverit; ac post resurrectionem omnes <sup>6</sup> propter metum iudaeorum inclusi domi se continuerint. At vero in die Pentecostes tanta Spiritus sancti virtute omnes repleti sunt, ut, <sup>7</sup> dum evangelium, quod eis commissum erat, non solum in iudaeorum regione, sed in universo orbe audacter et libere dispergerent, nihil sibi felicius accidere posse existimaverint, quam <sup>8</sup> quod digni haberentur, qui pro Christi nomine contumeliam, vincula, tormenta, cruces perferrent.

2) Matt. 26, 56.

3) Matt. 16, 18.

4) Matt. 26, 33. 35.

5) Ioan. 18, 25.

6) Ioan. 20, 19.

7) Act. 2, 14. 15. et 4, 13.

8) Act. 5, 41.

23. *Confirmatio characterem imprimit, et iterari non potest.*

Habet praeterea confirmatio eam vim, ut <sup>9</sup> characterem imprimat: quo fit, <sup>10</sup> ut nulla umquam ratione iterari possit; quod etiam in baptismo supra observatum est, ac de sacramento ordinis quoque suo loco planius exponetur. Haec

Confirmatio-  
nis character.  
9) Ephes. 4, 30.  
10) Concil. tar-  
rac. cap. 114.  
et habetur de  
consecr. dist.

5. c. Dictum est, Gregorius III. ep. 4. et habetur ibidem c. De homine.

Thom. in 3. part. q. 72. art. 5. De ritibus confirmationis.

igitur si a pastoribus saepe et accurate explicata erunt, vix fieri poterit, quin fideles, cognita huius sacramenti dignitate atque utilitate, illud summa cum diligentia sancte et religiose suscipere studeant. Restat nunc, ut aliqua etiam de ritibus et caeremoniis, quibus in hoc sacramento administrando catholica ecclesia utitur, breviter perstringantur; quae explicatio quanto usui futura sit, pastores intelligent, si, quae antea dicta sunt, quum hic locus tractaretur, repetere voluerint.

24. *Quare eorum, qui confirmantur, frons ad modum crucis inungatur.*

Frons quare unguatur, de consecr. dist. 5. cap. Novissime. Aug. in ps. 14. Alex. de Ales. 4. part. q. 28. memb. 6.

Thom. in 3. part. q. 72. art. 9.

Qui igitur confirmantur, sacro chrismate in fronte unguuntur. Nam hoc sacramento Spiritus sanctus in animos fidelium sese infundit, in eisque robur et fortitudinem auget, ut in rituali certamine viriliter pugnare, et nequissimis hostibus resistere queant. Quocirca declaratur, eos nullo metu aut verecundia, quarum affectionum signa maxime in fronte solent apparere, a libera christiani nominis confessione absterrendos esse. Praeterea nota illa, qua christianus a ceteris veluti miles insignibus quibusdam ab aliis distinguitur, in illustriori corporis parte imprimenda erat.

25. *Quo potissimum tempore hoc sacramentum conferatur.*

Pentecostes tempore praecipue administratur.

1) Act. 2, 1.3.

Sed illud quoque solemni religione in ecclesia Dei servatum est, ut in Pentecoste praecipue hoc sacramentum administraretur; quod hoc maxime die<sup>1</sup> apostoli Spiritus sancti virtute roborati et confirmati sint, cuius divini facti recordatione fideles admonerentur, quae, quantaque mysteria in sacra unctione cogitanda essent.

26. *Cur episcopus alapam infigat, et pacem confirmato adprecetur.*

Alapa quid significet.

Pacis imprecatio.

Deinde vero, qui iam unctus et confirmatus est, ut meminerit se tamquam fortem athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda, manu leviter in maxilla ab episcopo caeditur. Postremo autem pax ei datur, ut intelligat, se gratiae caelestis

plenitudinem <sup>1</sup> et pacem, quae exsuperat omnem sensum, consequutum esse. Atque haec summa eorum sit, quae de chrismae sacramento a pastoribus, non tam quidem nudis verbis et oratione, quam inflammato quodam pietatis studio explicanda sunt, ut ea in animis intimisque fidelium cogitationibus inserere videantur.

## DE EUCHARISTIAE SACRAMENTO

## CAPUT IV.

1. *Quare mysterio eucharistiae summa cum reverentia tractari et suscipi debeant.*

Quemadmodum ex omnibus sacris mysteriis, quae nobis tamquam divinae gratiae certissima instrumenta Dominus salvator noster commendavit, nullum est, quod cum sanctissimo eucharistiae sacramento comparari queat; ita etiam nulla gravior alicuius sceleris animadversio a Deo metuenda est, quam si res omnis sanctitatis plena, vel potius quae ipsum sanctitatis auctorem et fontem continet, neque sancte, neque religiose a fidelibus tractetur. Id vero Apostolus et sapienter vidit, et de eo nos aperte admonuit. Nam quum declarasset, quanto illi scelere obstricti essent, qui corpus Domini non dijudicarent, statim subiecit: <sup>1</sup> *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi.* Ut igitur fidelis populus, quum caelesti huic sacramento divinos honores tribuendos esse intellexerit, et gratiae uberes fructus capiat, et iustissimam Dei iram effugiat, illa omnia a pastoribus diligentissime exponenda erunt, quae eius maiestatem magis illustrare posse videantur.

2. *Qua de causa, et quando eucharistiae sacramentum sit institutum.*

Qua in re opus erit, ut, <sup>2</sup> Pauli apostoli rationem sequenti, qui se, quod a Domino accepit, Corinthiis tradidisse professus est, in primis

<sup>1</sup>) Phil. 4. 7.

Sacramentum eucharistiae omnium est sacramentorum maximum. Dion. in lib. de eccl. hier. c. 5. Ambr. lib. 4. de sac. c. 6. Alexander papa ep. 1. et habetur de cons. dist. 2. cap. Nihil. In eucharistia irreverentia quantum sit peccatum. 5) 1. Cor. 11, 30.

<sup>2</sup>) 1. Cor. 11, 23. De institutione sacramenti eucha-

ristiae sess. 13,  
concil. trid. de  
eucharistia  
c. 2.

2) Ioan. 13, 1.  
Causa insti-  
tutionis.

Chrys. hom.  
41. in Ioan.

3) Matt. 26, 26.

3) Luc. 22, 19.

Tempus insti-  
tutionis. Leo  
ser. 7. de pas-  
sione Domini,  
et habetur de  
cons. dist. 4.  
cap. Quia cor-  
pus. Thom. in  
3. part. q. 73.  
art. 5.

4) Lucac 22,  
30.

Dignitas sa-  
cramenti plu-  
ribus vocabu-  
lis explicatur.

Eucharistia  
cur dicatur,  
Chrys. hom.  
24. in 1. ad  
cor. sup. illud:  
Calix benedi-  
ctionis. Thom.  
in 5. p. q. 73.  
art. 4.

5) Rom. 8, 23.

6) Ioan. 1, 14.

Ambr. lib.  
5. de sacram.  
c. 3. Magist.  
in 4. dist. 8.  
litt. A.

7) Origen. lib.  
8. contr. Cel-  
sum.

8) Matt. 26,  
26. 27.

huius sacramenti institutionem fidelibus expli-  
cent. Ita vero gestam rem esse, ex evangelista  
perspicue colligitur. <sup>1</sup> Quum enim Dominus dilexisset suos, in finem dilexit eos; cuius quidem amoris ut divinum aliquid atque admirabile pignus daret, sciens horam iam advenisse, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, <sup>2</sup> ne ullo umquam tempore a suis abesset, inexplicabili consilio, quod omnem naturae ordinem et conditionem superat, perfecit. Etenim, <sup>3</sup> celebrato cum discipulis agni paschalis coena, ut figura veritati, umbra corpori cederet, <sup>4</sup> *panem accepit, Deoque gratias agens benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis; et dixit: Accipite, et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem accepit, postquam coenavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine; hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.*

### 3. Cur hoc sacramentum eucharistia vocetur.

Huius ergo admirabilis sacramenti dignitatem atque excellentiam, quum sacri scriptores fieri nullo modo posse intelligerent, ut uno vocabulo demonstrarent, pluribus eam nominibus exprimere conati sunt. Interdum enim eucharistiam appellant, quod verbum vel bonam gratiam, vel gratiarum actionem latine reddere possumus. Ac recte quidem bona gratia dicendum est, tum quia vitam aeternam, de qua scriptum est: <sup>5</sup> *Gratia Dei, vita aeterna*, praesignificat; tum quia Christum dominum, <sup>6</sup> qui vera gratia atque omnium charismatum fons est, in se continet. Nec vero minus apte gratiarum actionem interpretamur: <sup>7</sup> siquidem quum hanc purissimam hostiam immolamus, immensas quotidie gratias pro universis in nos beneficiis Deo agimus; atque in primis pro eius gratiae tam excellenti bono, quam nobis hoc sacramento tribuit. Sed id ipsum etiam nomen cum iis, quae a Christo domino gesta esse in hoc mysterio instituendo legimus, optime convenit. Etenim <sup>8</sup> panem accipiens fregit, ac gratias egit. David

quoque quum huius mysterii magnitudinem contemplaretur, ante quam carmen illud pronuntiaret: <sup>1</sup> *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se*, gratiarum actionem praeponebam existimavit, quum inquit: <sup>2</sup> *Confessio et magnificentia opus eius.*

1) Ps. 110, 4.

2) Ibidem 3.  
Conc. ulc. c. 16.

4. *Quare hoc sacramentum communio, pacis et charitatis sacramentum nominetur.*

Frequenter etiam nomine sacrificii declaratur, de quo mysterio paulo post latius dicendum erit. Vocatur praeterea communio, quod verbum ex illo Apostoli loco sumptum esse liquet, ubi ait: <sup>3</sup> *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Nam, <sup>4</sup> ut Damascenus explanavit, *hoc sacramentum Christo nos copulat, atque eius carnis et deitatis participes efficit, nosque inter nos in eodem Christo conciliat ac coniungit, et veluti unum corpus coagmentat.* Ex quo factum est, ut <sup>5</sup> sacramentum etiam pacis et charitatis diceretur, ut intelligeremus, quam indigni sint christiano nomine, qui inimicitias exercent; odiaque, dissidia et discordias, ut terribilissimas fidelium pestes, omnino exterminandas esse, quum praesertim quotidiano religionis nostrae sacrificio, nihil nos studiosius servare, quam pacem et charitatem profiteamur.

Communio  
cui nomine  
tur.

3) I. Cor. 10. 16.

4) Damas. lib. 14. orth. fid. cap. 14.

5) Aug. tract. 26. in Ioan. Sess. 12. conc. trid. de eucharistia in praefatione. Concil. nicen. c. 11. et carthag. 4. cap. 77. et 78.

5. *Qua ratione idem sacramentum viaticum et coena dicatur.*

Sed viaticum etiam frequenter a sacris scriptoribus appellatur; tum quia spiritualis cibus est, quo in huius vitae peregrinatione sustentamur, tum quia viam nobis ad aeternam gloriam et felicitatem munit. Quare ex veteri ecclesiae catholicae instituto servari videmus, ut nemo fidelium sine hoc sacramento e vita excedat. Ac vetustissimi quidem patres, <sup>6</sup> Apostoli auctoritatem sequuti, coenae etiam nomine sacramentum eucharistiam interdum vocarunt, quod in illo novissimae coenae salutari mysterio a Christo domino sit instituta.

Exod. 12, 3.  
Reg. 16, 2.  
Matth. 15.  
Marc. 8.

6) I. ad Cor. 11.  
Coena a Cypr.  
hoc sacramentum dicitur in lib. de coena Domini.

6. *Eucharistia, cibo aut potu sumpto, confici et sumi non potest.*

Neque vero propterea a cibo aut potione illam conficere aut sumere licet; quod ab apostolis salutariter introducta consuetudo, quemadmodum veteres scriptores memoria prodiderunt, perpetuo retenta ac servata est, ut a ieiunis tantum perciperetur.

7. *Eucharistia veri nominis sacramentum est.*

Sess. 13, conc. trid. de euch. c. 3. Aug. lib. 3. de tr. c. 4. et lib. 20. contr. Faust. c. 13. Ambr. lib. 2. offic. c. 28. vide item Thom. in 3. part. q. 73. art. 1.

Sed, explicata nominis ratione, docendum erit, hoc verum esse sacramentum, atque unum ex illis septem, quae sancta ecclesia semper religiose coluit ac venerata est: nam quum calicis consecratio fit, mysterium fidei appellatur. Praeterea, ut infinita pacne sacrorum scriptorum testimonia omittamus, qui hoc inter vera sacramenta numerandum esse perpetuo censuerunt, ex ipsa ratione et natura sacramenti idem convincitur. Etenim in eo signa sunt externa, et sensibus subiecta; habet deinde gratiae significationem et efficientiam: praeterea de Christi institutione,<sup>1</sup> neque evangelistae neque<sup>2</sup> Apostolus dubitandi locum relinquunt. Quae omnia quum in unum conveniant ad sacramenti veritatem confirmandam, nullis aliis argumentis opus esse perspicitur.

1) Matt. 26, 26. Loc. 22, 10. Marc. 24, 22. 2) 1. Cor. 11, 24, 25.

8. *Multa esse in hoc sacramento, quibus sacramenti nomen conveniat.*

Sed illud pastoribus diligenter observandum est, multa in hoc mysterio esse, quibus aliquando sacramenti nomen sacri scriptores tribuerunt: interdum enim et consecratio, et perceptio, frequenter vero et ipsum Domini corpus et sanguis, qui in eucharistia continetur, sacramentum vocari consuevit: ait enim divus Augustinus, sacramentum hoc duobus constare: visibili scilicet elementorum specie, et invisibili carne et sanguine ipsius domini nostri Iesu Christi. Atque ad eundem modum hoc sacramentum adorandum esse, nimirum corpus et sanguinem Domini intelligentes, affirmamus. Verum haec omnia minus proprie dici sacramenta perspicuum est. Ipsae

Aug. de catec. rud. c. 16. Eucharistia adoranda sess. 3. concil. trid. de eucharistia c. 5. ibid. can. 6. Boeh. species proprie dicuntur sa-

autem panis et vini species veram et absolutam huius nominis rationem habent.

9. *Quo modo differat eucharistia a reliquis omnibus sacramentis.*

Sed quantum hoc sacramentum a reliquis omnibus differat, facile colligitur. Nam cetera sacramenta materiae usu perficiuntur, dum scilicet alicui administrari ea contingit: baptismus enim sacramenti naturam tunc adipiscitur, quum re ipsa homo aqua abluitur. At vero ad eucharistiae perfectionem satis est ipsius materiae consecratio: utrumque enim sacramentum esse non desinit, quamvis in pyxide asservetur. Deinde in faciendis aliis sacramentis nulla fit materiae atque elementi in aliam naturam mutatio: etenim baptismi aqua, aut chrismatis oleum, quum illa sacramenta administrantur, priorem aquae et olei naturam non amittunt; in eucharistia vero, quod panis et vinum ante consecrationem erat, confecta consecratione, vere est corporis et sanguinis Domini substantia.

10. *Duplex eucharistiae materia duo sacramenta non constituit.*

Licet autem duo sint elementa, panis scilicet et vinum, ex quibus integrum eucharistiae sacramentum conficitur; non tamen plura sacramenta, sed unum tantum esse, ecclesiae auctoritate docti confitemur. Aliter enim septenarius sacramentorum numerus, quemadmodum semper traditum, atque a conciliis<sup>1</sup> Lateranensi, Florentino et Tridentino decretum est, constare non poterit. Nam quum huius sacramenti gratia unum corpus mysticum efficiatur, ut sacramentum ipsum rei, quam efficit, conveniat, unum esse oportet, atque unum quidem, non quia individuum sit, sed quia unius rei significationem habet. Nam quemadmodum cibus et potio, quae duae diversae res sunt, ad unam tantum rem adhibentur, ut scilicet vires corporis reficiantur; ita etiam duas illis diversas sacramenti species respondere consentaneum fuit, quae cibum spirituales significarent, quo mentes sustententur et recreantur. Quare a Domino salvatore dictum est:<sup>2</sup> *Caro*

sacramentum.  
Scot. in 4.  
dist. q. sess.  
13. Conc. trid.  
de eucharistia  
c. 2. et can.  
4. Haec differ-  
entia colligi  
potest ex Ang.  
in 3. lib. de  
tr. c. 4. et Am-  
bros. lib. 4. de  
sacram. ut ha-  
betur de con-  
secr. dist. 4.  
c. Panis est:  
vide item Tb.  
in 4. part. q.  
73. art. a. ad 3.

Unum eu-  
charistiae sa-  
cramentum,  
non duo vide  
Thom. in 3.  
part. q. 73.  
art. 2.

1) Lateranen-  
se concilium  
magnum non  
recenset sep-  
tem sacra-  
menta; ex en-  
tamen in c. 1.  
et aliis colligi  
possunt, sicut  
ex c. Ad abo-  
lendam, tit. de  
haereticis:  
conc. autem  
constantiense  
in duct. de  
sacr. et tri-  
dent. sess. 7.  
et c. 1. defi-  
niunt.

2) Iann. 6, 56.

*mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Sed diligenter explicandum est, quid eucharistiae sacramentum significet, ut fideles sacra mysteria oculis intuentes, simul etiam divinarum rerum contemplatione animum pascant.

11. *Quarum rerum significatio hoc sacramento includatur.*

Eucharistiae sacramentum tria significat mysteria; Th. ead. q. art. 4. Primum praeteritum.

1) Luc. 22, 19.  
2) I. Cor. 11, 26.

Secundum praesens. Tert. in lib. de resur. car. conc. florentin. in doct. de sacramentis.

Tertium futurum. Unde canit ecclesia: O sacrum convivium etc.

Tria vero sunt, quae nobis hoc sacramento indicantur. Primum est Christi domini passio, quae iam praeteriit; ipse enim docuit: <sup>1</sup> *Hoc facite in meam commemorationem*; et Apostolus testatus est: <sup>2</sup> *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Alterum est divina et caelestis gratia, quae praesens ad animam alendam et conservandam hoc sacramento tribuitur. Quemadmodum enim baptismo in novam vitam gignimur, confirmatione roboramur, ut satanae repugnare, et palam Christi nomen profiteri possimus; ita eucharistiae sacramento alimur ac sustentamur. Tertium est, quod futurum praenuntiat, aeternae iucunditatis et gloriae fructus, quos in caelesti patria ex Dei promissione capiemus. Haec igitur tria, quae instantis, praeteriti et consequentis temporis varietate distinguere perspicuum est, sacris mysteriis ita significantur, ut totum sacramentum, quamvis ex diversis speciebus constet, ad singula horum declaranda, tamquam ad unius rei significationem, referatur.

12. *Quae sit huius sacramenti materia, et cuiusmodi panis sit consecrandus.*

Materia eucharistiae duplex. Alex. I. in epist. ad omnes orth. I. c. 4. et hab. de com. dist. 2. c. I. Dam. lib. 4. de orth. fide cap. 14.

3) Matt. 26, 26.

4) Marc. 14, 22.

5) Luc. 22, 19.

Sed in primis cognoscenda est a pastoribus huius sacramenti materia, tum ut ipsi rite illud possint conficere, tum etiam ut fideles admonentur, cuius rei symbolum sit, atque eius rei, quam significat, studio et desiderio exardescant. Duplex itaque est huius sacramenti materia: altera panis ex tritico confectus, de qua primo agitur; de altera postea dicendum erit. Nam, ut docent evangelistae <sup>3</sup> Matthaeus, <sup>4</sup> Marcus et <sup>5</sup> Lucas, Christus dominus *panem* in manus accepit, benedixit, et fregit, dicens: *Hoc est cor-*



pus meum. Apud Ioannem quoque idem Salvator noster seipsum panem appellavit, quum inquit:

<sup>1</sup> *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.* Quum autem varia sint panis genera, vel quia materia differunt, ut quum alius ex tritico, alius ex hordeo, aut ex leguminibus ceterisque terrae fructibus confectus est; vel quia diversis qualitatibus praediti sunt (uni enim fermentum additur, alter vero fermenti omnino expers esse potest): quod ad primum attinet, Salvatoris verba ostendunt, panem ex tritico confici oportere; communi enim loquendi consuetudine, quum panis absolute dicitur, panem ex tritico intelligi satis constat. Id enim veteris testamenti figura declaratur; <sup>2</sup> praeceptum enim a Domino fuerat, ut panes propositionis, qui hoc sacramentum significabant, ex simila conficerentur.

13. *Panem, ex quo eucharistia conficitur, azymum esse conveniens est.*

Sed quemadmodum nullus panis, nisi triticeus, apta sacramenti materia putandus est (hoc enim apostolica traditio nos docuit, et ecclesiae catholicae auctoritas firmavit); ita etiam ex iis, quae Christus dominus gessit, azymum esse debere, facile intelligitur. Ipse enim <sup>3</sup> primo azymorum die, <sup>4</sup> quo nihil fermentati domi habere iudaeis licebat, hoc sacramentum confecit atque instituit.

Quod si quis evangelistae Ioannis auctoritatem opponat, qui haec omnia <sup>5</sup> ante festum diem Paschae acta esse commemorat, ea ratio facile dissolvi potest. Etenim, quem primum azymorum diem ceteri evangelistae appellarunt, quod feria quinta vesperi dies festi azymorum inciperent, quo tempore Salvator noster Pascha celebravit, eum ipsum diem Ioannes pridie Paschae fuisse describit, ut qui diei naturalis spatium, quod ab oriente sole inchoatur, in primis notandum existimarit. Quapropter divus etiam Chrysostomus primum azymorum diem interpretatur eum diem, quo ad vesperam azyma comedenda essent. Sed azymi panis consecratio, quantum conveniat integritati et mentis munditiae, quam fideles ad

1) Ioan. 9, 4r.

Panis triticeus est propria huius sacramenti materia.

Thom. in 3. part. q. 74. art. 3.

Alex. de Ales. 4. part. q. 32. memor. 4.

2) Levit. 24, 5.

Honorius 3. Brixien-  
sis episc.  
ut habeatur de celebr.  
missar. cap.  
fin. et Thom.  
in 3. part. q.  
74. art. 4.  
3) Matt. 26, 17.  
4) Exod. 12, 19.

5) Ioan. 13, 1.  
Scot. 4. dist.  
11. quaest. 6.  
Alex. de Ales.  
4. part. q. 12.  
mem. 3. ad  
argumenta.

D. Chrys.  
hom. 82. in  
Matth.

hoc sacramentum afferre debent, ab Apostolo docemur, quum inquit: <sup>1</sup> *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicuti estis azymi; etenim Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiae et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.*

14. *Panis azymus ad eucharistiam non omnino necessarius.*

Eucharistia in pane fermentato confici posset, sed non licet. Conc. flor. sess. ultima. Lib. 3. dec. de celeb. cap. Litteras.

Neque tamen ea qualitas adeo necessaria existimanda est, ut, si illa pani desit, sacramentum confici non possit; utrumque enim panis genus veram et propriam panis rationem et nomen habet, quamquam nemini licet privata auctoritate, vel potius temeritate, laudabilem ecclesiae suae ritum immutare. Atque eo minus id facere latinis sacerdotibus permissum est, quibus praeterea Pontifices Max. praeceperunt, ut ex azymo tantum sacra mysteria conficerent. Atque haec de altera huius sacramenti materia exposuisse satis sit: in quo tamen illud animadvertendum est, quam multa materia ad sacramentum conficiendum uti oporteat, definitum non esse, quum illorum etiam certus numerus definiti nequeat, qui aut possint, aut debeant sacra mysteria percipere.

Quam multa materia consecrari debeat, non est definitum.

15. *Quae materia sit usurpanda ad consecrationem sanguinis Domini.*

Vinum vitis aqua mistum ad consecrationem sanguinis necessarium est.

Superest, ut de altera huius sacramenti materia et elemento dicatur. Est autem vinum ex vitis fructu expressum, cui modicum aquae permistum sit. Nam Dominum salvatorem vino in huius sacramenti institutione usum esse, catholica ecclesia semper docuit, quum ipse dixerit:

2) Matt. 26, 29.

San. Chrysost. hom. 83. in Matth.

<sup>2</sup> *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum.* Quo in loco Chrysostomus, *De genimine*, inquit, *vitis, quae certe vinum, non aquam produxit: ut tanto ante illorum haeressim, qui aquam solam in hisce mysteriis adhibendam censuerunt, convellere videretur.*

16. *Aqua in sacramento vino est admiscenda.*

Conc. flor. carth. III. cap. 24.

Aquam vero Dei ecclesia vino semper admiscuit; primum, quod id a Christo domino factum

esse, et conciliorum auctoritate, et sancti Cypriani testimonio comprobatur: deinde, quod sanguinis et aquae, <sup>1</sup> quae ex eius latere exierunt, hac permistione memoria renovatur. Tum vero aquae, ut in <sup>2</sup> Apocalypsi legimus, populum designant; quare aqua vino admista fidelis populi cum Christo capite coniunctionem significat: atque hoc ex apostolica traditione perpetuo sancta ecclesia servavit.

17. *Non est necessarium absolute aquam adhiberi, et minor aquae, quam vini quantitas esse debet.*

Sed quamvis aquae admiscendae ita graves rationes sint, ut eam sine mortali peccato praetermittere non liceat; ea tamen si desit, sacramentum constare potest. Illud autem sacerdotibus animadvertendum est, ut quemadmodum in sacris mysteriis aquam vino adhibere oportet, sic etiam modicam infundendam esse: nam ecclesiasticorum scriptorum sententia et iudicio aqua illa in vinum convertitur. Quare de eo Honorius Pontifex ita scribit: *Perniciosus in tuis partibus inolevit abusus, videlicet, quod maior quantitas aquae in sacrificio, quam vini adhibetur; quum secundum consuetudinem rationabilem ecclesiae generalis longe plus vini, quam aquae, adhibendum sit.* Huius igitur sacramenti haec duo tantum elementa sunt; ac merito pluribus decretis sancitum est, ne quid aliud praeter panem et vinum, quod nonnulli facere non verebantur, offerre liceat. Sed iam videndum est, haec duo panis et vini symbola quam apta sint ad eas res declarandas, quarum sacramenta esse credimus et confitemur.

18. *Quot et quantas res panis et vini symbola in hoc sacramento repraesentent.*

Primum enim Christum nobis significant, ut vera est hominum vita. Ipse enim Dominus ait: <sup>1</sup> *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Quum igitur corpus Christi domini vitae aeternae alimentum illis praebeat, qui eius sacramentum pure et sancte suscipiunt, recte iis potissimum rebus conficitur, quibus haec vita continetur; ut fideles facile possint intelligere,

Aqua sola in hoc sacramento non est consecranda. S. Cyprian. lib. 2. epist. 63. ad Caecilium. 1) Ioan. 19. 34. 2) Apoc. 17. 15. Ambr. lib. 5. de sacram. c. 1. Dam. lib. c. 14.

Cyp. I. 2. ep. 63. ad Caecilium. Thom. q. ead. art. 6.

Honor. lib. 3. de cr. tit. de missa celeb. cap. Perniciosus.

De consecr. dist. 2. cap. 2. et seq.

Panis, et vini symbola Christum in hoc sacramento, ut significant. Thom. in. 3. part. q. 74. art. 1. 3) Ioa. 6. 56. Dam. lib. 4. de orth. fid. cap. 14.

pretiosi corporis et sanguinis Christi communionem mentem animumque saturari.

Ex ipsis elementis quomodo fideles ad huius sacramenti veritatem cognoscendam venire possint. Damas. lib. 4. de fide orthodox. cap. 14.

Non nihil etiam haec ipsa elementa ad id valent, ut eam cognitionem accipiant homines, esse in sacramento corporis et sanguinis Domini veritatem. Nam, quum panem et vinum in humanam carnem et sanguinem quotidie vi naturae immutari animadvertamus, facilius adduci possumus hac similitudine, ut credamus, panis et vini substantiam in veram Christi carnem verumque eius sanguinem caelesti benedictione converti.

Quae fiat ex sumptione huius sacramenti in anima mutatio. Vide c. Cum Marthae, de celebratione, miss. §. Quaestivisti.

Afferret etiam aliquid adiumenti haec admirabilis elementorum mutatio ad adumbrandum, quod fit in anima. Ut enim, etsi nulla extrinsecus panis et vini mutatio apparet, tamen eorum substantia in carnem et sanguinem Christi vere transit; ita etiam, tametsi in nobis nihil immutatum videtur, interius tamen ad vitam renovamur, dum veram vitam eucharistiae sacramento accipimus.

Quomodo haec symbola ecclesiae unitatem designent. 1) Rom. 12, 4, 5. I. Cor. 10, 17. et 12, 12.

De forma consecrationis huius sacramenti agunt Doct. schol. in 4. sent. dist. 8.

Accedit ad haec, quod quum <sup>1</sup> unum ecclesiae corpus ex multis membris compositum sit, nulla re magis elucet ea coniunctio, quam panis vinique elementis. Panis enim ex multis granis conficitur, et vinum ex multitudine racemorum existit; atque ita nos, quum multi simus, huius divini mysterii vinculo arctissime colligari, et tamquam unum corpus effici declarant.

19. *Qua forma ad consecrandum panem uti oporteat.*

2) Matt. 26, 26.  
3) Luc. 22, 19.  
4) I. Cor. 11, 24, 25.

Hic bene considerabit lector circa formam consecrationis

Sequitur nunc, ut de forma, qua ad consecrandum panem uti oporteat, agatur; non quidem eius rei causa, ut haec mysteria fidei populo, nisi necessitas cogat, tradantur (eos enim, qui sacris initiati non sunt, de his erudiri necessarium non est), sed ne formae ignorance in sacramento conficiendo a sacerdotibus turpissime peccetur. Itaque a sanctis evangelistis <sup>2</sup> Matthaeo et <sup>3</sup> Luca, itemque <sup>4</sup> ab Apostolo docemur, illam esse formam: HOC EST CORPUS MEUM; scriptum est enim: *Coenantibus illis, accepit Iesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et dixit: Accipite, et manducate, hoc est corpus*

*meum*. Quae quidem consecrationis forma, quum a Christo domino servata sit, ea perpetuo catholica ecclesia usa est. Praetermittenda sunt hoc loco <sup>1</sup> sanctorum patrum testimonia, quae infinitum esset enumerare, et <sup>2</sup> concilii Florentini decretum, quod omnibus patet atque in promptu est; quum praesertim ex illis Salvatoris verbis: <sup>3</sup> *Hoc facite in meam commemorationem*, idem liceat cognoscere. Nam quod Dominus faciendum praecepit, non solum ad id quod egerat, sed etiam ad ea quae dixerat, referri debet; atque ad verba maxime pertinere intelligendum est, quae non minus efficiendi, quam significandi causa prolata erant. Sed ratione etiam id facile persuaderi potest; nam forma ea est, qua illud significatur, quod in hoc sacramento efficitur; quum autem haec verba id, quod fit, significant ac declarent, hoc est panis conversionem in verum Domini nostri corpus, sequitur, formam in illis ipsis verbis constituendam esse. In quam sententiam quod ab evangelista dictum est <sup>4</sup> *benedixit*, licet accipere; perinde enim videtur intelligendum ac si dixisset: *Accipiens panem, benedixit dicens: Hoc est corpus meum*.

20. *Non omnia verba, quae ex consuetudine ecclesiae ad consecrationem adhibentur, sunt necessaria.*

Quamvis enim Evangelista verba illa: *accipite et comedite*, praeposuerit, illis tamen non materiae consecrationem, sed usum tantummodo significari perspicuum est. Quare a sacerdote quidem omnino proferri debent, sed ad sacramentum conficiendum necessaria non sunt; quemadmodum etiam profertur coniunctio illa *enim*, in corporis et sanguinis consecratione. Aliter enim fiet, ut, si hoc sacramentum nemini administrandum sit, confici non oporteat, aut non possit quidem; quum tamen dubitare non liceat, quin sacerdos, prolatis ex more atque instituto sanctae ecclesiae verbis Domini, aptam panis materiam vere consecret, quamvis deinde contingat, ut nulli umquam sacra eucharistia administraretur.

recurrendo ad rubricas missalis romani, ubi docetur, integram formam incipere ab eo loco: «Qui pridie, quam patere-tur etc.» Innoc. de celebr. miss. part. 3. c. 6. Benedictione Christus consecra-vit. De consecr. dist. 2. can. 40.

1) Ambr. lib. 1. de myst. init. c. 9. et lib. 4. de sacr. c. 4. et 5. Vide sect. 18. et 40. huius, Doctor illuminatus.

Franc. de martyr. in 4. dist. 9. q. 3. in fine.

2) Conc. flor. in decret. de sac. trid. sess. 13. cap. 1.

3) Luc. 22. 19. 4) Matt. 26. 28.

Tange hic plura pro et contra, bene meditando quia caute loquendum est in arduis.

21. *Quae sit forma conficiendi sanguinem.*

De forma  
consecrationis  
vini vide c.  
Cum Marthae  
de celebrat.  
missarum.

Forma con-  
secrandi vi-  
num.

1) Luc. 22, 20.  
I. Cor. 11, 25.

2) Luc. 22, 29.  
Matth. 26, 28.  
Hebr. 13.  
Apoc. 14.

Sanguinis  
Christi effe-  
ctus triplex.

3) Heb. 10, 19.

4) Rom. 3, 25.

5) Rom. 3, 26.

6) Hebr. 9, 14.

Iam vero quod ad vini, quae est altera huius sacramenti materia, consecrationem attinet, ob eandem causam, quam supra commemoravimus, opus est, ut sacerdos eius formam cognitam et perspectam habeat. Eam igitur his verbis comprehendere certo credendum est: HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, NOVI, ET AETERNI TESTAMENTI, MYSTERIUM FIDEI, QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM. Ex quibus verbis plura quidem a sacris scripturis colliguntur; quaedam vero in ecclesia ex apostolica traditione conservata sunt. Nam quod dicitur: *hic est calix*, <sup>1</sup> a divo Luca et ab Apostolo scriptum est; quod vero sequitur: *sanguinis mei*, vel: *sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, partim a <sup>2</sup> divo Luca, partim a divo Matthaeo dictum est; verba autem illa *aeterni*, et *mysterium fidei*, sancta traditio, catholicae veritatis interpretes et custos, nos docuit.

22. *Quod haec sit vera consecrationis forma ostenditur.*

Verum de hac forma nemo dubitare poterit, si quod antea dictum est de forma consecrationis, quae ad panis elementum adhibetur, hoc etiam loco attendatur. Constat enim, iis verbis, quae vini substantiam in sanguinem Domini converti significant, huius elementi formam contineri. Quare quum verba illa hoc aperte declarent, perspicuum est, aliam formam constituendam non esse. Exprimunt autem praeterea quosdam effusi sanguinis in passione Domini admirabiles fructus, qui ad hoc sacramentum maxime pertinent. Unus est aditus <sup>3</sup> ad aeternam hereditatem, quae novi atque aeterni testamenti iure ad nos venit. Alter est aditus ad iustitiam per mysterium fidei; <sup>4</sup> Iesum enim *per fidem in sanguine eius propitiatorem Deus proposuit*, <sup>5</sup> *ut ipse sit iustus, et iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi*. Tertius est <sup>6</sup> remissio peccatorum.

23. *Forma consecrationis sanguinis exponitur.*

Quoniam vero haec ipsa consecrationis verba plena mysteriorum sunt, aptissimeque ad rem conveniunt, diligentius perpendere ea oportet. Quod vero dicitur: *hic est enim calix sanguinis mei*, sic intelligendum est: HIC EST SANGUIS MEUS, qui hoc calice continetur. Recte autem et apposite, dum sanguis hic, ut est fidelium potus, consecratur, calicis mentio facienda est; neque enim sanguis huiusmodi potionem satis significare videretur, nisi vase aliquo exceptus esset. Sequitur deinde: *novi testamenti*; quod quidem ob eam rem additum est, ut intelligeremus, Christi domini sanguinem non figura, quemadmodum in veteri testamento fiebat (de eo enim apud Apostolum ad Hebraeos legimus, <sup>1</sup> sine sanguine testamentum dedicatum non esse), sed vere et re ipsa hominibus tradi: quod ad novum testamentum pertinet. Quare Apostolus inquit: <sup>2</sup> *Ideo novi testamenti mediator est Christus, ut, morte intercedente, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae hereditatis.* Verbum vero *aeterni*, ad hereditatem aeternam, quae Christi domini aeterni testatoris morte ad nos iure pervenit, referendum est.

Quod subiungitur: *mysterium fidei*, non rei veritatem excludit, sed quod occulte latet, atque ab oculorum sensu remotissimum est, certa fide credendum esse significat. Diversa vero hisce verbis sententia hoc loco subiecta est ab ea, quam habent, quum baptismo etiam tribuuntur. Nam quod sanguinem Christi sub vini specie latentem fide cernimus, *mysterium fidei* dicitur; at baptismus, quoniam universam christianae fidei professionem complectitur, a nobis fidei sacramentum, a graecis *mysterium* iure appellatur. Quamquam alia etiam ratione sanguinem Domini fidei *mysterium* dicimus, quod scilicet in eo maxime plurimum difficultatis et negotii humana ratio experiatur, quum nobis fides credendum proponit Christum dominum verum Dei filium, simulque Deum et ho-

Expositio consecrationis vini sumpta ex cap. Cum Marthae de celeb. missar.

1) Hebr. 9.18.

2) Hebr. 9.15.

Ioan. 6. et 8.

Quomodo vinum consecratum sit mysterium fidei Gregor. papa hom. 22. de const. dist. 2. c. 73.

Baptismus cur fidei sacramentum dicatur.

Aug. ep. 23. ad Bonif. et de conc. dist. 1. c. Hoc est.

minem, mortem pro nobis pertulisse; quae quidem mors sanguinis sacramento designatur..

24. *Cur maxime in sanguinis consecratione mortis mentio fiat.*

Quapropter apposite hoc loco potius quam in consecratione corporis passio dominica commemoratur his verbis: *Qui effundetur in remissionem peccatorum.* Sanguis enim separatim consecratus ad passionem Domini et mortem, et passionis genus ante omnium oculos ponendum, maiorem vim et momentum habet. Sed verba illa, quae adduntur: *pro vobis et pro multis*, e<sup>1</sup> Matthaeo et Luca singula a singulis sumpta sunt; quae tamen sancta ecclesia, spiritu Dei instructa, simul coniunxit; pertinent autem ad passionis fructum, atque utilitatem declarandam. Nam si eius virtutem inspiciamus, pro omnium salute sanguinem a Salvatore effusum esse fatendum erit; si vero fructum, quem ex eo homines perceperint, cogitemus, non ad omnes, sed ad multos tantum eam utilitatem pervenire facile intelligemus. Quum igitur *pro vobis* dixit, vel eos qui aderant, vel delectos ex iudaeorum populo, quales erant discipuli, excepto Iuda, quibuscum loquebatur, significavit. Quum autem addidit *pro multis*, reliquos electos ex iudaeis aut gentibus intelligi voluit. Recte ergo factum est, ut *pro universis* non diceretur, quum hoc loco tantummodo de fructibus passionis sermo esset, quae salutis fructum delectis solum attulit. Atque huc spectant verba illa Apostoli: <sup>2</sup> *Christus semel oblatus est ad multorum exhaustiendam peccata*; et quod Dominus apud Ioannem inquit: <sup>3</sup> *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Plurima alia in huius consecrationis verbis latent mysteria, quae pastores, assidua rerum divinarum meditatione et studio, ipsi per se, iuvante Domino, facile assequuntur.

25. *Non expedit in hoc sacramento sensuum adhibere iudicium.*

Sed iam ad earum rerum explicationem oratio revertatur, quae ut a fidelibus ignorentur,

1) Matt. 26, 28.  
Lucas 22, 20.  
Cur in consecratione calicis dicatur: Pro vobis, et pro multis.

2) Hebr. 9, 28.

3) Ioan. 17, 9.



nullo modo committendum est. Ac quoniam Apostolus admonet, gravissimum scelus admitti ab iis, qui non diiudicant corpus Domini; hoc in primis doceant pastores, animum atque rationem omni studio a sensibus avocandam esse. Si enim fideles ea tantum in hoc sacramento contineri sibi persuaserint, quae sensibus percipiunt, in summam impietatem adducantur necesse est; quum nihil aliud, praeter panis et vini speciem, oculis, tactu, odoratu, gustu sentientes, panem tantummodo ac vinum in sacramento esse iudicaverint. Curandum igitur est, ut fidelium mentes, quam maxime fieri potest, a sensuum iudicio abstrahantur, atque ad immensam Dei virtutem et potentiam contemplandam excitentur.

26. *Quid mysticas consecrationis virtute in hoc sacramento potissimum efficiatur.*

Tria enim sunt maxime admiranda atque suspicienda, quae in hoc sacramento verbis consecrationis effici, fides catholica sine ulla dubitatione credit et confitetur. Primum est, verum Christi domini corpus, illud idem, quod, natum ex virgine, in caelis sedet ad dexteram Patris, hoc sacramento contineri. Alterum est, nullam in eo elementorum substantiam remanere, quamvis nihil a sensibus magis alienum et remotum videri possit. Tertium est, quod ex utroque facile colligitur, etsi verba consecrationis id maxime expriment, accidentia, quae aut oculis cernuntur, aut aliis sensibus percipiuntur, sine ulla re subiecta esse, mira quadam atque inexplicabili ratione. Ac panis quidem et vini accidentia omnia licet videre; quae tamen nulli substantiae inhaerent, sed per se ipsa constant, quum panis et vini substantia in ipsum Domini corpus et sanguinem ita mutetur, ut panis et vini substantia omnino esse desinat.

21. *Certum est, idem Christi corpus, quod natum est de Maria virgine, in eucharistia contineri.*

Verum, ut prius de primo agatur, conentur pastores explicare, quam perspicua et clara sint Salvatoris nostri verba, quae corporis eius ve-

1) I. Cor. 11,

29. In hoc sacramento sensuum iudicium relictum est.

Vide Thom. in hymno. Et si sensus deficit etc. Et in sequentia: Quod non capis etc.

Tria per consecrationem in hoc sacramento.

Corpus Christi verum est in hoc sacramento. Dionys. de eccl. hier. cap. I. Ignat. epist. ad Smyr. et omnes alii quotquot unquam fuerunt scriptores catholici.

Transubstantiatio est antiquissima ecclesiae doctrina. Ambr. lib. 4. de sacram. cap. 4.

- 1) Marc. 14.  
22. 24.  
Veritas corporis Christi in sacramento ex scripturis ostenditur.  
Sess. 13. conc. trid. de eucharistia cap. 1. et can. 1.

ritatem in sacramento demonstrant. Nam quum inquit: <sup>1</sup> *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*; nemo, qui modo sanae mentis sit, ignorare potest, quid nobis intelligendum sit; praesertim quum de humana natura sermo habeatur, quam in Christo vere fuisse, catholica fides dubitare neminem patitur, ut vir sanctissimus atque doctissimus Hilarius praeclare scripserit, de veritate carnis et sanguinis Christi, quum et ipsius Domini professione et fide nostra, caro eius vere sit cibus, relictum non esse ambigendi locum.

28. *Quo modo item verum Christi corpus in eucharistia esse convincatur.*

- 2) I. Cor. 11,  
28. 29.

Verum alter praeterea locus a pastoribus enucleandus est, ex quo aperte licet cognoscere, verum Domini corpus et sanguinem in eucharistia contineri. Nam Apostolus posteaquam commemoravit, panem et vinum a Domino consecratum, et sacra mysteria apostolis suis administrata esse, subiungit: <sup>2</sup> *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini.* Quod si, ut haeretici dicitant, nihil aliud in sacramento venerandum esset praeter memoriam et signum passionis Christi; quid opus erat tam gravibus verbis fideles hortari, ut seipsos probarent? Gravi enim illa *iudicii* voce declaravit Apostolus, nefarium aliquod scelus ab eo admitti, qui impure sumens corpus Domini, quod in eucharistia occulte latet, ab alio ciborum genere non distinguit. Quod etiam supra in eadem epistola

- 3) I. Cor. 10, 16.

uberius explicavit Apostolus his verbis: <sup>3</sup> *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Quae quidem verba veram corporis et sanguinis Christi domini substantiam demonstrant. Haec igitur scripturae loca a pastoribus explicanda erunt, atque in primis docendum, nihil in iis dubii aut incerti relictum esse, praesertim quum haec ecclesiae Dei sacrosancta auctoritas interpretata sit.

29. *Ecclesiae Christi sententia de sensu scriptorum, et veritate corporis Domini in eucharistia, quo modo sit perquirenda.*

Ad cuius sententiae cognitionem duplici via et ratione possumus pervenire. Prima est, quum patres qui ab initio ecclesiae atque omni deinceps aetate floruerunt, et ecclesiasticae doctrinae optimi testes sunt, consulimus. Hi vero, summo consensu, omnes huius dogmatis veritatem aperitissime tradiderunt; quorum singula testimonia afferre, quoniam operosi laboris esset, satis erit pauca notare vel indicare potius, ex quibus iudicium de ceteris facile fieri poterit. Primus igitur divus Ambrosius fidem suam proferat, qui in libro de iis, qui initiantur mysteriis, testatus est, verum Christi corpus in hoc sacramento sumi, sicut verum ex virgine sumptum est, idque certissima fide tenendum esse; et alio loco docet, ante consecrationem panem ibi esse, post consecrationem autem carnem Christi. Accedat alter testis divus Chrysostomus non minoris fidei et gravitatis, qui quidem quum multis aliis in locis hanc ipsam veritatem profitetur et docet, tum vero praecipue hom. 60. de iis, qui sacra mysteria impure sumunt, itemque hom. 44. et 45. in sanctum Ioannem; ait enim: *Pareamus Deo, neque contradicamus, licet vel cogitationibus vel oculis nostris videatur adversari, quod dicitur: ipsius enim sermo infallibilis est; sensus noster facile seducitur.* His vero omni ex parte consentiunt, quae divus Augustinus, acerrimus catholicae fidei propugnator, semper docuit, atque in primis titulum psalmi 33. exponens; scribit enim: *Portare se in manibus suis, homini impossibile est, solique Christo convenire potest; ferebatur enim ille in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum.* Ac Cyrillus (praetereo Iustinum et Irenaeum) adeo aperte lib. 4. in Ioannem veram Domini carnem in hoc sacramento esse affirmat, ut eius verba nullis possint fallacibus et captiosis interpretationibus obscurari. Quod si

Primo inquirendus est patrum et doctorum ecclesiae per omnia consensu; nam materia haec difficilis est, quae lento gressu discutitur. D. Ambr. de iis, qui myst. init. cap. 9. et de cons. dist. 2. cap. Sicut verus, et cap. In illo etc. Revera lib. 4. de sacram. c. 4. et de cons. dist. 2. c. Pannis est, Chrys. ad populum antiochenum hom. 60. et 61. Idem hom. 44. 45. in Ioan. S. Aug. concione I. versus finem tractans illud I. Reg. 21. ubi habetur de consec. dist. I. c. 92. Secundum Septuaginta legitur: Et ferebatur in manibus suis. S. Cyril. lib. 4. in Ioan. c. 13. 14. et lib. 10. c. 13. Iustin. apologetico 1. sub finem.

1) Dion. lib. de ecel. hier. c. 3.

2) Lib. 8. de trinit.

3) Hieron. ep. ad Damasum de filio prodigo.

4) Lib. 4. de orth. fide c. 14.

Secundo, veritas corporis Christi in eucharistia per contrariae sententiae damnationem ecclesiasticam poterit cognosci.

Berengarius sententiam suam in vercellensi concilio abinravit, ut constat ex cap. Ego Berengarius. Concil. later. c. 1. et habetur de sum. trin. et fide cathol. c. Firmiter. Conc. flor. in doctrina de sacr. c. 4. et can. 22. conc. trid. sess. 13.

pastores alia etiam patrum testimonia requirent, facile erit sanctos <sup>1</sup> Dionysium, <sup>2</sup> Hilarium, <sup>3</sup> Hieronymum, <sup>4</sup> Damascenum addere, innumerabilesque alios, quorum de hac re gravissimas sententias, doctorum et piorum hominum industria et labore in unum congestas, passim legimus.

30. *Quoties contraria opinio in conciliis ecclesiae condemnata sit.*

Altera restat via, qua sanctae ecclesiae iudicium in iis, quae ad fidem pertinent, investigare liceat, contrariae scilicet doctrinae et opinionis damnatio. At vero constat, semper Christi veritatem in sancto eucharistiae sacramento ita per universam ecclesiam diffusam et disseminatam esse, et consentienti voluntate ab omnibus fidelibus receptam, ut, quum ante quingentos annos Berengarius id negare ausus esset, ibique signum tantummodo esse assereret, statim in Vercellensi concilio, quod Leonis IX. auctoritate convocatum fuerat, omnium sententiis condemnatus, ipse haeresim suam anathemati addixerit; qui postea quum ad eandem impietatis insaniam rediisset, tribus aliis conciliis, Turonensi et duobus Romanis, quorum alterum Nicolaus II, alterum Gregorius VII. Pontifices Maximi convocarunt, damnatus est. Eam postea sententiam Innocentius III. in concilio Lateranensi magno confirmavit; ac deinceps a Florentina et Tridentina synodis eiusdem veritatis fides apertius declarata ac stabilita est. Haec igitur si pastores diligenter exposuerint (ut nihil dicamus de iis, qui erroribus obcaecati, nihil magis quam veritatis lucem oderunt), et infirmos confirmare, et piorum mentes summa quadam laetitia et voluptate afficere poterunt.

31. *Quo modo in symbolo dogma de veritate corporis Christi in hoc sacramento includatur.*

Quum praesertim fidelibus dubitare non liceat, quin inter ceteros fidei articulos huius etiam dogmatis fides comprehendatur. Nam, quum Dei summam omnium rerum potestatem credunt et confitentur, credant etiam necesse est, potestatem ei non defuisse maximi huius operis efficien-

di, quod in eucharistiae sacramento admiramur et colimus. Deinde quum credunt sanctam ecclesiam catholicam, necessario sequitur, ut simul credant eam esse, quam explicavimus, huius sacramenti veritatem.

32. *Quanta sit ecclesiae militantis dignitas, ex huius mysterii maiestate ostenditur.*

Sed nihil est profecto, quod ad priorum iucunditatem et fructum addi possit, quum huius altissimi sacramenti dignitatem contemplantur. Primum enim intelligunt, quanta sit evangelicae legis perfectio, cui datum est, id re ipsa habere, quod signis tantum et figuris mosaicae legis tempore adumbratum fuerat. Quare divinitus dictum est a Dionysio, ecclesiam nostram mediam esse inter synagogam et supremam Hierusalem, ac propterea utriusque participem. Ac profecto satis mirari fideles numquam poterunt sanctae ecclesiae perfectionem, eiusque gloriae altitudinem, quum inter eam et caelestem beatitudinem unus tantum gradus interesse videatur. Hoc enim nobis cum caelitibus commune est, ut utrique Christum Deum et hominem praesentem habeamus; sed, quo uno gradu ab iis distamus, illi praesentes beata visione perfruuntur, nos praesentem et tamen ab oculorum sensu remotum, sacrorum mysteriorum admirabili integumento se occultantem, firma et constanti fide veneramur. Praeterea fideles hoc sacramento Christi salvatoris nostri perfectissimam charitatem experiuntur. Eius enim bonitatem maxime decuit, naturam, quam a nobis sumpserat, a nobis numquam subtrahere, sed, quantum fieri posset, esse versarique nobiscum velle, ut illud omni tempore vere et proprie dictum videretur: <sup>1</sup> *Deliciae meae esse cum filiis hominum.*

33. *Ossa, nervi, et quaecumque ad hominis perfectionem pertinent, una cum divinitate hic vere adsunt.*

Iam vero hoc loco etiam explicandum est, non solum verum Christi corpus, et quidquid ad verum corporis rationem pertinet, veluti ossa et nervos, sed etiam totum Christum in hoc sacramento contineri. Docere autem oportet, Christum

Dignitas sacramenti eucharistiae, et ecclesiae propter illud.

Haec habet magna ex parte Thom. in 3. part. q. 75. art. I.

S. Dion. de eccl. hierarch. cap. 7. circa medium.

<sup>1</sup> Prov. 8, 31.

De concomitantia partium corporis Christi in hoc sacramento, de consecrat. dist. 2. cap. Singuli etc.

Ubi panis  
est, Ambr. in  
lib. de iis, qui  
myst. init. c. 9.

Thom. in 3.  
part. q. 76.  
art. I. Christi  
nomen  
Dei et homi-  
nis est. Dam.  
lib. 3. c. 27.

nomen esse Dei et hominis, unius scilicet personae, in qua divina et humana natura coniuncta sit. Quare utramque substantiam, et quae utriusque substantiae consequentia sunt, divinitatem et totam humanam naturam, quae ex anima et omnibus corporis partibus, et sanguine etiam constat, complectitur; quae omnia in sacramento esse credendum est. Nam quum in caelo tota humanitas divinitati in una persona et hypostasi coniuncta sit, nefas est suspicari, corpus, quod in sacramento inest, ab eadem divinitate seiunctum esse.

34. *Sanguis, anima et divinitas non eodem modo in eucharistia, quo corpus Christi, sunt.*

Ex concil.  
ephesino in  
epist. ad Nestor-  
ium, et refer-  
turfur de cont.  
dist. 2. c. Ne-  
cessario.

In termino  
consecrationis  
ex vi verborum  
sunt duo,  
formale et ma-  
teriale.

Scot. 4. dist.  
8. q. 3. litt. KK.  
Quid adsit ex  
eonomicantia  
sess. 13. con-  
cil. trid. de eu-  
charistia c. 3.

In quo tamen pastores animadvertant necesse est, non omnia eadem ratione aut virtute in hoc sacramento contineri. Quaedam enim sunt, quae ex vi et efficientia consecrationis in sacramento esse dicimus: [nam quum verba illa efficiant quidquid significant, id esse in sacramento ex vi sacramenti, divinarum rerum scriptores appellarunt, quod verborum forma exprimitur: ita si contingeret, ut aliquid ab aliis rebus omnino seiunctum esset, id solum, quod forma significaret, in sacramento esse, cetera non item esse docuerunt. Quaedam vero in sacramento continentur, quod illis rebus coniuncta sint, quae forma exprimentur. Nam quum forma, quae ad panem consecrandum adhibetur, corpus Domini significet, quum dicitur: *Hoc est corpus meum,*

1) Matt. 26, 26.

ipsum Christi domini corpus ex vi sacramenti in eucharistia erit. At quia corpori sanguis, anima et divinitas coniungitur, haec quoque in sacramento erunt omnia, non quidem ex consecrationis virtute, sed ut ea, quae corpori coniuncta sunt. Atque haec ex concomitantia in sacramento esse dicuntur; qua ratione totum Christum in sacramento esse perspicuum est. Si enim duo aliqua inter se re ipsa coniungantur, ubi unum sit, ibi alterum etiam esse necesse est. Sequitur itaque totum Christum usque adeo tam in panis, quam in vini specie contineri, ut, quemadmodum in panis specie non corpus modo, sed etiam sanguis

Sub altera eu-  
charistiae spe-  
cie totum Chri-  
stum per con-  
comitantiam  
contineri.

et totus Christus vere inest, sic contra in vini specie non solum sanguis, sed corpus et totus Christus vere insit.

35. *Cur in eucharistia duplex fiat consecratio.*

Sed quamquam haec ita se habere omnibus fidelibus certum et persuasissimum esse debet, optimo tamen iure institutum est, ut separatim duae consecrationes fierent. Primo, ut passio Domini, in qua sanguis a corpore divisus est, magis referatur; cuius rei causa in consecratione sanguinem effusum esse meminimus. Deinde maxime consentaneum fuit, ut, quoniam sacramento ad alendam animam utendum nobis erat, tamquam cibus et potus institueretur, ex quibus perfectum corporis alimentum constare perspicuum est.

36. *Totus Christus in quavis utriusque speciei particula praesens adest.*

Neque vero illud praetermittendum, non solum in utraque specie, sed in quavis utriusque speciei particula totum Christum contineri. Sic enim Augustinus scriptum reliquit: *Singuli accipiunt Christum dominum, et in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se praebet in singulis.* Atque id praeterea ex evangelistis facile colligi potest. Neque enim credendum est, singula panis frusta propria verborum forma a Domino consecrata esse, sed eadem simul omnem panem, qui ad sacra mysteria conficienda atque apostolis distribuenda satis futurus esset. Id quod de calice factum esse apparet, quum ipse dixit: <sup>1</sup> *Accipite, et dividite inter vos.* Hactenus quae explicata sunt, eo pertinent, ut ostendant pastores, verum Christi corpus et sanguinem in eucharistiae sacramento contineri.

37. *Post consecrationem nulla materiae huius sacramenti substantia remanet.*

Nunc, quod alterum erat propositum, docebunt etiam, panis et vini substantiam in sacramento post consecrationem non remanere. Hoc vero quamvis maximam admirationem merito habere possit, tamen cum eo, quod prius demonstratum est, necessario coniungitur. Etenim si

Alex. de Ales.  
4. part. sum-  
mose sacr.  
theol. q. 31.  
mem. 2. Ut ostendatur totam humanam naturam assumpsisse, ut totam redimeret; ideo ergo in duabus specieb. celebratur, ut animae et carnis liberatio in nobis significetur.  
Ambr.

De cons. dist.  
2. c. 76. et habetur in mis.  
Ambr. praef. dominica V. post Epiphan.  
Exod. 15.

Fusius explicatur sess.  
3. conc. trid.  
c. 3. et can. 3.  
et sess. 21. de eom. sub utraque specie cap. 1.

<sup>1</sup>) Luc. 22. 17.

De transubstantiatione  
sess. 13. concil. trid. de euchar. c. 4. et can. 2.

Quomodo corpus Christi in eucharistia

esse incipiat,  
Thom. in 3.  
part. q. 75.  
art. 3.

Non per loci  
mutationem.

Non per  
creationem.

Adest per  
conversionem.

Scot. 4. sent.  
dist. 11. q. 3.  
4. et 5. De nocte  
fit dies, ex mane  
meridies.

Later. conc.  
c. I. Eugenius  
IV. in ep. ad  
arm. data approbata a  
concil. flor. trid.  
synod. sess. 13.  
can. 2.

Transubstantiatio scripturis  
statuitur.  
1) Matt. 26, 26.

2) Ioan. 6, 52.

3) Ibidem 54.

4) Ibidem 56.

est verum Christi corpus sub panis et vini specie post consecrationem, omnino necesse est, quum ibi antea non esset, hoc vel loci mutatione, vel creatione, vel alterius rei in ipsum conversione factum esse. At vero fieri non posse constat, ut corpus Christi in sacramento sit, quod ex uno in alium locum venerit: ita enim fieret, ut a caeli sedibus abesset; quoniam nihil movetur, nisi locum deserat, a quo movetur. Creari autem corpus Christi minus credibile est, ac ne in cogitationem quidem cadere hoc potest; relinquitur ergo, ut in sacramento sit corpus Domini, quod panis in ipsum convertatur: quare nulla panis substantia remaneat necesse est.

38. *Transubstantiatio a conciliis probata in scripturis fundamentum habet.*

Hac ratione adducti patres et maiores nostri in conciliis Lateranensi magno et Florentino huius articuli veritatem apertis decretis confirmarunt. A Tridentina vero synodo explicatius ita definitum est: *Si quis dixerit, in sacrosancto eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine domini nostri Iesu Christi, anathema sit.*

Haec vero ex testimoniis scripturarum facile fuit colligere. Primum, quod in eius sacramenti institutione ipse Dominus dixit: <sup>1</sup> *Hoc est corpus meum*; vocis enim *hoc* ea vis est, ut omnem rei praesentis substantiam demonstret; quod si panis substantia remaneret, nullo modo vere dici videretur: *hoc est corpus meum*. Deinde Christus dominus apud Ioannem: <sup>2</sup> *Panis*, inquit, *quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*; panem videlicet carnem suam vocans. Ac paulo post subiecit: <sup>3</sup> *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; et rursus: <sup>4</sup> *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*. Quum ergo tam claris et perspicuis verbis carnem suam panem et cibum verum, sanguinem item verum potum nominaverit; satis videtur declarasse, nullam in sacramento substantiam panis et vini remanere.



39. *Quo modo patres in hoc sacramento transubstantiationem agnoverint.*

Atque hanc perpetuo sanctorum patrum consentientem fuisse doctrinam, qui eos evolverit, facile intelliget. Divus quidem Ambrosius ita scribit: *Tu forte dicis: meus panis est usitatus; sed panis iste, panis est ante verba sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Quod quidem ut facilius probare posset, varia deinde affert exempla et similitudines. Alibi vero, quum verba illa interpretaretur: <sup>1</sup> *Omnia, quaecumque Dominus voluit, fecit in caelo et in terra; Licet, inquit, figura panis et vini videatur, nihil tamen aliud quam caro Christi et sanguis post consecrationem credendum est.* Atque eisdem fere verbis eandem sententiam sanctus Hilarius exponens, docuit, quamvis extrinsecus panis et vinum videatur, vere tamen corpus et sanguinem Domini esse.

40. *Qua ratione eucharistia post consecrationem etiam panis dicatur.*

Sed moneant pastores hoc loco, mirandum non esse, si post consecrationem panis etiam vocetur. Non enim nomine eucharistia appellari consuevit, tum quia panis speciem habeat, tum quia naturalem alendi et nutriendi corporis vim, quae panis propria est, adhuc retineat. Eam autem esse sacrarum litterarum consuetudinem, ut res ita appellent, cuiusmodi esse videantur, satis ostendit quod in Genesi dictum est, <sup>2</sup> tres viros Abrahamae apparuisse, qui tamen tres angeli erant; <sup>3</sup> et duo illi, qui apostolis, ascendente in caelum Christo domino, apparuerunt, quum essent angeli, viri dicuntur.

41. *Quo modo fiat tam admiranda substantiarum conversio.*

Difficillima est omnino huius mysterii explicatio. Sed tamen conabuntur pastores, iis, qui magis in divinarum rerum cognitione profecerunt (nam qui adhuc imbecilliores sunt, verendum esset ne rei magnitudine opprimerentur), conabuntur inquam tradere huius admirabilis conver-

Transubstantiatio ex consensu patrum ostenditur. D. Amb. l. 4. de sacram. c. 4. et habetur de cons. dist. 2. cap. Panis est.

<sup>1</sup>) Ps. 134. 6. Ex lib. 4. de sacram. c. 4. et 6. de cons. dist. 2. c. Omnia.

S. Hilari. de trinit. lib. 8. et de consec. dist. 2. cap. 28.

Eccles. 10, 31. et 17, 21.

Exod. 7, 20. Eccl. 29, 33.

<sup>2</sup>) Gen. 18, 2.

<sup>3</sup>) Act. I, 10. Vide D. Th. in 3. part. q. 75. art. 4. et 4.

Quam admirabilis sit conversio.

sionis modum, quae ita fit, ut tota panis substantia divina virtute in totam corporis Christi substantiam, totaque vini substantia in totam sanguinis Christi substantiam, sine ulla Domini nostri mutatione, convertatur. Neque enim Christus aut generatur, aut mutatur, aut augetur, sed in una substantia totus permanet. Quod mysterium quomodo

1) D. Ambr. lib. 4. de sacr. c. 4. et habetur de cons. dist. I. c. Panis est.

<sup>1</sup> divus Ambrosius declararet: *Vides, inquit, quam operatorius sit sermo Christi: si ergo tanta vis est in sermone domini Iesu, ut inciperent esse, quae non erant, mundus scilicet; quanto magis operatorius est, ut sint ea quae erant, et in aliud commutentur?* In quam sententiam alii

2) Habetur de cons. 2. dist. cap. Nos autem.

etiam veteres et gravissimi patres scriptum reliquerunt. Divus quidem Augustinus: <sup>2</sup> *Fideliter fatemur, ante consecrationem panem esse et vinum, quod natura formavit; post consecrationem vero carnem Christi et sanguinem, quod benedictio consecravit.* Damascenus: <sup>3</sup> *Corpus secundum veritatem coniunctum est divinitati, corpus ex sancta virgine: non quod ipsum corpus assumptum de caelo descendat, sed quod ipse panis et vinum in corpus et sanguinem Christi transmutentur.*

3) Dam. lib. 14. de orth. fide c. 14.

Scot. 4. sent. dist. 11. q. 3. litt. K.

*Christi transmutentur.*

42. *Stupendae huic conversioni commode nomen impositum est transubstantiatio.*

Trid. syn. sess. 13. can. 4. quod nomen primo auctoritate concil. lat. Magni receptum est c. 1. et habetur de sum. trin. et fide cath. c. 1. Sacrosanctae eucharistiae sacramentum pie credendum, non curiose scrutandum.

Haec itaque admirabilis conversio convenienter et proprie a sancta catholica ecclesia *transubstantiatio* est appellata, quemadmodum sacra Tridentina synodus docuit. Ut enim generatio naturalis, quod forma in ea mutetur, recte et proprie transformatio dici potest; ita etiam quod in sacramento eucharistiae tota unius rei substantia in totam alterius rei substantiam transeat, verbum transubstantiationis recte et sapienter a maioribus nostris inventum est.

Quomodo Christi corpus in minima panis particula totum conti-

43. *Modus transubstantiationis et loci, quo Christus est in hoc sacramento, curiosius non inquirendus.*

Sed illud saepissime a sanctis patribus repetitum, fideles admonendi sunt, ne curiosius inquirent, quo pacto ea mutatio fieri possit. Nec enim percipi a nobis potest, nec in naturalibus

mutationibus, aut in ipsa rerum creatione eius rei exemplum aliquod habemus. Verum, quid hoc sit, fide cognoscendum est; quo modo fiat, curiosius non inquirendum. Non minorem vero cautionem pastores adhibeant oportet in eo etiam mysterio explicando, quo modo Christi domini corpus vel in minima panis particula totum contineatur. Vix enim umquam huiusmodi disputationes instituendae erunt; sed tamen quando christiana charitas hoc postulaverit, primum quidem meminerint fidelium animos illa voce praemunire: <sup>1</sup> *Non erit impossibile apud Deum omne*

neatur. Vide concil. trident. sess. 13. c. 2. et de eon. dist. 2. esp. Singuli, et flor. conc. in decr. de sacrament.

1) Lucae I, 37.

**44. Christi corpus in eucharistia non est ut in loco.**

Deinde vero doceant, Christum dominum in hoc sacramento, ut in loco non esse. Etenim locus res ipsas consequitur, ut magnitudine aliqua praeditae sunt; Christum vero dominum ea ratione in sacramento esse non dicimus, ut magnus aut parvus est, quod ad quantitatem pertinet, sed ut substantia est. Substantia enim panis in Christi substantiam, non in magnitudinem aut quantitatem convertitur; nemo vero dubitat, substantiam aequae in parvo atque in magno spatium contineri. Nam et aeris substantia, totaque eius natura, sic in parva ut in magna aeris parte, itemque tota aquae natura non minus in urnula, quam in flumine insit, necesse est. Quum igitur panis substantiae corpus Domini nostri succedat, fateri oportet, ad eundem plane modum in sacramento esse, quo erat panis substantia ante consecrationem. Ea vero utrum sub magna, an sub parva quantitate esset, nihil ad rem omnino pertinebat.

Christus in sacramento non est ut in loco, nec ut magnus, vel parvus, sed ut substantia, quae integre aequae in parvo et magno spatio continetur.

Thom. 3. part. q. 76.  
Scot. 4. dist. 10. q. 3.  
Alex. 4. part. q. 50. mem. 3. art. 4. et 6.

**45. In hoc sacramento nulla est substantia, cui accidentia panis et vini inhaereant.**

Tertium restat, quod in hoc sacramento maximum atque admirabile videatur: quod quidem, iam duobus aliis explicatis, facilius a pastoribus tractari posse existimandum est; panis videlicet et vini species in hoc sacramento sine aliqua re subiecta constare. Nam quum antea demonstratum sit, corpus Domini et sanguinem vere in

De subsistentia accidentium panis et vini sine aliqua re subiecta. Colligi hoc potest ex c. Hos autem de eon. dist. 8. et cap. Cum

Martae de celebr. missarum §. Quaesivisti, et probat D. Thom. 3. part. q. 75. art. 2. et q. 77. art. 1. et alibi saepe et conc. constan. sess. 8.

sacramento esse, ita ut nulla amplius subsit panis et vini substantia, quoniam ea accidentia Christi corpori et sanguini inhaerere non possunt; relinquitur, ut, supra omnem naturae ordinem ipsa se, nulla alia re nisa, sustentent. Haec perpetua et constans fuit catholicae ecclesiae doctrina; quae etiam facile eorum testimoniorum auctoritate confirmari poterit, quibus antea planum factum est, nullam residere in eucharistia panis aut vini substantiam.

46. *Quare Christus sub panis et vini specie corpus et sanguinem suum tradere voluerit.*

Vide Cyrilum 1. 4. in Ioan. e. 22. Cypr. de coena Domini, Aug. tr. 27. in Ioan.

Thom. in 3. part. quaest. 74. art. 1. et 75. art. 1. Dam. lib. 4. de fid. orth. cap. 14.

Sed nihil magis fidelium pietati convenit, quam, omissis subtilioribus quaestionibus, huius admirabilis sacramenti maiestatem venerari et colere; ac deinde in eo summam Dei providentiam suspicere, quod sacrosancta mysteria sub panis et vini specie administranda instituerit. Nam quum a communi hominum natura maxime abhorreat humanae carnis esca, aut sanguinis potione vesci; sapientissime fecit, ut sanctissimum corpus et sanguis sub earum rerum specie, panis, inquam, et vini, nobis administraretur, quorum quotidiano et communi alimento maxime delectamur. Adiunctae vero etiam sunt duae illae utilitates; quarum prima est, quod ab infidelium calumnia liberati sumus, quam facile effugere non possemus, si Dominum sub propria specie comedere videremur. Altera est, quod dum corpus et sanguinem Domini ita sumimus, ut tamen, quod vere sit, sensibus percipi non possit, hoc ad fidem in animis nostris augendam plurimum valet; quae quidem, ut sancti Gregorii sententia pervulgatum est, *ibi non habet meritum, ubi humana ratio praebet experimentum*. Haec autem quae hactenus exposita sunt, non nisi magna adhibita cautione, pro audientium captu et temporum necessitate explicanda erunt.

47. *Quid boni consequantur, qui corpori et sanguini Domini digne communicaverint.*

Greg. papa homil. 26. in evangelia.

De multiplici et admirabili fructu tanti sacramenti

Verum, quae de huius admirabili sacramenti virtute et fructibus dici possunt, nullum esse genus fidelium existimandum est, ad quos earum

rerum cognitio non pertineat, quibusque maxime necessaria videri non debeat. Ut enim eucharistiae utilitatem fideles intelligant, ob eam potissimum causam, quae de hoc sacramento tam multis verbis disseruntur, cognoscenda sunt. Sed quoniam immensae eius utilitates et fructus nulla oratione explicari possunt, unus aut alter locus a pastoribus tractandus erit, ut ostendant, quanta in sacrosanctis illis mysteriis bonorum omnium copia et affluentia inclusa sit. Hoc vero aliqua ex parte ita assequuntur, si, omnium sacramentorum vi atque natura patefacta, eucharistiam fonti, cetera rivulis comparaverint. Vere enim ac necessario fons omnium gratiarum dicenda est, quum fontem ipsum caelestium charismatum et donorum, omniumque sacramentorum auctorem Christum dominum admirabili modo in se contineat; a quo, tamquam a fonte, ad alia sacramenta, quidquid boni et perfectionis habent, derivatur. Ex hoc igitur divinae gratiae amplissima munera, quae nobis hoc sacramento imperiuntur, facile colligi poterunt.

48. *Quae commoda panis et vinum corpori, ea praestantiori modo eucharistia animae affert.*

Commode etiam fieri videbitur, si panis et vini natura, quae huius sacramenti symbola sunt, perpendatur. Nam, quos usus corpori panis et vinum affert, eos omnes animae saluti et iucunditati, meliori quidem ac perfectiori ratione, eucharistiae sacramentum praebet. Neque enim hoc sacramentum in substantiam nostram, ut panis et vinum, mutatur, sed nos quodammodo in eius naturam convertimur; ut recte illud divi Augustini ad hunc locum transferri possit: *Cibus sum grandium; cresce et manducabis me: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me.*

49. *Quo modo per hoc sacramentum gratia conferatur.*

Quod si <sup>1</sup> *gratia et veritas per Iesum Christum facta est*, in animam quoque influat est necesse, quum eum pure et sancte accipit, qui de se ipso dixit: <sup>2</sup> *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego*

agitur sess. 23. conc. trid. de euch. c. 1. et 5. vide Iren. lib. 4. c. 34. Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 12. et 14. Chrys. hom. 84. in Ioan. Thom. in 3. part. q. 76. per totam; et alibi saepe.

Ambr. lib. 5. de sacram. cap. 4.

Chrysostom. hom. 45. in Ioan.

Per eucharistiam nos Deo, et Deus nobis coniungitur.

Conferatur hic locus cum sect. 6. ult. artic. symb. Aug. lib. 7. conf. c. 10.

<sup>1</sup> Ioan. 1. 17.

<sup>2</sup> Ioan. 6. 57.

*in illo.* Nam qui pietatis et religionis studio affecti hoc sacramentum sumunt, nemini dubium esse debet, quin ita filium Dei in se admittant, ut eius corpori tamquam viva membra inserantur. Siquidem scriptum est: <sup>1</sup> *Qui manducat me, et ipse vivet propter me;* item: <sup>2</sup> *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Quem locum Cyrillus dum interpretaretur, ait: *Dei verbum uniens se ipsum propriae carni, fecit ipsam vivificativam. Eum ergo decebat miro quodam modo uniri corporibus per sacram eius carnem et pretiosum sanguinem, quae accipimus in benedictione vivificativa in pane et vino.*

50. *Homo peccatis foedatus ac mortuus eucharistiae sumptione non vivificatur, etiamsi hoc sacramentum gratiam conferre dicatur.*

- 1) Ibidem 58.  
2) Ibidem 52.  
B. Cyril. lib.  
4. in Ioan. e.  
l. 14. et ep. 10.  
ad Nest.

Quomodo hoc sacramentum sit gratiae causa. Thom. 3. p. q. 76. art. 3. vide lib. de eccl. dogm. e. 53. conc. trid. sess. 11. e. 7. et can. 11. et de consecr. dist. I. e. Qui scelerate, et c. Quid est Christum, et c. Si-ent Iudas.

Verum, quod dicitur eucharistia gratiam tribui, pastores admoneant oportet, ita intelligendum non esse, perinde ac necesse non sit, ut, qui re ipsa hoc sacramentum utiliter percipiturus est, gratiam antea adeptus fuerit. Constat enim, quemadmodum mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodest, ita etiam animae, quae spiritu non vivit, sacra mysteria non prodesse. Ac propterea panis et vini speciem habent, ut significetur, non quidem revocandae ad vitam animae, sed in vita conservandae causa instituta esse. Verum hoc ideo dictum est, quoniam prima etiam gratia (qua omnes praeditos esse oportet, ante quam sacram eucharistiam ore contingere audeant, <sup>3</sup> ne iudicium sibi manducant et bibant) nemini tribuitur, nisi hoc ipsum sacramentum desiderio et voto percipiat. Est enim omnium sacramentorum finis, et ecclesisticae unitatis ac coniunctionis symbolum; neque extra ecclesiam consequi gratiam ullus potest.

51. *Quo modo anima hoc spirituali cibo reficiatur et augetur.*

- 3) I. Cor. 11, 20.

Quomodo hoc sacramentum sit de necessitate salutis saltem in voto, vide apud Thom.

Deinde quoniam, uti corpus cibo naturali non conservatur modo, sed etiam augetur, gustusque novam quotidie ex eo voluptatem et suavitatem percipit, ita etiam sacrae eucharistiae cibus non solum animam sustentat, sed vires

illi addit, efficitque ut spiritus divinarum rerum delectatione magis commoveatur; ob eam causam fit, ut gratiam hoc sacramento tribui, recte et verissime dicatur. Iure enim <sup>1</sup> mannae comparari potest, ex quo *omnis saporis suavitas* percipiebatur.

in 3. part. q. 73. art. 3. et q. 79. art. 1. ad 1.

1) Sap. 16, 20. Ioan. 6, 49.

52. *Per eucharistiam peccata leviora dimittuntur.*

Remitti vero eucharistia et condonari leviora peccata, quae venialia dici solent, non est quod dubitari debeat. Quidquid enim cupiditatis ardore anima amisit, dum levi aliqua in re parum offendit, id totum eucharistia, eas ipsas minores culpas abstergens, restituit. Quemadmodum etiam (neque enim a proposita similitudine discedendum videtur) quod innati caloris vi quotidie detrahitur ac deperit, paulatim addi et refici naturali alimento sentimus. Quare merito a divo Ambrosio de hoc caelesti sacramento dictum est: *Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianae infirmitatis*. Verum haec de iis peccatis intelligenda sunt, quorum sensu et delectatione animus non permovetur.

Innoc. 3. lib. 4. de myst. alt. cap. 44. Bern. serm. in coena Domini.

Cypr. lib. 4. in Ioan. c. 17. et lib. 3. c. 37. Et in collecta dicitur: Sit ablutio scelestorum.

Ambr. in lib. 4. de sacr. c. 5, et lib. 5. c. 4.

53. *Per hoc item sacramentum anima a futuris malis praeservatur.*

Illam praeterea in sacris mysteriis vis est, ut nos a criminibus puros et integros, atque a temptationum impetu incolumes servet, ac tamquam caelesti medicamento animam praeparet, ne alicuius mortiferae perturbationis veneno facile infici ac corrumpi queat. Atque ob eam etiam causam, ut testatur divus Cyprianus, quum olim a tyrannis fideles ad tormenta et caedem propter christiani nominis confessionem vulgo raperentur, ne illi, forte dolorum acerbitate victi, in salutari certamine deficerent, vetus in ecclesia catholica mos fuit, ut eis ab episcopis dominici corporis et sanguinis sacramenta praeberentur. Sed carnis etiam libidinem cohibet ac reprimit: dum enim charitatis igne animos magis incendit, concupiscentiae ardorem restinguat necesse est.

Thom. ead. q. 79. art. 6. ex Ioan. c. 6. Aug. tract. 26. in Ioan.

S. Cypr. lib. 1. epist. 3. ad Cornelium.

54. *Quo modo per hoc sacramentum aditus ad aeternam gloriam pateat.*

Postremo, ut uno verbo omnes huius sacra-

Thom. in 3.

part. q. 19. menti utilitates et beneficia comprehendantur,  
 art. 2. dicendum est, sacrae eucharistiae summam vim  
 Chrys. de esse ad aeternam gloriam comparandam; scri-  
 sacerdot. lib. 6. ptum est enim: <sup>1</sup> *Qui manducat meam carnem, et*  
 1) Ioan. 6, 55. *bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam,*  
*et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Huius  
 videlicet sacramenti gratia fideles, dum hanc  
 vitam degunt, summa conscientiae pace et tran-  
 quillitate perfruuntur: deinde huius virtute re-  
 2) 3. Reg. 19, 8. creati, non secus atque Elias, <sup>2</sup> qui subcinericii  
 panis fortitudine ambulavit usque ad montem  
 Dei Horeb, quum ex vita emigrandi tempus ad-  
 venit, ad aeternam gloriam et beatitudinem  
 ascendunt. Haec omnia a pastoribus latissime  
 explicabuntur, si vel divi Ioannis cap. 6, in quo  
 multiplices huius sacramenti effectus aperiuntur,  
 tractandum sumpserint; vel admiranda Christi  
 domini facta percurrentes, ostenderint, quum  
 eos iure ac merito beatissimos fuisse existima-  
 mus, <sup>3</sup> in quorum tecta mortalis receptus est,  
 vel qui illius <sup>4</sup> vestis aut fimbriae tactu sanita-  
 tem recuperarunt, multo nos beatiore et felici-  
 3) Matt. 8, 14. et 9, 10.  
 Lucae 10, 38.  
 4) Matt. 9, 20.  
 21.  
 5) Conc. tri- dent. 13. c. 8.  
 6) I. Cor. 11, 27.  
 Aug. de con- secr. dist. 2.  
 c. Quid est, et in tract. 26. in Ioan. et lib. 5. de bap. contr.

55. *Quot modis corpori et sanguini Domini commu-  
 nicemus.*

De modis  
 recipiendi eu-  
 charistiam.

Verum docendum est, a quibus ingentes illi  
 sacrae eucharistiae fructus, qui modo comme-  
 morati sunt, percipi possint, neque unam tan-  
 tum esse communicandi rationem, ut fidelis po-  
 pulus discat meliora charismata aemulari. Recte  
 igitur et sapienter maiores nostri, ut in <sup>5</sup> Tri-  
 dentina synodo legimus, tres huius sacramenti  
 sumendi rationes distinxerunt. Alii enim sacra-  
 mentum tantum accipiunt, ut peccatores, qui  
 sacra mysteria impuro ore et corde accipere non  
 verentur, quos Apostolus ait <sup>6</sup> indigne manduca-  
 re et bibere corpus Domini. De his divus Au-  
 gustinus ita scribit: *Qui non manet in Christo,*  
*et in quo non manet Christus, procul dubio non*  
*manducat spiritualiter eius carnem, licet car-*



*naliter et visibiliter premat dentibus sacramenta corporis et sanguinis.* Qui itaque hoc modo affecti sacra mysteria accipiunt, non solum ex his nullum capiunt fructum, sed, ipso <sup>1</sup> Apostolo teste, *iudicium sibi manducant et bibunt.* Alii vero spiritu tantummodo eucharistiam sumere dicuntur: ii sunt, qui desiderio et voto propositum caelestem illum panem comedunt, *fide viva incensi,* <sup>2</sup> *quae per dilectionem operatur;* ex quo si non omnes, maximos certe utilitatis fructus consequuntur. Alii denique sunt, qui sacramento et spiritu sacram eucharistiam percipiunt; qui, quum ex Apostoli doctrina <sup>3</sup> prius se probaverint, ac <sup>4</sup> veste nuptiali ornati ad divinam hanc mensam accesserint, ex eucharistia capiunt uberrimos illos, quos antea diximus, fructus. Quare perspicuum est, eos se maximis et caelestibus bonis privare, qui quum ad corporis Domini sacramentum etiam sumendum parati esse possint, satis habent, spiritu tantum sacram communionem accipere.

*56. Antequam quis ad eucharistiam accedat, praeparandum animum esse ostenditur.*

Sed iam docendum est, qua ratione praeparatos fidelium animos esse oporteat, antequam ad sacramentalem eucharistiae perceptionem veniant. Ac primum quidem, ut pateat eam praeparationem maxime necessariam esse, Salvatoris nostri exemplum proponendum est. Nam antequam apostolis pretiosi corporis et sanguinis sui sacramenta daret, quamvis iam mundi essent, <sup>5</sup> pedes eorum lavit, ut declararet, omnem diligentiam adhibendam esse, ne quid nobis ad summam animi integritatem et innocentiam desit, quum sacra mysteria percepturi sumus. Deinde vero fideles intelligant, quemadmodum si optime affecto et praeparato animo eucharistiam aliquis sumat, amplissimis caelestis gratiae muneribus ornatur; ita contra, si imparatus accipiat, non solum nihil commodi, sed maxima etiam incommoda et detrimenta eum accipere. Optimis enim rebus et maxime salutaribus hoc proprium est, ut, si in tempore iis utamur,

Donat. cap. 8. et mag. in 4. dist. 9. lit. B. et Thum. in 3. part. q. 8n. art. 1.

Triplici modo sumitur euchar. sacramentaliter tantum, et corporaliter.

1) 1. Cor. 11. 29.

Spiritualiter.

2) Gal. 5. 6.

Sacramentaliter, et spiritualiter simul.

3) 1. Cor. 11.

28.

4) Matt. 23. 11.

Qui communicare sacramentaliter negligunt, quantis se privent fructibus.

De praeparatione ad eucharist. sess.

13. concil. trid.

de euchar. c.

7. et can. 11.

vide Basil. q.

111. in reg.

brevioribus.

5) Ioan. 13. 5.

Thum. in 3.

part. q. 8n.

art. 4.

vehementer prosint; sin alieno tempore adhibeantur, perniciem et exitium afferant. Quare mirandum non est, ingentia quoque et praeclarissima Dei dona, quum bene constituto animo accipiuntur, ad caelestem gloriam consequendam maximo nobis adiumento esse; at vero, quum iis nos ipsos indignos praebemus, sempiternam mortem afferre. Id vero arcae Domini exemplo comprobatur; <sup>1</sup> arca enim foederis, qua nihil praestantius israeliticus populus habuit, cui etiam per illam maxima et innumerabilia beneficia Dominus tribuerat, a <sup>2</sup> Philisthaeis ablata, summam illis pestem et calamitatem cum aeterno dedecore coniunctam importavit. Sic etiam cibi, qui ore accepti in stomachum bene affectum illabuntur, corpora alunt et sustentant; qui vero in stomachum vitiosis humoribus plenum infundi solent, graves morbos efficiunt.

*55. Quo pacto animus ad eucharistiam sit praeparandus.*

Ad dignam eucharistiae sumptionem primo discernendus est caelestis panis a communi.

- 3) Ps. 96, 8.  
Hebr. I, 6.  
4) Job 26, 11.  
5) Isa. 6, 3.

- 6) I. Cor. 11, 29.

Primam itaque illam praeparationem fideles adhibeant, ut discernant mensam a mensa, hanc sacram ab aliis profanis, caelestem hunc panem a communi. Atque hoc fit quum certo credimus, praesens esse verum corpus et sanguinem Domini, <sup>3</sup> quem iu caelo angeli adorant, <sup>4</sup> ad cuius nutum columnae caeli contremiscunt et pavent, cuius <sup>5</sup> gloria plenum est caelum et terra. Hoc nimirum est diiudicare corpus Domini, quod <sup>6</sup> Apostolus admonuit; cuius tamen mysterii magnitudinem venerari potius oportet, quam in disputationibus eius veritatem curiosius perquirere.

Secundo reconciliatio cum inimicis facienda est.

- 7) I. Ioan. 3, 14.  
8) Matt. 5, 23, 24.

Altera vero illa praeparatio maxime necessaria est, ut unusquisque a seipso quaerat, num pacem cum aliis habeat, <sup>7</sup> num proximos vere atque ex animo diligit. Inquit enim Matthaeus: *8 Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.*

Tertio con-

Deinde conscientiam nostram scrutari dili-

gener debemus, ne forte exitiali aliquo peccato contaminati simus, cuius poenitere necesse sit, ut prius contritionis et confessionis medicamento illud eluatur. Definitum est enim a sancta Tridentina synodo, nemini licere, quem mortalis peccati conscientia stimulet, si sacerdotis facultas data sit, antequam se sacramentali confessione purgarit, quantumvis sibi contritus esse videatur, sacram eucharistiam accipere.

Praeterea taciti cum animis nostris cogitemus, quam indigni simus, quibus divinum hoc beneficium a Domino tribuatur. Quare illud Genturionis <sup>1</sup> de quo idem ipse Salvator testatus est, se non invenisse tantam fidem in Israel, ex animo dicendum est: <sup>2</sup> *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Exquiramus etiam a nobis ipsis, an illud Petri usurpare nobis liceat: <sup>3</sup> *Domine, tu scis, quia amo te.* Meminisse enim oportet, eum, qui sine <sup>4</sup> veste nuptiali in convivio Domini accubuerat, in tenebrosam carcerem coniectum, sempiternis poenis addictum fuisse.

58. *Etiam corporis aliqua ratio communicare volenti est suscipienda.*

Neque vero animi solum, sed etiam corporis praeparatione opus est. Nam ieiuni ad sacram mensam accedere debemus, ita ut saltem a dimidia antecedentis diei nocte, usque ad illud temporis punctum, quo sacram eucharistiam accipimus, nihil omnino comederimus aut biberimus. Postulat etiam tanti sacramenti dignitas, ut qui matrimonio inuncti sunt, aliquot dies a concubitu uxorum absterneant, <sup>5</sup> Davidis exemplo admoniti, qui quum panes propositionis a sacerdote accepturus esset, purum se et pueros suos ab uxorum consuetudine tres ipsos dies professus est. Haec fere sunt, quae maxime observari a fidelibus oportet, ut se ad sacra mysteria utiliter accipienda antea parent. Reliqua enim, quae hac in re providenda esse videantur, ad haec ipsa capita facile redigi poterunt.

scientia per sacramentum poenitentiae a capitalibus vitiis eluenda est; synod. trident. sess. 13. can. 11.

Quarto praemittenda est humilis de se ipso existimatio.

1) Matt. 8, 10.

2) Ibid. 8, 8.

Quinto est videndum, an vera charitas simul praediti.

3) Ioan. 21, 15.

4) Matt. 22, 11.

Ieiunios communicantes esse necesse est, de consecrat. dist. 2. c. 54. Liquido. Item castos vide 33. q. 4. cap. I. Sciat, et c. 7. Vir cum propria. 31. q. 4. et c. 21. Omnis homo de cons. dist. 2. Exod. 12, 29. 5) I. Reg. 21. 3. 4. 5.

59. *Christiani omnes eucharistiam sumere saltem semel in anno tenentur.*

Conc. Later.  
c. 11, et habetur de poenit.  
et remiss. cap. Omnis.  
Sess. 13, con-  
trid. de eucha-  
ristia can. 9.

Sed ne forte aliqui segiores ad hoc sacramentum percipiendum reddantur, quod tantam praeparationem adhibere grave admodum et difficile ducant, fideles saepe admonendi sunt, omnibus eam legem propositam esse, ut sacram eucharistiam accipiant. Praeterea constitutum est ab ecclesia, ut qui semel saltem singulis annis in Pascha non communicaverit, ab ecclesia arceatur.

60. *Quoties et quibus temporibus percipienda sit eucharistia.*

Saepius communicandum.  
Ambr. lib. 5,  
de sacram. c.  
4. vide Aug.  
in lib. 5<sup>o</sup>, be-  
mil. 41, et de  
bonnpersever.  
c. 14, et ep.  
118, ad Iannar.  
Vide item c.  
Peracta, et c.  
I. Si quoties-  
cumque etc.  
Si non tan-  
ta sunt de con-  
secr. dist. 2.

Neque tamen fideles hoc satis habeant, se, huius decreti auctoritati obtemperantes, semel tantummodo corpus Domini quotannis accipere; verum saepius iterandam eucharistiae communionem existiment. Utrum autem singulis mensibus vel hebdomadis vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula praescribi non potest; verum tamen illa est sancti Augustini norma certissima: *Sic vive, ut quotidie possis sumere.* Quare parochi partes erunt, fideles crebro adhortari, ut, quemadmodum corpori in singulis dies alimentum ministrare necessarium putant; ita etiam quotidie hoc sacramento alendae et nutriendae animae curam non abiiciant. Neque enim minus spirituali cibo animam, quam naturali corpus indigere perspicuum est. Vehementer autem proderit hoc loco repetere maxima illa et divina beneficia, quae, ut antea demonstratum est, ex eucharistiae sacramentali communionem consequimur. Illa etiam figura erit addenda,<sup>1</sup> quum singulis diebus corporis vires manna reficere oportebat; itemque sanctorum patrum auctoritates, quae frequentem huius sacramenti perceptionem magnopere commendant. Neque enim unius sancti patris<sup>2</sup> Augustini ea fuit sententia: *Quotidie peccas, quotidie sume;* sed, si quis diligentér attenderit, eundem omnium<sup>3</sup> patrum, qui de hac re scripserunt, sensum fuisse, facile comperiet.

1). Exod. 16,  
15.

2) D. Aug. ser.  
28. de verbis  
Domini.

3) Ignatius in  
ep. ad ephes.  
Basil. ad Cae-  
sarium patr.  
Amb. lib. 5,  
de sacram. c. 4.

61. *Communicandi morem in ecclesia olim frequentem fuisse demonstratur.*

Ac tempus quidem olim fuisse, quum fideles quotidie eucharistiam acciperent, ex <sup>1</sup> apostolorum actis intelligimus. Omnes enim, qui tunc fidem christianam profitebantur, vera et sincera charitate ita ardebant, ut, quum sine intermissione orationibus et aliis pietatis officiis operam darent, quotidie ad sacra dominici corporis mysteria sumenda parati invenirentur. Eam postea consuetudinem, quae intermitti videbatur, Anacletus, sanctissimus Martyr et Pontifex, aliqua ex parte renovavit. Praecepit enim, ut ministri, qui missae sacrificio interessent, communicarent; quod ab apostolis constitutum esse affirmaret. Diu etiam in ecclesia ille mos fuit, ut sacerdos, peracto sacrificio, quum eucharistiam sumpsisset, ad populum, qui aderat, conversus, his verbis ad sacram mensam fideles invitaret: *Venite fratres ad communionem*; tunc qui parati erant, summa cum religione sacrosancta mysteria sumebant. Sed quum deinde charitas et pietatis studium adeo refrixisset, ut raro admodum ad communionem fideles accederent; sancitum est a Fabiano Pontifice, ut ter quotannis, in Natali Domini, et Resurrectione, et Pentecoste omnes eucharistiam sumerent; id quod postea a multis conciliis, praesertim vero ab Agathensi primo confirmatum est. Ad extremum, quum eo res adducta esset, ut non modo sancta illa et salutaris praeceptio non servaretur, sed in plures etiam annos sacrae eucharistiae communio differretur; decretum est in Lateranensi concilio, ut semel ad minus singulis annis in Pascha fideles omnes sacrum Domini corpus acciperent; qui vero id facere neglexissent, ecclesiae aditu prohiberentur.

62. *Pueris nondum ratione utentibus eucharistiam administrare non convenit.*

Verum quamvis haec lex Dei, et ecclesiae auctoritate sancita, ad omnes fideles pertineat; docendum est tamen eos excipi, qui nondum ra-

<sup>1</sup>) Act. 2, 42.

S. Anacletus ep. 2, et citatur de cons. dist. 2. c. Peracta. Vide Dionys. Arcop. de eccl. hier. c. 3. et Greg. lib. 2. dial. cap. 23. S. Fabian. ep. 3. ad Hilar. episc. et habetur de cons. dist. 2. cap. Etai. Praecipitur ut fideles ter in anno communicent.

Conc. taron. III. c. 50. conc. agat. c. 38. et mabilion. II. concil. later. can. I. et citatur de poenit. et remis. c. Oranis, et trid. sess. 13. can. 9. Praecipitur, ut fideles semel ad minus communicent.

Infantibus eucharistia non est administranda.

Conc. trid. sess. 21. de communione sub utraque specie c. 4. et ean. 4.

Thom. in 3. part. q. 80. art. 9.

1) Matt. 26. 26.

Vide Cypr. serm. 5. De lapsis post mediam.

tionis usum propter aetatis imbecillitatem habent. Hi enim neque sacram eucharistiam a profano et communi pane sciunt discernere, neque ad eam accipiendam pietatem animi et religionem afferre possunt. Atque id etiam a Christi domini institutione alienissimum videtur; ait enim: *Accipite, et comedite*; infantes autem idoneos non esse, qui accipiant et comedant, satis constat. Vetus quidem illa fuit in quibusdam locis consuetudo, ut infantibus etiam sacram eucharistiam praeberent; sed tamen tum ob eas causas, quae antea dictae sunt, tum ob alias christianae pietati maxime consentaneas, iamdiu eiusdem ecclesiae auctoritate id fieri desiit.

*63. Qua aetate pueris sacra mysteria danda sint.*

Qua vero aetate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit, quam pater et sacerdos, cui illi confitentur peccata; ad illos enim pertinet explorare, et a pueris percunctari, an huius admirabilis sacramenti cognitionem aliquam acceperint, et gustum habeant.

*64. Licet insanos aliquando ad communionem admittere.*

Conc. Arau. cap. 3. et habetur 28. q. 6. cap. Qui recedunt. Th. ibid. conc. carthag. 4. c. 76. et habetur 26. q. 6. cap. 15. Qui per poenitentiam.

Amentibus praeterea, qui tunc a pietatis sensu alieni sunt, sacramenta dare minime oportet. Quamvis si ante quam in insaniam incidissent, piam et religiosam animi voluntatem praesetulerunt, licebit eis in fine vitae, ex concilii Carthaginensis decreto, eucharistiam administrare, modo vomitionis, vel alterius indignitatis et incommodi periculum nullum timendum sit.

*65. Laicis sub utraque specie communicandum non est.*

Laicis, nisi accedat ecclesiae auctoritas, sub altera tantum specie communicandum est.

Trid. syn. sess. 21. de commun. sub utraque specie c. 1. 2. 3. cum 1. 2. et 3.

Quod vero ad communicandi ritum pertinet, doceant parochi, sanctae ecclesiae lege interdictum esse, ne quis sine ipsius ecclesiae auctoritate, praeter sacerdotes, corpus Domini in sacrificio conficientes, sub utraque specie sacram eucharistiam sumat. Nam, ut a Tridentina synodo explicatum est, quamvis Christus dominus in ultima coena altissimum hoc sacramentum in panis et vini speciebus instituerit, et apo-

stolis tradiderit; ex eo tamen non efficitur, hanc legem a Domino salvatore constitutam esse, ut omnibus fidelibus sacra mysteria sub utraque specie administranda sint. Etenim Dominus noster quum de hoc sacramento loqueretur, alterius tantum speciei saepius meminit, ut quum inquit: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; et: Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*

1) Ioan. 6, 52.  
59.

66. *Rationes, ob quas ecclesia alterius tantum speciei usum laicis concesserit.*

Multis vero, et iis quidem gravissimis rationibus, adductam esse ecclesiam patet, ut hanc potissimum sub altera specie communicandi consuetudinem non solum approbaret, sed etiam decreti auctoritate firmaret.

Laicis una tantum pars conceditur, ut I. reg. 2. Dimitte me obsecro ad unam partem sacerdotalem.  
Prima ratio.

Primum enim maxime cavendum erat, ne sanguis Domini in terram funderetur; quod quidem facile vitari posse non videbatur, si in magna populi multitudine eum ministrare oportuisset.

Praeterea, quum sacra eucharistia aegrotis praesto esse debeat, magnopere timendum erat, ne si diutius vini species asservaretur, coaceresceret.

Secunda ratio.  
Conc. nic. can. 12. auel. can. 24.

Permuli praeterea sunt, qui vini saporem, ac ne odorem quidem perferre ullo modo possint. Quare, ne, quod spiritualis salutis causa dandum est, corporis valetudini noceret, prudentissime sancitum est ab ecclesia, ut panis tantummodo speciem fideles acciperent.

Tertia ratio.

Accedit ad alias rationes, quod in pluribus provinciis summa vini penuria laboratur; neque id aliunde sine maximis impensis, ac non nisi longissimis ac difficillimis itineribus conveyi potest.

Quarta ratio.

Deinde, quod maxime omnium ad rem pertinet, convellenda erat eorum haeresis, qui negabant, sub utraque specie totum Christum esse, sed corpus tantum exsanguie sub panis, sanguinem autem sub vini specie contineri asserebant. Ut igitur fidei catholicae veritas magis ante omnium

Quinta ratio.  
Totum Christum in eucharistia contineri scribunt Basil. ad Caes. Patr. Cyril. ad Galosyr. et in

Ioan. lib. 4. c. 14. oculos poneretur, sapientissimo consilio alterius speciei, hoc est panis, communio inducta est. Sunt et aliae rationes ab iis collectae, qui de hoc argumento disserunt, quae, si opus esse videbitur, a parochis afferri poterunt. Iam de ministro, quamvis id a nemine fere ignorari possit, agendum est, ne quid praetermissum sit, quod ad huius sacramenti doctrinam pertinere videatur.

67. *Proprius huius sacramenti minister est sacerdos.*

Itaque tradendum est, solis sacerdotibus potestatem datam esse, <sup>1</sup> ut sacram eucharistiam conficiant, ac fidelibus distribuant. Eum autem morem in ecclesia semper servatum esse, ut fidelis populus a sacerdotibus sacramenta acciperet, sacerdotes autem sacra facientes ipsi se communicarent, sancta Tridentina synodus explicavit, ostenditque, hanc consuetudinem, tamquam ab apostolica traditione profectam, religiose retinendam esse, quum praesertim huius rei illustre nobis exemplum Christus dominus reliquerit, qui et sanctissimum suum corpus consecravit, <sup>2</sup> et apostolis suis manibus porrexit. Verum, ut quacumque ratione tanti sacramenti dignitati consuleretur, non modo eius administrandi potestas solis sacerdotibus data est, sed lege etiam ecclesia vetuit, ne quis, nisi consecratus esset, sacra vasa, lintea, et alia instrumenta, quae ad illius confectionem necessaria sunt, tractare aut tangere auderet, modo gravis aliqua necessitas non incideret.

68. *Potest eucharistia per improbos sacerdotes vel consecrari, vel administrari.*

Thom. in 3. part. q. 8. 16. art. 5. vide item conc. trid. sess. 14. cap. 6. et can. 10.

Ex quo tum sacerdotes ipsi, tum reliqui fideles intelligere possunt, quanta religione et sanctitate praeditos esse oporteat, qui ad eucharistiam vel consecrandam, vel administrandam, vel sumendam accedunt. Quamquam, quod antea de ceteris sacramentis dictum est, ea non minus ab improbis administrari, si, quae ad illorum perfectam rationem attinent, rite servantur, idem valet in eucharistiae sacramento. Neque enim haec omnia ministrorum merito niti, sed



Christi domini virtute et potestate geri credendum est. Haec sunt, quae de eucharistia, ut sacramentum est, explicanda erunt. Nunc, quod restat dicendum, ut sacrificium est, explanare oportet; ut intelligant parochi quae potissimum de hoc mysterio, quemadmodum sancta synodus decrevit, dominicis et festis diebus fidei populo tradere debeant.

69. *Eucharistia, peculiare novi testamenti sacrificium, Deo est acceptissimum.*

Etenim hoc sacramentum non solum thesaurus est caelestium divitiarum, quo si bene utamur, Dei gratiam nobis conciliamus et amorem; sed in eo praecipua quaedam ratio inest, quae ei pro immensis in nos collatis beneficiis aliquam gratiam referre possimus. At vero haec victima si rite et legitime immoletur, quam grata et accepta Deo sit, ex hoc colligitur. Si enim veteris legis sacrificia, de quibus scriptum est: *1* *Sacrificium, et oblationem noluisti; et iterum: 2* *Si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis;* ita placuerunt Domino, ut *3* scriptura, Deum odoratum esse odorem suavitatis, idest grata ei et accepta fuisse, testetur; quid nobis sperandum de eo sacrificio, in quo ille ipse immolatur atque offertur, de quo caelestis vox bis audita est: *4* *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui?* Hoc igitur mysterium parochi diligenter exponent, ut, quum fideles ad rem divinam conveuerint, attente et religiose sacra illa, in quibus intersunt, meditari discant.

70. *Quae sint causae, ob quas eucharistia a Christo domino instituta est.*

In primis autem docebunt, eucharistiam duabus de causis a Christo domino institutam esse: altera est, *5* ut caeleste animae nostrae alimentum esset, quo vitam spiritualem tueri et conservare possemus; altera, ut ecclesia perpetuum sacrificium haberet, quo peccata nostra expiantur, et caelestis pater, sceleribus nostris saepe graviter offensus, ab ira ad misericordiam, a iustae animadversionis severitate ad clementiam

De eucharist. ut est sacrificium.

Sess. 22. concil. trid. in princip.

Sacramenti et sacrificii discrimen innotuit.

Eucharistiae sacrificium quam sit Deo gratum.

Vide Isa. c. 56. et 61. Ier. 33. Mas. 1.

Aug. lib. 20. contr. Faustum cap. 21.

1) Ps. 39. 7.

2) Ps. 50. 18.

3) Gen. 8. 21.

4) Matt. 3. 17. 17. 5.

Eucharistiam a Christo esse institutam tum ut sit sacramentum, tum ut sacrificium.

5) Prov. 9. 2. Ioan. 6. 35. 48. 1. Cor. 10. 16. 26. sess. 22.

Concil. trid. de sacrific. missae c. 3. 2.

Dionys. de  
eccl. hierarch.  
cap. 3. Ignat.  
ad Smyrnens.  
Similitudo a-  
gni pasch.  
1) Exod. 12,  
3. 4.

traduceretur. Huius rei figuram et similitudinem in agno paschali licet animadvertere, qui, ut sacrificium et sacramentum, a filiis Israel offerri et comedi consueverat. Nec vero, quum Salvator noster Deo patri se ipsum in ara crucis oblaturus esset, ulla suae erga nos immensae charitatis illustriorem significationem dare potuit, quam quum nobis visibile sacrificium reliquit, quo cruentum illud, semel in cruce paulo post immolandum, instauraretur, eiusque memoria usque in finem saeculi quotidie summa cum utilitate ab ecclesia per universum orbem diffusa coleretur.

71. *Quo modo sacramentum a sacrificio secernatur.*

Diffusius sa-  
cramenti et sa-  
crificii disci-  
men exponi-  
tur.

Differunt autem plurimum inter se hae duae rationes: sacramentum enim consecratione perficitur; omnis vero sacrificii vis in eo est, ut offeratur. Quare sacra eucharistia, dum in pyxide continetur, vel ad aegrotum defertur, sacramenti, non sacrificii, rationem habet. Deinde etiam, ut sacramentum est, iis, qui divinam hostiam sumunt, meriti causam affert et omnes illas utilitates, quae superius commemoratae sunt; ut autem sacrificium est, non merendi solum, sed satisfaciendi quoque efficientiam continet. Nam ut Christus dominus in passione sua pro nobis meruit ac satisfecit; sic, qui hoc sacrificium offerunt, quo nobiscum communicant, dominicae passionis fructus merentur, ac satisfaciunt.

72. *Quo tempore istud novi testamenti sacrificium sit institutum.*

Sacrificium  
novi testamen-  
ti quando sit  
institutum,  
trid. synod.  
sess. 22. de sa-  
crificio missae,  
c. 1. et can. 1,  
et 2.  
2) Lucae 22,  
19. 20.

Iam de huius sacrificii institutione nullum ambigendi locum sancta Tridentina synodus reliquit. Declaravit enim, <sup>2</sup> in extrema coena a Christo domino institutum esse, simulque anathemate eos damnavit, qui asserunt, verum et proprium sacrificium Deo non offerri, aut offerre nihil aliud esse, quam Christum ad manducandum dari.

73. *Non licet sanctis aut ulli creaturae sacrificium offerri.*

Soli Deo sa-  
crificium in  
missa offerri.

Nec vero illud praetermisit, quin diligenter explicaret, uni Deo sacrificium fieri. Nam etsi

ecclesia interdum missas in memoriam et honorem sanctorum celebrare consuevit; non tamen illis sacrificium, sed uni Deo, qui sanctos immortalis gloria coronavit, offerri docuit. Quare nec sacerdos umquam dicere solet: *Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule*; sed dum uni soli Deo immolat, gratias illi agit pro beatissimorum martyrum insigni victoria, eorumque patrocinium ita implorat, *ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in caelis, quorum memoriam agimus in terris.*

74. *Unde doctrina illa sacrificii et sacerdotii novae legis hauriatur.*

Haec autem, quae de huius sacrificii veritate a catholica ecclesia tradita sunt, ex Domini verbis accepit, quum extrema illa nocte haec ipsa sacra mysteria apostolis commendans, <sup>1</sup> *Hoc facite, inquit, in meam commemorationem.* Eos enim, quemadmodum a sancta synodo definitum est, tunc sacerdotes instituit, praecepitque, ut ipsi, et qui eis in sacerdotali munere successuri essent, corpus eius immolarent et offerrent. Atque id etiam Apostoli verba ad Corinthios scripta satis demonstrant, quum ait: <sup>2</sup> *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum: non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum.* Ut enim pro daemoniorum mensa altare, in quo eis immolabatur, intelligendum est; ita etiam (ut, quod Apostolus proponit, probabili argumentatione concludatur) mensa Domini nihil aliud, nisi altare, in quo sacrificium Domino fiebat, significare potest.

75. *Quibus potissimum figuris et prophetiis istud sacrificium olim significatum fuerit.*

Quod si ex veteri testamento huius sacrificii figuras et oracula requiramus, primum quidem de eo Malachias apertissime vaticinatus est his verbis: <sup>3</sup> *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Praeterea haec hostia tam ante, quam post latam legem, variis

Sens. 22, concil. trid. cap. 3, et can. 3, Aug. lib. 10, contr. Fanst. cap. 21, et lib. 8, civit. cap. 27. Verba sunt orationis, qua S. Trinitati offertur sacrificium.

Ecclesiae catholicae de sacrificio doctrina scripturis confirmatur.

<sup>1</sup> Luc. 22, 19. I. Cor. 11, 24.

Apostoli quando sacerdotes sint instituti?

Conc. trid. sess. 22, de sacrificio missae, et can. 2.

<sup>2</sup> I. Cor. 10, 21.

Eucharistiae sacrificium figuris et prophetiis veteris testamenti praedictum.

<sup>3</sup> Malach. I, 11.

sacrificiorum generibus praenuntiata est. Etenim bona omnia, quae in iis sacrificiis significabantur, haec una victima, tamquam omnium perfectio et absolutio, complexa est. Verumtamen nulla in re eius imaginem magis expressam licet videre, quam <sup>1</sup> in Melchisedech sacrificio. Ipse enim Salvator <sup>2</sup> sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum in extrema coena, sub speciebus panis et vini, Deo patri obtulit.

76. *Idem sacrificium, quod in cruce fuit oblatum, in missa peragitur.*

Unum est Christi sacrificium, et ecclesiae.

Vide de summa trinit. c. Firmiter, et Aug. lib. 10. de civ. Dei c. 2. Levit. 24. 16.

3) Lucae 22, 19. I. Cor. 11, 24.

Unum itaque et idem sacrificium esse fate- mur, et haberi debet, quod in missa peragitur, et quod in cruce oblatum est; quemadmodum una est et eadem hostia, Christus videlicet dominus noster, qui seipsum in ara crucis semel tantummodo cruentum immolavit. Neque enim cruenta et incruenta hostia, duae sunt hostiae, sed una tantum; cuius sacrificium, postquam Dominus ita praecepit: <sup>3</sup> *Hoc facite in meam commemorationem*, in eucharistia quotidie instauratur.

77. *Est etiam unus utriusque sacerdos.*

Christus est, qui offert, et consecrat proprie.

Chrysost. homil. 2. in 2. epist. ad Tim. et in hom. de prodit. Iudae. Ambr. lib. 4. de sacr. c. 4.

Sed unus etiam atque idem sacerdos est Christus dominus. Nam ministri, qui sacrificium faciunt, non suam, sed Christi personam suscipiunt, quum eius corpus et sanguinem conficiunt. Id quod et ipsius consecrationis verbis ostenditur. Neque enim sacerdos inquit: *Hoc est corpus Christi*, sed: *Hoc est corpus meum*; personam videlicet Christi domini gerens, panis et vini substantiam in veram eius corporis et sanguinis substantiam convertit.

78. *Missae, ut laudis, ita etiam propitiationis est sacrificium.*

Missam esse non solum laudis, sed propitiationis sacrificium, sess. 22. conc. trid. de sacrificio missae, c. 2. et can. 3.

Fructus sa-

Quae quum ita sint, sine ulla dubitatione docendum est, id quod etiam sancta synodus explicavit, sacrosanctum missae sacrificium esse non solum laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii, quod in cruce factum est; sed vere etiam propitiatorium sacrificium, quo Deus nobis placatus et propitius

redditur. Quare si puro corde, accensa fide, et intimo scelerum nostrorum dolore affecti hanc sanctissimam hostiam immolemus et offeramus; dubitandum non est, quin misericordiam a Domino consequuturi simus, et gratiam in auxilio opportuno. Huius enim victimae odore ita delectatur Dominus, ut gratiae et poenitentiae donum nobis impertiens peccata condonet. Quamobrem et solemnitas est illa ecclesiae precatio: *Quoties huius hostiae commemoratio celebratur, toties opus nostrae salutis exercetur*; nimirum uberrimi illi cruentae hostiae fructus per hoc incurrentium sacrificium ad nos nant.

79. *Pertingit etiam sacrificii missae fructus ad defunctos.*

Deinde vero huius sacrificii eam vim esse parochi docebunt, ut non solum immolanti et summenti prosit, sed omnibus etiam fidelibus, sive illi nobiscum in terris vivant, sive iam in Domino mortui, nondum plane expiati sint. Neque enim minus ex apostolorum certissima traditione pro his utiliter offertur, quam pro vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus, ac quibusvis calamitatibus et angustiis.

80. *Nulla missa, ex communi usu ecclesiae celebrata, dicenda est privata.*

Ex quo facile perspicitur, omnes missas communes censendas esse, ut quae ad communem omnium fidelium utilitatem et salutem pertineant.

81. *Quoniam huius sacrificii caeremoniae pertineant.*

Habet autem hoc sacrificium multos, eosque maxime insignes ac solemnes ritus, quorum nullus supervacaneus aut inanis existimandus est; verum omnes eo spectant, ut et tanti sacrificii maiestas magis cluceat, et salutaribus mysteriis intuendis ad rerum divinarum, quae in eo sacrificio occultae sunt, contemplationem fideles excitentur. Sed de his nihil est, ut plura dicamus, tum quia hoc argumentum longiorem explicationem postulare videtur, quam propositae institutioni conveniat; tum quia innumerabiles paene libellos et commentarios, qui de hac re a

sacrificii missae, vide Ambr. lib. I. offic. c. 60. Aug. e. 8. 24. civ. lib.

1)Cyprian.lib. I. epist. 9. ad cler. et plebem Farnis.

Nulla missa privata dicenda est. Sens. 22. concil. trid. de sacrific. missae. c. 6. et can. 8.

Ritus missae quo pertineant? Sens. 22. concil. trid. c. 5. et c. 9. Vide etiam Dicoys. Ar. lib. de eccl. hier. c. 3. Vide D. Thom. in 3. part. q. 83. art. 5.

piis et doctissimis viris conscripti sunt, sacerdotes in promptu habebunt. Hactenus igitur satis fuerit, earum rerum, quae ad eucharistiam, tum qua sacramentum, tum qua sacrificium sit, pertinent, potiora capita, iuvante Domino, exposuisse.

## DE POENITENTIAE SACRAMENTO

### CAPUT V.

#### 1. *Accurate ac frequenter doctrina poenitentiae christianis auribus est inserenda.*

De poenitentia ex veteribus scripserant Ambros. l. duos, August. saepe, et lib. de poenit. remed. et de vera et falsa poenitentia. Consule item septem de poenit. dist. in decreto.

Luc. 17, 3.  
Matth. 18, 22.  
Trid. syn. sess. 6. de iustif. c. 14. et sess. 14. de poenitent. c. 2.  
Tert. in lib. de poenit. Hier. in 3. c. Isa. super illud: Ruit enim Hierusalem.  
Ambr. ad virginem lapsam c. 3. Magist. in 4. sent. dist. 14. lit. A, et de poenit. dist.

Quemadmodum humanae naturae fragilitas et imbecillitas omnibus nota est, eamque in seipso quisque facile experitur; ita, quantam habeat necessitatem poenitentiae sacramentum, ignorare nemo potest. Quod si diligentiam, quae a parochis in unoquoque argumento adhibenda est, ex rei, quam tractant, magnitudine et pondere metiri oportet, omnino fatebimur, eos numquam in huius loci explicatione adeo diligentes futuros esse, ut satis videri possit. Quin etiam de hoc sacramento, quam de baptismo, eo accuratius agendum est, quod baptimus semel tantum administratur, nec iterari potest; poenitentiae vero toties locus datur, eiusque repetendae toties necessitas imposita est, quoties post baptismum peccare contingat. Ita enim a Tridentina synodo dictum est, sacramentum poenitentiae non secus lapsis post baptismum, ac baptismo nondum regeneratis, ad salutem necessarium esse; vulgataque illa sancti Hieronymi sententia ab omnibus, qui deinceps res sacras tradiderunt, magnopere comprobatur, *poenitentiam esse secundam tabulam*. Ut enim, confracta navi, unum vitae servandae perfugium reliquum est, si forte tabulam aliquam de naufragio liceat arripere; ita post amissam baptismi innocentiam, nisi quis ad poenitentiae tabulam confugiat, sine dubio de eius salute desperandum est. Haec autem non ad pa-

stores solum; sed ad reliquos etiam fideles exci-  
tandos dicta sint, ne forte in eis rei maxime  
necessariae incuria reprehendatur. Primum enim  
communis fragilitatis memores omni studio opta-  
re debent, ut divina ope adiuti, sine casu aut  
prolapsione aliqua in via Domini progredi pos-  
sint. Quod si nonnumquam offenderint, tum vero  
summam Dei benignitatem intuentes, qui tam-  
quam <sup>4</sup> bonus pastor ovium suarum vulnera obli-  
gare, eisque mederi solet, hoc saluberrimum  
poenitentiae medicamentum numquam in aliud  
tempus differendum esse cogitabunt.

I. cap. Secun-  
da.  
Ezech. 18, 21.  
Lucae 13, 5.

1) Ioan. 10, 11.

2. *Quam varia sit verbi poenitentiae significatio.*

Ut autem rem ipsam aggrediamur, prius ex-  
plicanda est varia huius nominis potestas et no-  
tio, ne aliquis ambiguitate vocis in errorem in-  
ducatur. Nonnulli enim poenitentiam pro satisfa-  
ctione accipiunt: alii, a catholicae fidei doctrina  
longissime remoti, quum arbitrentur poeniten-  
tiam nullam praeteriti temporis rationem habere,  
nihil aliud quam novam vitam esse definiunt.  
Docendum est igitur, multiplicem esse huius no-  
minis significationem. Primum enim poenitentia  
de iis dicitur, quibus aliquid displicet, quod ante  
placuerit, nulla habita ratione huius cogitationis,  
bonumne an malum fuerit. Sic omnes poenitet,  
<sup>2</sup> quorum tristitia secundum saeculum est, non  
secundum Deum; cuiusmodi poenitentia non sa-  
lutem affert, sed mortem. Altera est poenitentia,  
quum quis ex scelere admissio, quod quidem antea  
placebat, dolorem non Dei, sed sui ipsius causa  
concepit. Tertia est, quum non solum admissi  
sceleris causa intimo animi sensu dolemus, vel  
eius doloris externum etiam aliquod signum da-  
mus, verum unius Dei causa in eo moerore su-  
mus. Ac singulis quidem poenitentiae generibus,  
quae commemorata sunt, poenitentiae vox pro-  
prie convenit. <sup>3</sup> Nam quum in sacris litteris Deum  
poenitere legimus, id per translationem dici per-  
spicuum est. Eo enim loquendi genere, quod ad  
hominum mores accommodatum est, sacrae lit-  
terae utuntur, quum Deum mutare aliquid con-  
stituisse declarant; quod non aliter facere vi-

Ambr. I. 2.  
de poenit. c. 9.

Verbi poe-  
nitentiae mul-  
tiplex signifi-  
catio.

Prima.

2) 2. Cor. 7, 10.

Secunda.

Tertia.

3) Gen. 6, 6.  
I. Reg. 15, 11.  
Ps. 105, 45.  
Ier. 26, 3, 13.

<sup>4</sup>9.  
Deum im-  
proprie ali-  
cuius rei pos-

nitet, hoc enim secundum affectum Bern. ser 41. super can.

Thom. 1. part. q. 21. art. 3.

1) Gen. 6, 6.

2) 1. Reg. 15, 11.

Actiones poenitentis obtinent locum interioris in hoc quarto sacramento sess. 14. concil. trid. de poenit. c. 3. et canon.

4. Alex. de Ales. 4. part. q. 54. membr. 1. Arist. 3. physic. text. 1.

Similis propositio habetur de motu. et natura.

Duplex est poenitentia, interior et exterior.

Ambr. serm. de poenitent. dist. 3. c. Poen. et Aug. lib. de vera et fals. poenit. c. 8.

Greg. hom. 34. in evang.

Conc. trid. sess. 14. de poenit. c. 3. et can. 4.

deatur, quam homines, quos si alicuius rei poeniteat, eam commutare omni studio laborant. Sic ergo scriptum est, <sup>1</sup> poenituisse eum, quod hominem fecisset; et alio loco, <sup>2</sup> quod Saul regem constitueret.

### 3. Quodnam sit inter poenitentiae significationes discrimen.

Verum inter has poenitentiae significationes magnum discrimen observare oportet. Prima enim in vitio ponenda est; altera est quaedam commoti et perturbati animi affectio; tertiam tum ad virtutem pertinere, tum sacramentum esse dicimus, quae significatio huius loci propria est. Ac primum quidem de ipsa, ut virtutis parte, agendum est, non solum quia fidelis populus ad omne virtutis genus a pastoribus institui debet, sed etiam quia huius virtutis actiones tamquam materiam praebent, in qua poenitentiae sacramentum versatur; ac nisi prius, quae sit poenitentiae virtus, recte intelligatur, sacramenti etiam vim ignorari necesse est.

#### 1. Quid sit interior poenitentia.

Quare in primis monendi hortandique sunt fideles, ut omni contentione et studio in intima animi poenitentia, quam virtutem dicimus, elaborent, sine qua ea, quae extrinsecus adhibetur, parum admodum profutura est. Intima autem poenitentia est illa, quum ad Deum nos ex animo convertimus, et commissa a nobis scelera detestamur et odio habemus; simulque illud nobis certum et deliberatum est, malam vitae consuetudinem corruptosque mores emendare, non sine spe veniae a Dei misericordia consequendae. Hanc vero dolor et tristitia, quae perturbatio et affectio est, et passio a multis vocatur, consequitur, veluti comes peccatorum detestationi adiuncta. Quamobrem apud complures ex sanctis patribus poenitentiae definitio huiusmodi animi cruciatu declaratur.

#### 5. Fides poenitentiae pars non est.

Verum in eo, quem poenitet, fides poenitentiam antecedit necesse est. Neque enim potest quisquam se ad Deum convertere, qui fide ca-



reat. Ex quo fit, ut nullo modo poenitentiae pars recte dici possit.

6. *Intima animi poenitentiae virtus est censenda.*

Quod autem intima haec poenitentia, ut antea diximus, ad virtutem pertineat, aperte ostendunt multa, <sup>1</sup> quae de poenitentia tradita sunt, praecepta. Lex enim de iis tantum actionibus, quae suscipiuntur cum virtute, praecipit. Negare praeterea nemo potest, quin dolere quando, quo modo, et quatenus oportet, virtutis sit: hoc autem ut recte fiat, poenitentiae virtus praestat. Interdum enim evenit, ut ex admissis sceleribus minorem, quam par est, dolorem homines capiant: quin etiam, ut a Salomone scriptum est, <sup>2</sup> nonnulli sunt, qui, quum male fecerint, laetantur. Rursus vero alii ita se moerori animi et aegritudini dedunt, ut de salute etiam prorsus desperent; qualis fortasse Cain videri potest, qui ait: <sup>3</sup> *Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear*; et qualis certe Iudas fuit, <sup>4</sup> qui poenitentia ductus, suspendio vitam et animam amisit. Ut igitur modum in dolore tenere possimus, poenitentiae virtute adiuvamur.

7. *Quo modo is, quem vere poenitet, affectus esse debeat.*

Sed idem etiam ex iis rebus colligi potest, quas sibi tamquam finem proponit is, quem vere peccati poenitet. Primum autem hoc ei propositum est, ut peccatum aboleat, omnemque animae culpam et maculam abstergat. Alterum est, ut pro sceleribus admissis Deo satisfaciat; quod quidem ad iustitiam referri perspicuum est. Nam etsi inter Deum et homines propria iustitiae ratio intercedere non potest, quum tam longo intervallo inter se distent, aliquam tamen esse iustitiam constat, cuiusmodi est inter patrem et filios, inter dominum et servos. Tertium est, ut homo in Dei gratiam redeat, in cuius offensionem et odium propter peccati foeditatem incurrit. Haec vero omnia satis declarant, poenitentiam ad virtutem spectare.

1) Matth. 3, 2. et 4, 17. Marc. 1, 11. Lucae 15, 7, 10.

Lex Dei imperat dumtaxat actiones virtuti coniunctas. Dolor triplici ratione virtus censeri potest.

Prima ratio est si non peccetur defectu.

2) Prov. 2, 14.

Secunda ratio, si non peccetur excessu.

3) Gen. 4, 13.

4) Matt. 27, 3. 5.

Tertia ratio, si bono fine sit susceptus, quod fit tripliciter.

Chrys. de poenit. et habet, de poenit. dist. 3. cap. Perfecta.

Quomodo iustitia inter Deum et homines esse possit, ex Arist. in 5. ethic. c. ult. docet Scot. 4. dist. 24. q. 2. litt. H.

8. *Quibus veluti gradibus ad divinam illam poenitentiae virtutem ascendatur.*

Quae de poenitentiae virtute hic traduntur, habentur de iustificatione in concilio trid. sess. 6. c. 6.

1) Thren. 5, 21.

Primus gradus, gratia praeveniens misericordiae Dei; secundus gradus, fides.

2) Hebr. 11, 6.

Tertius gradus, timor.

3) Isa. 26, 17.

Quartus gradus, spes.

4) Matt. 9, 2.

Quintus gradus, charitas.

5) Ecl. 19, 18.

Alex. de Alex. 4. part. summarum q. 56. mem. J. et 2.

Fructus poenitentiae praecipuus est vita aeterna.

6) Matt. 3, 2.

7) Ezech. 18,

21.

8) Ezech. 33,

21.

Sed docendum est etiam, quibus gradibus ad hanc divinam virtutem liceat ascendere. Primum itaque Dei misericordia nos praevenit, cordaque nostra ad se convertit. Quod quum precaretur Propheta, *Converte, inquit, nos, Domine, ad te, et convertemur.*

Deinde hoc lumine illustrati, per fidem ad Deum animo tendimus. *Credere enim oportet accedentem ad Deum*, ut Apostolus testatur, *quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*

Praeterea motus timoris consequitur, et, suppliciorum acerbitate proposita, animus a peccatis revocatur. Atque huc videntur spectare illa Isaiiae verba: *Sicut quae concipit, quum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus.* Huc deinde accedit *spes* impetrandae a Deo misericordiae, qua erecti vitam et mores emendare constituimus. Postremo charitate corda nostra accenduntur, ex qua liberalis ille *timor*, probis et ingenuis filiis dignus, oritur; atque ita unum illud veriti, ne qua in re Dei maiestatem laedamus, peccandi consuetudinem omnino deserimus. Hisce igitur quasi gradibus ad hanc praestantissimam poenitentiae virtutem pervenitur.

9. *Quis sit praecipuus virtutis poenitentiae fructus.*

Quae prorsus divina et caelestis virtus existimanda est, cui scilicet regnum caelorum sacrae litterae pollicentur. Nam apud sanctum Matthaeum scriptum est: *Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum caelorum;* et apud Ezechielem: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet;* tum alio loco: *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.* Quod quidem de aeterna et beata vita intelligendum esse, plane constat.

10. *Quid de externa poenitentia sentiendum sit, quaque de causa Christus eam in numerum sacramentorum referri voluerit.*

De externa vero poenitentia docendum est, eam esse, in qua sacramenti ratio consistit, habereque externas quasdam res sensibus subiectas, quibus declarantur ea, quae interior in anima fiunt. In primis autem explanandum fidelibus videtur, quare factum sit, ut Christus dominus poenitentiam in numerum sacramentorum referri voluerit. Huius autem rei illa omnino causa fuit, ut nobis de remissione peccatorum, quam Deus pollicitus est, quum ait: <sup>1</sup> *Si impius egerit poenitentiam, etc.* minus dubitare liceret. Vehementer enim pendere animo de intima poenitentia opus esset, quum de suo cuique iudicio in iis, quae agit, merito timendum sit. Ut igitur Dominus huic nostrae sollicitudini subveniret, poenitentiae sacramentum instituit, quo per sacerdotis absolutionem peccata nobis remissa esse confideremus, conscientiaeque nostrae ob fidem, quae sacramentorum virtuti merito habenda est, pacatiores redderentur. Neque enim aliter accipienda est vox sacerdotis, peccata nobis legitime condonantis, quam Christi domini, qui ait paralytico: <sup>2</sup> *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Deinde vero, quum nemo salutem, nisi per Christum, eiusque passionis beneficio, consequi possit; consentaneum, nobisque utilissimum fuit, eiusmodi sacramentum institui, cuius vi et efficientia Christi sanguis ad nos defluens peccata post baptismum admissa elueret, atque ita reconciliationis beneficium illi uni Salvatori nostro acceptum referre profiteremur.

11. *Quo pacto poenitentia verum sit novae legis sacramentum.*

Quod vero poenitentia sacramentum sit, pastores ita facile ostendent. Ut enim baptismus sacramentum est, quia <sup>3</sup> peccata omnia, ac praesertim quod origine contractum fuit, delet; eadem ratione poenitentia, <sup>4</sup> quae peccata omnia,

Quid exterior poenitentia, et quod sacramenti ratio in illa consistat.

Thom. in 3. part. q. 34. art. 1. v. 11.

<sup>1</sup> Ezecl. 18, 27.

Prima ratio est, ut fides nostra de remissione peccatorum, eorum iudicio, quorum est discernere inter lepram et lepram, magis confirmaretur, et conscientiae nostrae pacatiores redderentur.

<sup>2</sup> Matt. 9, 2.

Secunda ratio est, ut hominibus in promptu esset instrumentum, quo peccata post baptismum contracta in sanguine Christi eluerent, conc. trid. sess. 24. cap. 1.

Sess. 14. concil. trid. de poenit. c. 1. et can. 1.

<sup>3</sup> Act. 2, 38.

<sup>4</sup> Act. 8, 22.

Dilucide exponitur, quomodo poenitentia sit sacrae rei signum.

Aug. lib. 8. de civ. Dei c. 10.

Actio sacerdotis absolutis nititur auctoritate verbi Dei.

1) Matt. 16, 19.

Sess. 14. conc. trid. de poenit. cap. 2.

2) Matt. 18, 22. Quomodo desperantes consolandi sint.

Ambr. de poenit. l. 1. c. 1. et 2. vide Aug. in l. de vera et fal. poenit. c. 5.

De materia sacramenti poenitentiae. Tres actus poenitentis, qui sunt loco materiae, quomodo eiusdem sacramenti partes esse dicantur.

post baptismum voluntate vel actione suscepta, tollit, vere et proprie sacramentum dicendum est. Deinde, quod caput est, quum illa, quae extrinsecus tum a poenitente, tum a sacerdote fiunt, declarent ea, quae interiori efficiuntur in anima; quis neget, poenitentiam vera et propria sacramenti ratione praeditam esse? Siquidem sacramentum sacrae rei signum est; peccator autem, quem poenitet, rerum et verborum notis plane exprimit, se animum a peccati turpitudine abduxisse; itemque ex iis, quae a sacerdote geruntur et dicuntur, misericordiam Dei peccata ipsa remittentis facile cognoscimus. Quamquam hoc aperte indicant illa Salvatoris verba: *Tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* Absolutio enim sacerdotis, verbis enuntiata, remissionem illam peccatorum signat, quam in anima efficit.

### 12. Poenitentiae sacramentum iterari potest.

Neque vero solum fideles docendi sunt, poenitentiam in numero sacramentorum habendam esse, sed eorum etiam, quae iterari possunt. Quaerenti enim Petro, num septies venia peccati danda esset, Dominus respondit: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Quare si cum eiusmodi hominibus agendum sit, qui summae Dei bonitati et clementiae diffidere videantur, confirmandus erit illorum animus, atque ad spem divinae gratiae erigendus. Quod quidem facile consequentur tum huius loci et aliorum tractatione, qui in sacris litteris permulti occurrent, tum vero iis rationibus et argumentis, quae ex sanctorum Chrysostomi libro de lapsis, et Ambrosii libris de poenitentia, petere licebit.

### 13. Materia poenitentiae quae et qualis.

Iam, quoniam nihil fideli populo notius esse debet, quam huius sacramenti materia, docendum est, in eo maxime hoc sacramentum ab alijs differre, quod aliorum sacramentorum materia est aliqua res naturalis vel arte effecta, sacramenti vero poenitentiae quasi materia sunt actus poenitentis, nempe contritio, confessio et satisfactio,

ut a Tridentina synodo declaratum est: qui, quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti, et plenam ac perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes poenitentiae dicuntur. Neque vero hi actus quasi materia a sancta synodo appellantur, quia verae materiae rationem non habeant, sed quia eius generis materia non sint, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo, et chrisma in confirmatione. Quod autem ab aliis dictum est, peccata ipsa huius sacramenti materiam esse, nihil plane diversum dici videbitur, si diligenter attendamus. Ut enim ignis materiam ligna esse dicimus, quae vi ignis consumuntur, ita peccata, quae poenitentia delentur, recte huius sacramenti materia vocari possunt.

Trid. syn. sess. 15. de poenitentia, c. 5. et can. 4.

Peccata ipsa quomodo sacramenti materia dici possint.

#### 14. Quae sit sacramenti poenitentiae forma.

Sed formae etiam explicatio pastoribus praetermittenda non est, quod eius rei cognitio excitet fidelium animos ad percipiendam summa cum religione huius sacramenti gratiam. Est autem forma: *Ego te absolvo*; quam non solum ex illis verbis licet colligere: <sup>1</sup> *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelis*; sed ex eadem Christi domini doctrina ab apostolis traditam accepimus. Ac quoniam sacramenta id significant, quod efficiunt, et illa verba: *ego te absolvo*, ostendunt peccatorum remissionem huius sacramenti administratione effici; planum est hanc esse poenitentiae perfectam formam. Sunt enim peccata tamquam <sup>2</sup> vincula, quibus constrictae animae tenentur, et ex quibus poenitentiae sacramento laxantur. Quod quidem non minus vere de illo etiam homine sacerdos pronuntiat, qui prius ardentissimae contritionis vi, accedente tamen confessionis voto, peccatorum veniam a Deo consequutus sit.

De forma sacramenti poenitentiae sess. 14. concil. trid. de poenit. cap. 3.

<sup>1</sup>) Matt. 18, 18.

<sup>2</sup>) 1sa. 5, 18.

Talis contritus absolvitur nunc pro tunc, ut patet de principe solvente remum primo auctoritative, deinde per ministrum executive, Alex. 4. part. q. 77. mem. 6.

#### 15. Quo fructu ad formam sacramenti preces aliae adiiciantur.

Adduntur praeterea complures preces, non quidem ad formam necessariae, sed ut ea removeantur, quae sacramenti vim et efficientiam illius culpa, cui administratur, impedire possent.

16. *Quantum differat potestas sacerdotum Christi in diiudicanda peccati lepra a potestate sacerdotum veteris legis.*

Quamobrem peccatores Deo ingentes gratias agant, qui tam amplam potestatem in ecclesia sacerdotibus tribuerit. Neque enim, ut olim in veteri lege <sup>1</sup> sacerdotes testimonio suo aliquem a lepra liberatum esse dumtaxat renuntiabant, ita nunc in ecclesia ea tantum potestas sacerdotibus facta est, ut aliquem a peccatis absolutum esse declarent; sed vere tamquam Dei ministri absolvent, id quod Deus ipse, <sup>2</sup> gratiae et <sup>3</sup> iustitiae auctor ac parens, efficit.

1) Levit. 13, 9.

Deus est, qui ministerio sacerdotis absolvit. Vide conc. trid. sess. 14. cap. 6.

2) Ps. 83, 12.

3) Rom. 8, 33.

17. *Quo habitu, quibusque ritibus suam actionem commendare poenitentes debeant.*

Diligenter vero ritus etiam, qui ad hoc sacramentum adhibentur, fideles observabunt. Ita enim fiet, ut animo magis haereant, quae hoc sacramento consequuti sunt, nimirum se tamquam servos clementissimo domino, vel filios potius optimo parenti reconciliatos esse; et simul facilius intelligant, quid eos facere oporteat, qui velint (velle autem omnes debent) se tanti beneficii gratos et memores probare. Nam quem peccatorum poenitet, is se humili ac demisso animo ad pedes sacerdotis deicit; ut, quum se tam humiliter gerat, facile possit agnoscere, superbiae radices evellendas esse, <sup>4</sup> a qua omnia scelera, quae deflet, ortum habuerint et enata sint; in sacerdote autem, qui in eum legitimus iudex sedet, Christi domini personam et potestatem veneratur. Sacerdos enim, quemadmodum in aliis, ita in poenitentiae sacramento administrando Christi munus exsequitur. Deinde peccata sua poenitens ita enumerat, ut se maxima et acerbissima animadversione dignum esse fateatur, supplexque delictorum veniam petit; quae sane omnia vetustatis suae certissima testimonia a sancto Dionysio habent.

Humilitas poenitentis coram sacerdote declaranda.

4) Eccl. 10, 15.

D. Dionysius Areop. in ep. ad Demop.

18. *Quos praecipue fructus ex sacramento poenitentiae homines capiant.*

Primus fru-

Sed nihil profecto tam proderit fidelibus,

nihilque maiorem illis alacritatem poenitentiae suscipiendae afferet, quam si a parochis saepe explicatum fuerit, quantam ex ea utilitatem capiamus. Vere enim de poenitentia illud dici posse intelligunt, eius quidem radices amaras, fructus vero suavissimos esse. Poenitentiae itaque omnis in eo vis est, ut nos in Dei gratiam restituat, cum eoque summa amicitia coniungat. Hanc vero reconciliationem interdum in hominibus piis, qui hoc sacramentum sancte et religiose percipiunt, maxima conscientiae pax et tranquillitas cum summa spiritus iucunditate consequi solet. Nul- lum est enim tam grave et nefarium scelus, quod poenitentiae sacramento non quidem semel, sed iterum et saepius non deleatur. Qua de re ita Dominus per Prophetam inquit: <sup>1</sup> *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit praecepta mea, et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet, et non morietur; omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Et sanctus Ioannes: <sup>2</sup> *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata nostra; et paulo post: <sup>3</sup> Si quis peccaverit, inquit (nullum videlicet peccati genus excipiens), advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

19. *Qua ratione quaedam peccata dicantur remitti non posse.*

Quod autem in scripturis legimus, quosdam a Domino misericordiam non esse consequutos, quamvis eam vehementer imploraverint; id vero idcirco factum esse intelligimus, quod eos vere atque ex animo delictorum non poenitebat. Quare quum huiusmodi sententiae in sacris litteris, vel apud sanctos patres occurrunt, quibus videntur affirmare <sup>4</sup> aliqua peccata remitti non posse, ita eas interpretari oportet, ut difficilem admodum esse veniae impetrationem intelligamus. Ut enim morbus aliquis ea re insanabilis dicitur, quod aegrotus ita affectus sit, ut salutaris medicinae

ctus est benevolentiae divinae reconciliationis.

Conc. trid. sess. 14. c. 3.

Secundus fructus est pax, et tranquillitas animae.

Tertius fructus, peccati quantumvis gravis remissio.

<sup>1</sup>) Ezech. 18. 21.

<sup>2</sup>) I. Ioan. I, 9.

<sup>3</sup>) Ioan. 2, 1. 2.

Tacitae objectionis dilatio.

<sup>4</sup>) Ut de Antioch. 2. Mach. 9, 13. de Esau. Hebr. 12, 17. I. Reg. 15. Peccata quaedam non remitti quomodo intelligatur.

Matth. 12, 31. 32: vide Aug. serm. 11. de verb. Dom. et ep. 50. ad Bonif. Gel. tom.

I. Anath. vinculo, et Thom. in 2. 2. q. 14. art. 1, et 2.

De quibus dicitur ps. 128. Fiant sicut foenum etc. Ambr. l. 2. de poenit. c. 2. et 4. et lib. 2. de Cain et Abel. cap. 9. D. Aug. lib. I. de serm. Domini in monte, c. 43, et 44: vide item lib. I. retract. c. 19. Peccati in Spiritum sanctum gravitas. Propria vis poenitentiae est delere peccata.

1) Lucae 13, 3. Conc. trident. sess. 14. canone 7. Thom. in 3. part. q. 87. art. 2.

Venialia peccata non requirunt necessario poenitentiam sacramentalem.

Aug. l. 50. hom. 50: vide item ep. 108. ad Seleuc. et enchir. c. 71. cap. 8. Concil. tolet. IV. c. p. et Thom. in 3. part. q. 87. Tres poenitentiae partes integrales, quarum si aliqua desit, perfecta non est, concil. trident. sess. 14. de poenit. c. 3. et can. 4. item conc. flor. in doct. de sacr. et I. Reg. 16. 2. Reg. 22, 24. et 3. Reg. 21, 27. Ioan. 3, 5. Ps. 50,

vim oderit; sic quoddam est peccati genus, quod non remittitur nec condonatur, propterea quod proprium salutis remedium Dei gratiam repellit.

In haec sententiam a divo Augustino dictum est: *Tanta labes est illius peccati, quum post agnitionem Dei per gratiam Christi oppugnat aliquis fraternitatem, et adversus ipsam gratiam invidiae facibus agitur, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiamsi peccatum mala conscientia agnoscere et annuntiare cogatur.*

20. Nullus condonationem peccatorum citra poenitentiam obtinere potest.

Sed, ut ad poenitentiam revertamur, haec adeo propria eius vis est, ut peccata deleat, ut sine poenitentia remissionem peccatorum impetrare, aut ne sperare quidem ullo modo liceat; scriptum est enim: *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*; quod quidem de gravioribus et mortiferis peccatis dictum a Domino est; etsi aliquo etiam poenitentiae genere indigent leviora peccata, quae venialia vocantur. Sanctus enim Augustinus inquit: *Quum quaedam sit poenitentia, quae quotidie in ecclesia pro peccatis venialibus agitur, illa sane frustra esset, si peccata venialia absque poenitentia dimitti possent.*

21. Quot sint partes integrales poenitentiae.

Sed quoniam de iis rebus, quae aliquo modo in actionem cadunt, non satis est universe loqui, curabunt pastores singillatim ea tradere, ex quibus verae et salutis poenitentiae ratio a fidelibus percipi queat. Est autem huius sacramenti proprium, ut praeter materiam et formam, quae omnibus sacramentis communia sunt, partes etiam, ut antea diximus, illas habeat, quae tamquam totam integramque poenitentiam constituent, contritionem scilicet, confessionem et satisfactionem. De quibus divus Chrysostomus his verbis loquitur: *Poenitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre; in corde eius contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas vel fructifera satisfactio.* Hae autem partes ex earum partium genere esse dicuntur, quae ad ali-



quod totum constituendum necessariae sunt; quoniam, quemadmodum hominis corpus ex pluribus membris constat, manibus, pedibus, oculis, et aliis huiusmodi partibus, quarum aliqua si desit, merito imperfectum videatur, perfectum vero, si nulla desideretur; eodem etiam modo poenitentia ex hisce tribus partibus ita constituitur, ut, quamvis, quod ad eius naturam attinet, contritio et confessio, quibus homo iustus efficitur, satis sit; tamen, nisi tertia etiam pars, id est satisfactio, accedat, aliquid ei omnino ad perfectionem desit, necesse sit. Quare adeo in se hae partes connexae sunt, ut contritio confitendi et satisfaciendi consilium et propositum inclusum habeat, confessionem contritio et satisfaciendi voluntas, satisfactionem vero duae reliquae antecedant.

22. *Quo modo hae tres poenitentiae partes colligantur.*

Harum autem trium partium eam rationem afferre possumus, quod animo, verbis et re ipsa peccata in Deum committantur. Quare consentaneum fuit, ut nos ipsos ecclesiae clavibus subiicientes, quibus rebus Dei sanctissimum nomen a nobis violatum esset, iisdem etiam eius iram placare, et peccatorum veniam ab eo impetrare conaremur.

Sed idem etiam alio argumento confirmari potest. Etenim poenitentia est veluti quaedam delictorum compensatio ab eius voluntate perfecta, qui deliquit, ac Dei arbitrio, in quem peccatum commissum est, constituta. Quare et voluntas compensandi requiritur, in quo maxime contritio versatur; et poenitens sacerdotis iudicio, qui Dei personam gerit, se subiiciat necesse est, ut pro scelerum magnitudine poenam constituere in eum possit: ex quo tum confessionis, tum satisfactionis ratio et necessitas perspicitur.

23. *Quid in hac materia proprie sit contritio.*

Quoniam vero harum partium vim et naturam tradere fidelibus oportet, prius incipiendum est a contritione, eaque diligenter explicanda. Neque enim ad ullum temporis punctum, quum

19. Act. 19, 18.  
Iac. 5, 16.  
Matth. 3, 8.  
D. Chrysost.  
de poen. et de  
poen. dist. 3.  
c. Perfecta.  
Vide Thom. in  
3. part. q. 90.  
Partes poenitentiae quomodo connexae.

Tres poenitentiae partes ex tribus peccandi modis colliguntur.

Thom. in 3. p. q. 90. art. 2. Ang. in lib. de vera et fals. poen. c. 3. et hab. dist. 3. cap. Poenitentia est quaedam.

De contritione prima poenitentiae parte concil. trident. sess. 14. de poenitentia cap. 4. et can. 5. Fulgent. de remission. pecc. c. 12. Chrys. de componet. cordis lib. 1, et 2.

Contrariae opinionis refutatio sumpta ex auctoritate concilii, et scripturis. Cone. trident. ibidem, et sess. 6. c. 6. et 14.

in memoriam praeterita peccata redeunt, vel quum aliquid offendimus, contritione animus debet vacare. Hanc Patres in concilio Tridentino ita definiunt: *Contritio est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.* Et paulo post, de contritionis motu subiicitur: *Ita demum praeparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinae misericordiae, et voto praestandi reliqua coniunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur.* Ex hac itaque definitione intelligent fideles, contritionis vim in eo tantum positam non esse, ut quis peccare desinat, aut propositum ei sit novum vitae genus instituere, aut ipsum iam instituat; sed in primis male actae vitae odium et expiationem suscipiendam esse. Id vero maxime confirmant illi sanctorum patrum clamores, quos in sacris litteris frequenter profusos esse legimus. <sup>1</sup> *Laboravi, inquit David, in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum;* et: <sup>2</sup> *Exaudivit Dominus vocem fletus mei;* et rursus alius: <sup>3</sup> *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* Quas certe et alias huiusmodi voces vehemens quoddam anteactae vitae odium, et peccatorum detestatio expressit.

24. *Cur contritio dolor a patribus concilii nominata sit.*

- 1) Ps. 6, 7.  
Vide item:  
Ps. 50, 6.  
Ezech. 18, 31.  
2) Ps. 6, 10.  
3) Isa. 38, 15.

Vera contritio non corporis sensu, sed dolore animi est metienda.  
Aug. lib. 50.  
hom. 50. c. 1.

Quod autem contritio dolore definita est, monendi sunt fideles, ne arbitrentur eum dolorem corporis sensu percipi. Contritio enim est voluntatis actio. Et sanctus Augustinus testatur, dolorem poenitentiae comitem esse, non poenitentiam. Verum peccati detestationem et odium, doloris vocabulo patres significarunt, tum quia sacrae litterae ita utuntur; ait enim David: <sup>4</sup> *Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?* tum quia dolor in inferiori animae parte, quae vim concupiscendi habet, ex ipsa contritione oritur, ut non incommode contritio dolore definita fuerit, quod dolorem efficiat, ad eumque declarandum poenitentes vestem etiam mutare soliti sint. De quo

- 4) Ps. 12, 2.

Car poenitentes soliti sint vestes mutare.

Dominus apud sanctum Matthaeum inquit: <sup>1</sup> *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida: quia, si in Tyro, et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere poenitentiam egissent.*

25. *Quare peccati detestatio vulgo a theologis contritio appellatur.*

Recte autem contritionis nomen peccati detestationi, de qua loquimur, ad significandam vim doloris impositum est, ducta similitudine a rebus corporeis, quae minutatim saxo, aut duriore aliqua materia confringuntur; ut eo vocabulo declararetur, corda nostra, quae superbia obduruerunt, poenitentiae vi contundi atque conteri. Quare nullus alius dolor vel ex parentum et filiorum obitu, vel cuiusvis alterius calamitatis causa susceptus, hoc nomine appellatur; sed illius tantum doloris proprium est nomen, quo ex amissa Dei gratia atque innocentia afficimur.

26. *Quibus praeterea vocabulis eadem peccati detestatio declarari soleat.*

Verum aliis quoque vocabulis eadem res declarari solet. Nam et contritio cordis dicitur, quia cordis nomen frequenter sacrae <sup>2</sup> litterae pro voluntate usurpant. Ut enim a corde motionum corporis principium sumitur, ita voluntas reliquas omnes animae vires moderatur ac regit. Vocatur etiam a sanctis patribus cordis compunctio, qui libros de contritione conscriptos, *de compunctione cordis* inscribere maluerunt. Etenim quemadmodum ferro tumida ulcera secantur, ut inclusum virus possit erumpere; ita corda, quasi scalpello contritionis adhibito, inciduntur, ut peccati mortiferum virus queant eiicere. Quare et scissio cordis a Ioele propheta appellata est. <sup>3</sup> *Convertimini, inquit, ad me in toto corde vestro, in ieiunio, et in fletu, et in planctu, et scindite corda vestra.*

27. *Cur dolor de peccatis, vocabulo contritionis inclusus, maximus et vehementissimus esse debeat.*

Summum vero et maximum dolorem ex peccatis, quae commissa sunt, suscipiendum esse, ita ut nullus maior excogitari possit, facile erit

Vide Alex. de Ales. 4. part. quaest. 67. mem. 1, 2.

Dolor aliunde proveniens non dicitur contritio.

Eadem peccati detestatio alias cordis contritio dicitur. 2) Gen. 6, 6. Job. 1, 5. Ps. 4, 3. 19. 5. Matth. 5, 28 et 15, et 18. cordis compunctio. Chrys. in lib. de compunctione cordis. Isid. de summo bono lib. 2. c. 12. Cordis scissio.

3) Ioe. 2, 12. 13.

Seraph. doctor. Bonaventura, in 4. dist. 16. art. 1.

quaest. 1. et 2.  
Prima ratio.  
Ex August. in  
lib. 14. civ.  
cap. 78. et 9-  
1) I. Ioan. 4.  
18.

hisc rationibus demonstrare. Nam quum perfecta contritio sit charitatis actio, <sup>1</sup> quae ab eo timore, qui filiorum est, proficiscitur; patet eundem charitatis et contritionis modum statuendum esse. At quoniam charitas, qua Deum diligimus, perfectissimus est amor, hinc fit, ut contritio vehementissimum animi dolorem coniunctum habeat: ut enim maxime diligendus est Deus, ita, quae nos a Deo alienant, maxime detestari debemus. In quo etiam illud observandum est, eodem loquendi genere, charitatis et contritionis magnitudinem in sacris litteris significari. De charitate dictum est: <sup>2</sup> *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; rursus, quod ad contritionem attinet, clamat Dominus per Prophetam: <sup>3</sup> *Convertimini in toto corde vestro*.

2) Deut. 6, 5.

3) Iocel. 2, 12.

Secunda ratio. Illud enim est magis eligendum quod magis fugiendo opponitur. Arist. lib. 2. Priorum cap. 28. Vitae conservandae causa peccare non licet.

Praeterea, si, uti Deus summum bonum est inter omnia, quae diligenda sunt, ita etiam peccatum summum est malum inter omnia, quae odisse homines debent; illud sequitur, ut, quam ob causam Deum summe diligendum esse confitemur, ob eandem rursus peccati summum odium nos capiat necesse sit. Omnibus vero rebus Dei amorem anteponendum esse, ita ut ne vitae quidem conservandae causa peccare liceat, aperte nos docent illa Domini verba: <sup>4</sup> *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus*; et: <sup>5</sup> *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam*.

4) Matt. 10, 37.

5) Matt. 16, 25.

Pondera ly sine modo, quoad actus elicitos, non imperatos, secundam illud rom. 12. Obsero vos etc.

Tertia ratio. S. Bern. lib. de diligendo Deo circa med. Dolor de peccatis non tantum debet esse maximus, sed etiam vehementissimus.

6) Deut. 4, 29.

Sed illud etiam animadvertendum est, ut quemadmodum, sancto Bernardo teste, nullus finis et modus charitati praescribitur (*modus enim, inquit ille, diligendi Deum, est ipsum diligere sine modo*); ita peccati detestationi nullus modus definiatur.

7) Ier. 29, 13.

Sit praeterea non solum maxima, sed vehementissima atque adeo perfecta, omnemque ignaviam et socordiam excludat. Etenim in Deuteronomio scriptum est: <sup>6</sup> *Quum quaesieris dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quaesieris, et tota tribulatione animae tuae; et apud Ieremiam: <sup>7</sup> Quaeritis me, et in-*

*venietis, quum quaesieritis me in toto corde vestro, et inveniar a vobis, ait Dominus.*

28. *Contritio vera esse non desinit, etiamsi sensibilis dolor de peccatis non fuerit absolutus.*

Quamquam si id minus consequi nobis liceat, ut perfecta sit, vera tamen et efficax contritio esse potest. Saepe enim usuvenit, ut, quae sensibus subiecta sunt, magis quam spiritualia nos afficiant. Quare nonnulli interdum maiorem ex filiorum obitu, quam ex peccati turpitudine, doloris sensum capiunt. Idem etiam iudicium faciendum est, si lacrimae doloris acerbitatem non consequantur; quae tamen in poenitentia summo opere optandae et commendandae sunt. Praeclara est enim ea de re sancti Augustini sententia. *Non sunt, inquit, in te christianae charitatis viscera, si lugens corpus, a quo recessit anima; animam vero, a qua recessit Deus, non lugens.* Atque huc spectant illa Salvatoris nostri verba, quae supra allata sunt: <sup>1</sup> *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida: quia, si in Tyro, et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere poenitentiam egissent.* Tametsi ad eam rem comprobendam satis esse debent clarissima <sup>2</sup> Ninivitarum, <sup>3</sup> Davidis, <sup>4</sup> peccatricis, <sup>5</sup> apostolorum principis exempla: qui omnès, plurimis lacrimis Dei misericordiam implorantes, peccatorum veniam impetrarunt.

29. *Peccata capitalia singillatim in contritione de-  
testanda sunt.*

Maxime autem hortandi et monendi sunt fideles, ut ad singula mortalia crimina proprium contritionis dolorem adhibere studeant. Ita enim Ezechias contritionem describit, quum ait: <sup>6</sup> *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* Etenim recogitare omnes annos, est singillatim peccata excutere, ut ea ex animo doleamus. Sed apud Ezechielem quoque scriptum legimus: <sup>7</sup> *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet.* Atque in hanc sententiam sanctus Augustinus inquit: *Consideret peccator qualitatem criminis in loco, in tempore, in varietate, in persona.*

Vera et utilis contritio etiam esse potest, si non tantum dolorem sentiamus de peccatis, quam de rebus externis, stante scilicet naturae imbecillitate, conc. trid. sess. 14. de poenit. c. 4. Contritio lacrimis testanda S. August. serm. 41. de sanctis.

1) Matt. 11, 21.

2) Ionas 3, 6.

3) 2. Reg. 12,

13.

4) Luc. 7, 37.

5) Matt. 26, 75.

6) Isa. 38, 16.

7) Ezech. 18,

21.

Aug. lib. de

vera et fals.

poen. c. 14.

et habetur de

poen. dist. 5.

c. Consideret.

30. *Sufficit universe quandoque peccata sua detestari.*

Non desperandum est de Dei bonitate, etiam si absolutam peccatorum contritionem non sentiamus.

Neque tamen hac in re desperent fideles de summa Dei bonitate et clementia. Is enim, quum nostrae salutis cupidissimus sit, nullam moram ad tribuendam nobis veniam interponit, sed peccatorem paterna charitate complectitur, simul atque ille se collegerit, et universe peccata sua detestatus, quae deinde alio tempore, si facultas erit, singula in memoriam reducere, ac detestari in animo habeat, ad Dominum se converterit. Ita enim nos per Prophetam iubet sperare, quum inquit: <sup>1</sup> *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.*

1) Ezech. 33, 12.

31. *Quae ad veram contritionem sint in primis necessaria.*

Ex his igitur colligi poterunt, quae ad veram contritionem maxime sunt necessaria; de quibus fidelem populum accurate oportebit docere, ut quisque intelligat, qua ratione comparare eam possit, regulamque habeat, qua diiudicet, quantum absit ab eius virtutis perfectione.

Primum ficta est poenitentia, in qua de quibusdam peccatis tantum dolemus.

Primum enim necesse est peccata omnia, quae admisimus, odisse et dolere; ne, si quaedam tantum doleamus, ficta et simulata, neque salutaris poenitentia a nobis suscipiatur. Nam ut a sancto Iacobo apostolo dictum est: <sup>2</sup> *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

2) Iacob. 2, 10.

Secundum, Concil. Trident. sess. 14. c. 4.

Alterum est, ut ipsa contritio confitendi et satisfaciendi voluntatem coniunctam habeat, de quibus postea suo loco agetur. Tertium est, ut poenitens vitae emendandae certam et stabilem cogitationem suscipiat. Hoc vero Propheta aperte

3) Ezech. 18, 21, 22.

his verbis nos docuit: <sup>3</sup> *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet, et non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor; et paulo post: <sup>4</sup> *Quum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit iudicium et iustitiam, ipse animam suam vivificabit;**

4) Ibidem 27.

ac paucis interiectis: <sup>1</sup> *Convertimini, inquit, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas: proiicite a vobis omnes praevaricationes vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum.* Idem etiam Christus dominus <sup>2</sup> mulieri, quae in adulterio deprehensa est, praescripsit: *Vade, inquit, et iam amplius noli peccare.* Item paralytico illi, quem ad probaticam piscinam curaverat: <sup>3</sup> *Ecce, ait, sanus factus es; iam noli peccare.*

32. *Dolorem praeteritae culpa, et cavendae in posterum propositum contritioni necessarium esse ostenditur.*

Sed natura quoque ipsa et ratio plane ostendunt, duo illa ad contritionem in primis esse necessaria, dolorem scilicet peccati admissi, et propositum cautionemque, ne quid huiusmodi in posterum committatur. Nam qui amico reconciliari velit, quem iniuria aliqua affecerit, et doleat oportet, quod in eum iniuriosus et contumeliosus fuerit, et diligenter reliquo tempore provideat, ne qua in re amicitiam laesisse videatur. Quae duo obedientiam adiunctam habeant, necesse est; hominem enim legi, sive naturali et divinae, sive humanae, quibus subiectus est, parere convenit. Quare, si quid poenitens alteri per vim aut per fraudem abstulit, restituat oportet; itemque alicuius aut commodi aut officii compensatione illi satisfaciat, cuius dignitatem aut vitam dicto factove violavit. Tritum enim est omnium sermone, quod apud sanctum Augustinum legimus: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

33. *Indulgendum est aliis, si nobis volumus indulgeri.*

Neque vero inter cetera, quae ad contritionem maxime pertinent, minus diligenter et necessario curandum est, ut, quidquid iniuriarum ab altero acceperis, id totum remittatur ac condonetur. Ita enim Dominus et Salvator noster monet atque denuntiat: <sup>4</sup> *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater*

<sup>1</sup>) Ibidem.

<sup>2</sup>) Ioan. 8, 11.

<sup>3</sup>) Ioan. 5, 14.

Homines in-  
genio praediti  
in stereore vi-  
tiorum viven-  
tes scabiei  
dicuntur; unde  
Christus repu-  
tatus vermis,  
et non homo,  
in cruce cla-  
mavit quasi  
scabeus,  
Deus. Deus  
mens.

S. Aug. ep.  
54. ad Mae-  
don. et habe-  
tur 14. q. 6.  
c. 1. et in 6.  
de reg. iuris  
c. Peccatum,  
2.

Quartum.

<sup>4</sup>) Matth. 6,  
14. et 18, 33.

*vester caelestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Haec sunt, quae fidelibus in contritione observanda sunt: cetera, quae ad hanc rem a pastoribus colligi facile poterunt, efficient quidem, ut in suo genere contritio sit magis perfecta et absoluta; verum adeo necessaria existimanda non sunt, ut sine his verae et salutaris poenitentiae ratio constare non possit.

**34. Quae sit propria contritionis vis et utilitas.**

Sed quoniam non satis esse pastoribus debet, si doceant, quae ad salutem videntur pertinere, nisi etiam omni cura et industria laborent, ut fideles ad eam ipsam rationem, quae illis praescripta est, vitam actionesque suas dirigant, vehementer proderit contritionis vim et utilitatem saepius proponere. Nam, quum pleraque alia pietatis studia, <sup>1</sup> veluti beneficentia in pauperes, ieiunia, preces, et alia id genus sancta et honesta opera, hominum culpa, a quibus profisciscuntur, a Deo interdum repudientur; ipsa certe contritio numquam illi grata et accepta esse non potest. Nam inquit Propheta: <sup>2</sup> *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias.*

Quin etiam statim, ut eam mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis a Deo tribui alio loco eiusdem Prophetae verba illa declarant: <sup>3</sup> *Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* Atque eius rei figuram in <sup>4</sup> decem leprosis animadvertimus, qui a Salvatore nostro ad sacerdotes missi, antequam ad illos pervenirent, a lepra liberati sunt. Ex quo licet cognoscere, verae contritionis, de qua supra dictum est, eam vim esse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim a Domino impetremus.

**35. Qua ratione ad perfectionem contritionis veniatur.**

Plurimum etiam valebit ad fidelium mentes excitandas, si pastores rationem aliquam traderint, qua se quisque ad contritionem exercere possit. Monere autem oportet, ut, omnes con-

Prima utilitas est, quod sit certissima peccatorum medicina.

<sup>1</sup> Prov. 15, 8. Isa. 27. 58, 61.

<sup>2</sup> Ps. 50, 19.

Alterta utilitas est, quod sit facilis, expedita, et mox animae aegrotantis medicina.

<sup>3</sup> Ps. 31, 5.

<sup>4</sup> Lucas 17, 14.

Cone. trid. sess. 14. c. 4.

Primum re-



scientiam suam frequenter excutientes, videant, num, quae a Deo sive ecclesiasticis sanctionibus praecepta sunt, servaverint. Quod si quis aliquis sceleris reum se esse cognoverit, statim seipsum accuset, supplexque a Domino veniam exposcat, et spatium tum confitendi, tum satisfaciendi sibi dari postulet; in primisque divinae gratiae praesidio se adiuvari petat, ne in posterum eadem illa peccata admittat, quae admisisse vehementer poenitet. Curandum erit praeterea pastoribus, ut in peccata summum fidelium odium concitetur, tum quia summa est illorum foeditas et turpitudine, tum quia gravissima damna et calamitates nobis afferunt. Nam <sup>1</sup> Dei benevolentiam, a quo maxima bona accepimus, longaque maiora exspectare et consequi licebat, a nobis abalienat, et summorum dolorum cruciatibus perpetuo afficiendos sempiternae morti nos addicit. Hactenus de contritione; nunc ad confessionem, quae est altera poenitentiae pars, veniamus.

36. *Quae sit confessionis praestantia, quamque fuerit ad christianam salutem necessaria eius institutio.*

Quantum vero curae et diligentiae in ea explicanda pastores ponere debeant, ex eo facile intelligent, quod omnibus fere piis persuasum est, quidquid hoc tempore sanctitatis, pietatis et religionis in ecclesia, summo Dei beneficio, conservatum est, id magna ex parte confessioni tribuendum esse; ut nulli mirandum sit, humani generis hostem, quum fidem catholicam funditus evertere cogitat, per ministros impietatis suae et satellites hanc veluti christianae virtutis arcem totis viribus oppugnare conatum esse. Primum itaque docendum est, confessionis institutionem nobis summopere utilem, atque adeo necessariam fuisse. Ut enim hoc concedamus, contritione peccata deleri, quis ignorat, illam adeo vehementem, acrem et incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine aequari conferrique possit? At quoniam pauci etiam ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda

quiritur peccati agnitio. Chrysost. homil. 2. in ps. 50.

Secundo sui ipsius accusatio.

Tertio confitendi, ac se emendandi propositum.

Quarto divini auxilii petitio.

Quinto vehementissima peccatorum detestatio.

1) Ps. 50, 7. Eccl. 12, 7.

Sep. 14, 9. alibi saepe.

De confessionis sacramentalis altera parte.

Confessionis quanta sit praestantia, primum colligitur ex eius necessitate ad salutem consequendam.

Trid. synod. sess. 14. de poen. c. 4. Quae contritio citra confessionem peccata delat.

Vi confessionis salutis

consequendae  
ratio efficitur  
facilior.  
1) Matt. 16, 19.  
et 18, 18.  
Ioan. 20, 23.

esset. Quare necesse fuit, ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret. Quod quidem admirabili consilio effecit, <sup>1</sup> quum claves regni caelestis ecclesiae tradidit.

### 37. *Confessio contritionem perficit.*

Amb. in  
serm. I. de  
quadrag. et  
habetur de  
poenit. dist. I.  
c. Ecce nunc  
tempus. Aug.  
lib. 2. de adult.  
coniug. c. 9.  
Chrys. lib. de  
sacerdot.

Etenim ex fidei catholicae doctrina omnibus credendum et constanter affirmandum est, si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat, etsi eiusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit; ei tamen, quum peccata sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti ac condonari; ut merito a sanctissimis viris patribus nostris celebratum sit, ecclesiae clavibus aditum in caelum aperiri. De quo nemini dubitare fas est, quum a concilio Florentino decretum legamus, poenitentiae effectum esse absolutionem a peccatis.

Flor. concilium in decreto Eugenii IV.  
Secundo confessionis excellentia inde colligitur, quod sit certissimum ad mores emendandos instrumentum.  
De poenit. dist. 6. c. Sacerdos, et de poenitent. et rem. c. Omnis utriusque sexus.

Verum ex eo praeterea licet cognoscere, quantum afferat confessio utilitatem, quod iis, quorum est corrupta vitae consuetudo, nihil tam prodesse ad mores emendandos experimur, quam si interdum occultas animi sui cogitationes, facta dictaque omnia prudenti et fideli amico patefaciant, qui eos opera et consilio iuvare possit. Quare ad eandem rationem maxime salutare existimandum est iis, qui scelerum conscientia agitantur, ut sacerdoti tamquam Christi domini vicario, cui perpetui silentii severissima lex proposita est, animae suae morbos et vulnera aperiant. Statim enim parata sibi medicamenta invenient, quae non solum praesentis aegritudinis sanandae, verum ita praeparandae animae caelestem quandam vim habeant, ut deinceps facile futurum non sit, in eiusdem morbi et vitii genus recidere.

Tertio hic intelligimus confessionis utilitatem, quod vitae humanae societatem, publicamque honestatem conservet.

Neque vero illa confessionis utilitas praetermittenda, quae ad vitae societatem et conjunctionem magnopere pertinet. Constat enim, si sacramentalem confessionem e christiana disciplina exemeris, plena omnia occultis et nefandis sceleribus futura esse: quae postea, et alia etiam multo graviora, homines, peccati consuetudine

depravati, palam committere non verebuntur. Etenim confitendi verecundia, delinquendi cupiditati, et licentiae tamquam frenos iniicit, et improbiterat cœrcet. Sed iam confessionis utilitate exposita, quae sit eius natura et vis, pastoribus tradendum erit.

38. *Confessionis sacramentalis descriptio et natura.*

Eam igitur definiunt esse peccatorum accusationem, quae ad sacramenti genus pertinet, eo susceptam, ut clavium virtute veniam impetremus. Recte autem accusatio dicitur, quod peccata ita commemoranda non sunt, quasi scelera nostra ostentemus, ut ii faciunt, <sup>1</sup> *qui laetantur, quum male fecerint*, aut omnino enarranda, ut si rem aliquam gestam otiosis auditoribus delectandi causa exponamus; verum accusatorio animo ita enumeranda sunt, ut ea etiam in nobis vindicare cupiamus. Veniae autem impetrandae causa peccata confitemur, quoniam hoc iudicium longe dissimile est forensibus capitalium rerum quaestionibus, in quibus confessioni poena et supplicium, non culpae liberatio, et errati venia constituta est. In eandem fere sententiam, quamvis aliis verbis, sanctissimi patres videntur confessionem definiisse, veluti quum sanctus Augustinus inquit: *Confessio est, per quam morbus latens spe veniae aperitur*; et sanctus Gregorius: *Confessio est peccatorum detestatio*; quarum utraque, quod in superiori definitione continetur, facile ad eam referri poterit.

39. *Qua ex causa, et quando instituta sit a Christo confessio.*

Sed iam, quod omnium maxime faciendum est, docebunt parochi, ac sine ulla dubitatione fidelibus tradent, hoc sacramentum a Christo domino, <sup>2</sup> qui bene omnia, et unius salutis nostrae causa fecit, ob eius summam bonitatem et misericordiam institutum esse. Apostolis enim post resurrectionem unum in locum congregatis insufflavit, dicens: <sup>3</sup> *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.*

Quid sit confessio, vide Alex. de Ales. 4. part. q. 76. membr. 1. Scot. 4. sent. dist. 17. q. 1.

Peccata accusatorio animo confessione sunt enumeranda.

1) Prov. 2. 14. S. Chrysostomus hom. 20. in genes.

Iudicium confessionis est dissimile forensibus iudiciis.

Aug. Serm. 3. de verb. Domini in lib. de vera et falsa poen. c. 10. Greg. hom. 40. in evang. et lib. 10. moral. c. 15.

Conc. trid. sess. 14. de poen. c. 15. et can. 6. Alex. de Ales. 4. part. q. 76. mem. 3. art. 2. 2) Marc. 7. 37.

3) Ioan. 20. 22. Aug. in lib. 50. hom. 49. habetur de poen. dist. 1. cap. Agite.

40. *Ex quibus aliis scripturae locis confessionem a Christo institutam esse colligatur.*

- Atque idem significare visus est Dominus, quum apostolis id negotii dedit, <sup>1</sup> ut Lazarum a mortuis excitatum a vinculis solverent, quibus constrictus erat. Nam sanctus Augustinus eum locum ita explanat: *Ipsi, inquit, sacerdotes plus iam possunt proficere, plus confitentibus parcere, quibus crimen remittunt: Dominus scilicet per ipsos apostolos Lazarum, quem iam suscitaverat, obtulit discipulis solvendum, ostendens potestatem solvendi esse concessam sacerdotibus.*
- 1) Ioan. 11, 44. S. Aug. lib. de vera et fal. poenit. c. 19. et serm. 8. de verb. Dom. vide item in Ioan. tract. 29. et tract. 49. et in ps. 101, conc. 2.
- 2) Lucae 17, 14. 15. Quo etiam pertinet, quod iis, <sup>2</sup> qui a lepra in itinere curati sunt, praeceperat, ut sacerdotibus se ostenderent, illorumque iudicium subirent.

41. *Quo modo ex verbis Domini necessario confessio sacerdoti facienda colligatur, et quod sint iudices apostolorum successores.*

- Quum igitur Dominus potestatem retinendi et remittendi peccata sacerdotibus tribuerit, perspicuum est, ipsos etiam ea de re <sup>3</sup> iudices constitutos fuisse. At quoniam, ut sancta <sup>4</sup> Tridentina synodus sapienter admonuit, de qualibet re verum iudicium fieri, atque in repetendis criminum poenis iustitiae modus teneri non potest, nisi plane cognita et perspecta causa fuerit; ex eo sequitur, ut poenitentium confessione singulatim peccata omnia sacerdotibus patefacienda sint. Haec igitur pastores docebunt, quae a sancta Tridentina synodo decreta, ac perpetuo a catholica ecclesia tradita sunt. Si enim sanctissimos patres attente legimus, nusquam non apertissima testimonia occurrent, quibus confirmetur, hoc sacramentum a Christo domino institutum esse, et confessionis legem, quam illi *exomologesin* et *exagoreusin* graeco vocabulo appellant, tamquam evangelicam accipiendam esse. Quod si etiam veteris testamenti figuras exquirimus, sine dubio ad peccatorum confessionem videntur pertinere varia illa <sup>5</sup> sacrificiorum genera, quae ad expianda diversi generis peccata a sacerdotibus fiebant.
- 3) Aug. lib. 20. de civit. Dei c. 9. in evang. Ambr. lib. 2. de Cain c. 4. et habetur de poenit. dist. 1. c. Verbum Dei.
- 4) Conc. trid. de poenit. sess. 14. c. 5. can. 7. De exomologesi scripserunt Clem. rom. in ep. I. ad Iacobum fratrem Domini, Cyprian. de lapsis, et in ep. 10. et 55. ad Cornelium. Basil. q. 288. in reg. brevioribus, Leo pap. ep. 89. ad Theod.
- 5) Sacrificia pro peccato figurae fuerunt nostrae confessionis, quae habentur Le-

42. *Quo fructu ad sacramentalem confessionem ecclesia certas quasdam caeremonias adiunxerit.*

Sed quemadmodum confessionem a Domino salvatore institutam esse fideles docendi sunt, ita etiam monere eos oportet, quosdam ritus et solemnes caeremonias ecclesiae auctoritate ad-ditas esse; quae etsi ad sacramenti rationem non spectant, eius tamen dignitatem magis ante oculos ponunt, et confitentium animos pietate accensos ad Dei gratiam facilius consequendam praeparant. Quum enim aperto capite ad pedes sacerdotis abiecti, demisso in terram vultu, supplices manus tendentes, aliaque huiusmodi christianae humilitatis signa dantes, quae ad sacramenti rationem necessaria non sunt, peccata confitemur, ex his perspicue intelligimus, tum in sacramento caelestem vim agnoscendam, tum a nobis divinam misericordiam summo studio requirendam atque efflagitandam esse.

43. *Salutem citra confessionem recuperare non possunt, qui peccatis sunt obnoxii capitalibus.*

Iam vero nemo existimet confessionem a Domino quidem institutam, sed ita tamen, ut eius usum necessarium esse non edixerit. Etenim sic statuunt fideles, eum, qui mortali scelere premitur, confessionis sacramento ad spiritualem vitam revocandum esse. Quod quidem pulcherrima translatione a Domino aperte significatum videmus, quum huius sacramenti administrandi potestatem, <sup>1</sup> clavem regni caelorum appellavit. Ut enim locum aliquem ingredi nemo potest sine eius opera, cui claves commissae sunt; sic intelligimus, neminem in caelum admitti, nisi fores a sacerdotibus, quorum fidei claves Dominus tradidit, aperiantur. Aliter enim nullus plane clavium usus in ecclesia esse videbitur; ac frustra is, cui clavium potestas data est, quempiam caeli aditu prohibebit, si tamen alia via introitus patere queat. Hoc vero praeclare a sancto Augustino cognitum est, quum inquit:

*Nemo sibi dicet: occulte ago apud Dominum poenitentiam: novit Deus, qui mihi ignoscat,*

vit. 4. per totum 5. 6. 7. 8. 9. 12. 14. 15. et pluribus aliis in locis. Hieron. ep. 30. in epitaph. Fabiolae, et alii, quos supra citavimus sec. 18.

Haec etiam attigit sess. 22. trident. syn. de poen. cap. 5. et can. 7. Potestas ad solvendum cur clavi comparatur. 1) Matt. 16, 19:

Aug. lib. 50. hom. 40. et habetur de poenit. dist.

l. c. Agite. 1-  
tem in 4. sent.  
dist. 17. litte-  
ra A.  
1) Matt. 18, 18.  
S. Ambr. lib.  
L. de poenit.  
cap. 2.  
Novatiano-  
rum haeresis.

*quid in corde ago. Ergo sine causa dictum:  
Quae solveritis in terra, soluta erunt in caelo?  
Ergo sine causa claves datae sunt ecclesiae Dei?  
Atque in eandem sententiam sanctus Ambrosius  
in libro de poenitentia scriptum reliquit, quum  
Novatianorum haeresim convelleret, qui soli Do-  
mino potestatem remittendi peccata reservan-  
dam asserebant: *Ecquis Deum, inquit, magis  
veneratur, qui ne mandatis illius obtemperat,  
an qui resistit? Deus nobis iussit eius ministris  
obtemperare, quibus quum pareamus, honorem  
soli Deo deferimus.**

44. *Quo aetatis et anni tempore confitendum sit.*

Trid. syn.  
de poen. cap.  
58. et can. 8.  
levitici, 16.  
et 43.

Later. conc.  
e. 21. et babe-  
tur lib. 5. de-  
cretal. mis.  
Omnis utrius-  
que sexus,  
Scot. in 4. d.  
171. q. 1. 11. K.

Sed quum minime dubitari possit, confessio-  
nis legem ab ipso Domino latam et constitutam  
esse, sequitur, ut videndum sit, quinam, quo  
aetatis et anni tempore ei parere debeant. Pri-  
mum itaque ex concilii Lateranensis canone,  
cuius initium est: *Omnis utriusque sexus*, per-  
spicitur, neminem confessionis lege adstrictum  
esse ante eam aetatem, qua rationis usum habere  
potest. Neque tamen ea aetas certo aliquo an-  
norum numero definita est; sed illud universe  
statuendum videtur, ab eo tempore confessionem  
puero indictam esse, quum inter bonum et malum  
discernendi vim habet, in eiusque mentem dolus  
cadere potest. Nam quum ad id vitae tempus  
quisque pervenerit, in quo de salute aeterna de-  
liberandum est, tum primum sacerdoti peccata  
confiteri debet; quum aliter salutem sperare ne-  
mini liceat, qui scelerum conscientia premitur.  
Quo vero potissimum tempore confiteri oporteat,  
eo canone, de quo antea diximus, sancta ecclesia  
decrevit. Iubet enim, semel saltem quotannis  
fideles omnes peccata sua confiteri.

45. *Quoties christiani hoc beneficio uti debeant.*

Mortuis in  
primis neces-  
saria est con-  
fessio.

Verum si, quid salutis nostrae ratio postulet,  
consideremus, profecto quoties vel mortis peri-  
culum imminet, vel aliquam rem tractare aggre-  
dimur, cuius tractatio homini peccatis contami-  
nato non conveniat, veluti quum sacramenta  
administramus aut percipimus, toties confessio  
praetermittenda non est. Atque idem omnino ser-

Prudentis viri

vare oportet, quum veremur, ne nos alicuius culpae, quam admiserimus, oblivio capiat. Neque enim peccata confiteri possumus, quae non meminimus, neque peccatorum veniam a Domino impetramus, nisi ea poenitentiae sacramentum per confessionem debeat.

46. *Omnia peccata singillatim in confessione aperienda.*

Sed quoniam multa in confessione observanda sunt, quorum alia ad sacramenti naturam pertinent, alia non ita necessaria sunt; de his accurate agendum erit: neque enim desunt libelli et commentarii, ex quibus facile est horum omnium explicationem depromere. Illud autem in primis doceant parochi, in confessione curandum esse, ut integra et absoluta sit. Etenim omnia mortalia peccata sacerdoti aperire oportet. Nam venialia, quae nos a Dei gratia non divellunt, et in quae frequentius labimur, tametsi recte atque utiliter, quod piorum usus demonstrat, confitemur, tamen sine culpa praetermitti, multisque aliis rationibus expiari possunt; at mortifera peccata, ut iam diximus, singula enumeranda sunt, quamvis etiam occultissime lateant, et eius generis sint, quae duobus tantum extremis decalogi capitibus interdicuntur. Saepe enim evenit, ut ea gravius animam vulnerent, quam illa, quae aperte ac palam peccare homines solent. Ita vero a sancta Tridentina synodo definitum, atque a catholica ecclesia semper traditum est, quemadmodum sanctorum patrum testimonia declarant. Est enim apud sanctum Ambrosium in hunc modum: *Non potest quis iustificari a peccato, nisi confessus fuerit peccatum.* Sanctus etiam Hieronymus in Ecclesiastem idem plane confirmat; ait enim: *Si quem serpens diabolus occulte morderit, et, nullo conscio, eum peccati veneno infecerit, si tacuerit et poenitentiam non egerit, nec vulnus suum fratri aut magistro voluerit confiteri, magister, qui linguam habet ad curandum, prodesse non poterit.* Praeterea sanctus Cyprianus in sermone de lapsis apertissime hoc docet his verbis: *Quamvis nullo sacrificii aut*

et pii est saepius confiteri.

De conditionibus et circumstantiis ad confessionem requisitis.

Primo esse debet confessio integra et plena. Trid. syn. sess. 14. de poen. c. 5. et c. 7.

Peccata venialia qua ratione dimittantur, vide Ang. in enchir. cap. 71. citat. de poenit. dist. 3 de quotidianis, et in conc. tolet. VI. cap. 9.

Omnia et singula peccata necessario confitenda docet.

S. Ambr. lib. de parad. cap. 14. et l. 2. de poen. c. 7. Ier. super illud. c. 10. eccles. Si mordeat serpens, etc.

S. Cypr. lib. 2. de lapsis circa finem. Gregor. hom.

20. super Ezechiel.

*libelli facinore constricti sint, quoniam tamen de eo cogitaverunt, id ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesim conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt.* Denique haec omnium ecclesiae doctorum communis vox est atque sententia.

*47. Peccatorum circumstantiae, dum quis confitetur, sunt patefaciendae.*

Syn. trid. de poen. sess. 14. c. 5. et can. 7. Aug. de vera et falsa poen. c. 14. et de poen. dist. 5. c. Consideret.

Alex. de Ales. 4. part. q. 77. mem. 3.

Vide D. Th. in 2.2. q. 154. art. 1.

De circumstantia temporis vide sect. 29. in fine. Scot. 4. dist. 17. quaest. 1. lit. N. Circumstantiae non gravantes possunt reticeri.

Sed in confessione summa illa cura et diligentia adhibenda est, quam in rebus gravissimis ponere solemus, omneque studium ita eo confitendum, ut sanemus animae vulnera, et peccati radices evellamus. Neque vero solum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quae unumquodque peccatum circumstant, et pravitatem valde augent vel minuunt. Quaedam enim circumstantiae adeo graves sunt, ut peccati mortiferi ratio ex illis tantum constet; quare haec omnia confiteri semper oportet. Si quis enim hominem interemerit, explicandum est, utrum ille sacris initiatus, an profanus fuerit; itemque si cum muliere concubuit, matrimoniine lege libera, aut alterius uxore, aut propinqua, aut alicuius voti sponsione Deo consecrata, aperiat necesse est. Haec enim diversa peccatorum genera constituunt; ita ut primum quidem simplex fornicatio, alterum adulterium, tertium incestus, quartum sacrilegium a divinarum rerum doctoribus appelletur. Furtum etiam in peccatis numerandum est. Verum si qui aureum nummum furetur, levius omnino peccat, quam qui centum, vel ducentos, vel ingentem aliquam auri vim, praesertim vero qui sacram pecuniam abstulit. Quae etiam ratio ad locum et ad tempus pertinet; quorum exempla notiora sunt ex multorum libris, quam ut a nobis commemorentur. Haec igitur, ut diximus, enumeranda sunt; quae vero pravitatem rei magnopere non augent, sine crimine omitti possunt.



48. *Confessio, in qua sponte aliquid gravius reticetur, iteranda est.*

Sed ad confessionem adeo necessarium est, ut, quod antea diximus, integra sit et absoluta, ut si quis, dedita opera, alia quidem ex iis, quae explicari debent, praetermittat, alia vero tantummodo confiteatur, non solum ex ea confessione is commodum nullum consequatur, sed etiam novo scelere se obstringat. Neque eiusmodi peccatorum enumeratio confessionis nomine, in qua sacramenti ratio insit, appellanda est; quin potius poenitenti confessionem repetere est necesse, seque ipsum illius peccati reum facere, quod sacramenti sanctitatem simulatione confessionis violaverit.

49. *Confessio, in qua per oblivionem vel incuriam leve aliquid omissum est, non iteranda.*

At vero, si alia de causa confessioni aliquid defuisse videatur, vel quia poenitens nonnulla crimina oblitus fuerit, vel quia conscientiae suae latebras non ita accurate perquisiverit, quum tamen illud in animo haberet, ut integre peccata omnia confiteretur, nihil ei opus erit confessionem iterare; satis autem habebit, si quando peccata, quae oblitus erat, in memoriam reduxerit, ea sacerdoti alio tempore confiteri. In quo tamen animadvertendum est, ne forte nimis dissolute et remisse conscientiam nostram scrutati simus, adeoque negligenter peccata admissa memoria repetere studuerimus, ut ea ne recordari quidem voluisse merito videri possimus. Id enim si factum fuerit, confessionem iterare omnino oportebit.

50. *Nuda, simplex et aperta debet esse confessio.*

Praeterea curandum est, ut confessio nuda, simplex et aperta sit, non artificiose composita; quod a nonnullis fit, qui potius vitae suae rationem exponere, quam peccata confiteri videntur. Ea enim confessio esse debet, quae nos tales sacerdoti aperiat, quales nos ipsos novimus, certaque pro certis, ac dubia pro dubiis demonstrat. Quod si vel peccata non recensentur, vel alieni

Primo confessio, in qua aliquid sponte reticetur, quam sit noxia, et quod sit iteranda.

Trid. syn. sess. 14. de poen. c. 5.

Secundo negligentia magna et voluntaria iteratorem confessionis postulat.

Tertio nuda, et remotis ambagibus, aperienda sunt peccata.

a re, quam tractamus, sermones inferuntur, perspicuum est, confessionem hac virtute carere.

*51. Prudens et verecunda debet esse confessio.*

Quarto considerata sit et verecunda confessio.

Vehementer etiam commendandi sunt, qui prudentiam et verecundiam in explicandis rebus adhibent. Neque enim nimis multis verbis agendum est, sed quae ad cuiusque peccati naturam et rationem pertinent, brevi oratione, quae modestiam coniunctam habeat, aperienda sunt.

*52. Per internuntium aut per litteras fieri non potest.*

Quinto secreta sit confessio, et extra periculum revelandi.

Matth. 8, 4.

Lucae 10.

Rom. 10.

Illud vero etiam tum confitenti, tum sacerdoti maxime laborandum est, ut eorum sermo in confessione secreto habeatur. Quare fit, ut nemini omnino neque per nuntium, neque per litteras, quoniam ea ratione nihil iam occulte agi potest, peccata confiteri liceat.

*53. Expediit homini christiano saepius confiteri.*

Utilitas frequentatae confessionis.

Sed nulla res fidelibus adeo curae esse debet, quam ut frequenti peccatorum confessione animam studeant expiare. Etenim quum aliquis mortifero scelere urgetur, nihil ei magis salutare esse potest ob multa, quae impendent, vitae pericula, quam statim peccata sua confiteri. Nam ut sibi quisque diuturnum vitae spatium polliceri queat, turpe profecto est, quum in eluendis corporis aut vestium sordibus tam diligentes simus, non eadem saltem diligentia curare, ne animae splendor turpissimis peccati maculis obscescat.

*54. Quotuplici potestate minister praeditus esse debeat.*

De legitimo et idoneo confessionis sacramentalis ministro. Minister duplici potestate sit praeditus.

Trid. syn. sess. 14. c. 5, et 6, de poenit. can. 10.

1) Ioan. 20, 23, Ordinis potestas unde probetur. Trident. syn. cap. 7. sess. c.

Eadem iu-

Sed iam de ministro huius sacramenti dicendum est. Eum autem sacerdotem esse, qui ordinariam aut delegatam absolvendi potestatem habeat, ex ecclesiasticis sanctionibus satis apparet. Habeat enim oportet non solum ordinem, verum etiam iurisdictionis potestatem, qui hoc munere fungi debet. Illustre vero huius ministerii testimonium praebent illa Domini verba apud sanctum Ioannem: <sup>1</sup> *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Neque enim omnibus, sed apostolis tantum haec dicta fuisse constat, quibus in hac functione sacerdotes succedunt; idque etiam maxime con-

sentaneum est: nam quum omne gratiae genus, quae hoc sacramento tribuitur, a Christo capite ad membra derivetur; merito debent corpori Christi mystico, id est fidelibus, illud administrare, qui soli verum eiusdem corpus conficiendi potestatem habent, quum praesertim fideles hoc ipso poenitentiae sacramento ad sacram eucharistiam sumendam apti idoneique reddantur. Verum quanta olim religione in antiquissima ecclesia ius ordinarii sacerdotis conservatum fuerit, ex veteribus patrum decretis facile intelligitur, quibus cautum est, ne quis episcopus aut sacerdos in alterius parochia aliquid gerere auderet sine ipsius auctoritate, qui illi praesesset, aut nisi magna necessitas cogere videretur. Ita vero ab Apostolo sancitum est, quum Tito praecepit, <sup>1</sup> ut in

risdictionis potestas unde probetur, concil. antioch. chalced. et alia. Facit etiam ad hoc c. Placuit de poen. dist. 6. et cap. Omnis utriusque sexus. De Poenitentia et remissione.

1) Tit. I, 5.

55. *Potest quisvis sacerdos quemcumque peccatorem in necessitate absolvere.*

Quamquam, si mortis periculum imminet, et proprii sacerdotis facultas non datur, ne hac occasione aliquis pereat, in ecclesia Dei custoditum fuisse concilium Tridentinum docet, ut unicuique sacerdoti liceret, non solum omni peccatorum genere, cuiuscumque potestatis sit, illa condonare, sed etiam ab excommunicationis vinculo solvere.

Quanta cuiusque sacerdotis in periculo mortis circa absolutionem potestatis. Trident. syn. de poen. sess. 14. cap. 6.

56. *Qualis cuique de sua salute sollicito deligendus sit confessionis minister.*

Iam praeter ordinis et iurisdictionis potestatem, quae prorsus necessaria sunt, in primis opus est, ut huius sacramenti minister tum scientia et eruditione, tum prudentia praeditus sit; iudicis enim et medici simul personam gerit. Ac quod ad primum attinet, satis constat, non vulgarem scientiam necessariam esse, qua et peccata investigare, et ex variis peccatorum generibus, quae gravia, quae levia sint, pro cuiusque hominis ordine et genere iudicare possit. Ut autem medicus est, summa quoque prudentia indiget. Etenim diligenter providendum est, ut ea re-

Eruditio et prudentia etiam in confessione necessaria.

Aug. lib. de vera et falsa poen. c. 10. et habet. de poenit. d. I. cap. Quem poenitet.

Confessarius iudicis personam sustinet, trident. syn. sess. 14. de poen. cap. 6. et cap. 9.

Confessarius medici perso-

nam sustinet. S. Basil. in reg. brev. quaest. 229. et conc. later. cap. 21. et de poen. et rem. cap. Omnis utriusque.

Qualis confessorius deligendus.

Confessarii quanta debeat esse taciturnitas, Scot. in 4. dist. 21. quaest. 2. De poen. d. 6. cap. Sacerdos, et de poenit. et remiss. cap. Omnis, ex conc. lateran. cap. 21.

Nec etiam de licentia poenitentis propter tria, fidelitatem secreti, reverentiam sacramenti, et obligationem praeccepti.

De his, quae ad confessionis usum per sacerdotem circa poenitentem sunt observanda.

media aegrotis adhibeantur, quae ad illius animam sanandam, et in posterum contra morbum vim muniendam aptiora esse videantur. Ex quo poterunt fideles intelligere, cuivis maximo studio curandum esse, ut eum sibi sacerdotem deligat, quem vitae integritas, doctrina, prudens iudicium commendat; qui, et quantum in eo officio, cui praeest, ponderis et momenti sit, et quae cuique sceleri poena conveniat, et qui vel solvendi vel ligandi sint, optime noverit.

57. *Numquam, quae inter confitendum sunt audita, verbo aut signo patefacere licet.*

Sed quoniam nemo est, qui non vehementer cupiat, scelera et turpitudinem suam occultari; monendi sunt fideles, nihil esse, quod timeant, ne ea, quae ipsi confessione patefecerint, a sacerdote ulli unquam indicentur, neve aliquod ex ea periculi genus sibi ullo tempore creari possit: sacrae enim sanctiones gravissime in eos sacerdotes animadverti voluerunt, qui peccata omnia, quae aliquis eis confessus fuerit, perpetuo et religioso silentio compressa non tenuerint. Quare in concilio Lateranensi magno ita legimus: *Caveat omnino sacerdos, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo, prodatur aliquatenus peccatorum.*

58. *Quae sint praecipue observanda sacerdoti aliorum confessiones excipienti.*

Sed iam ordo rerum postulat, quum de ministro dictum sit, ut quaedam praecipua capita explicentur, quae ad confessionis usum et tractationem non parum sunt accommodata. Magna enim fidelium pars, quibus vulgo nihil longius videri solet, quam ut dies illi, qui ecclesiastica lege confessioni praefiniti sunt, effluent, tantum absunt a christiana perfectione, ut vix peccatorum suorum meminerint, quae sacerdoti patefacienda essent, nedum cetera diligenter curent, quae ad divinam gratiam conciliandam vim habere maximam perspicuum est. Quare quum illorum salutem omni studio succurrendum sit, hoc primum sacerdotes in poenitentem diligenter observabunt, si veram peccatorum suorum contritio-

nem habeat, certumque illi sit ac deliberatum, in posterum a peccatis abstinere. Quod si ita animo affectum esse animadverterint, moneant et vehementer hortentur, ut pro tanto et tam singulari beneficio maximas gratias Deo agat, ab eoque caelestis gratiae praesidium petere numquam desinat, quo munitus ac tectus facile poterit pravis cupiditatibus resistere ac repugnare.

Docendus est etiam, ut nullum patiatur esse diem, quin aliquid de passionis Domini nostri mysteriis meditetur, ad eumque imitandum et summa charitate amandum ipse se excitet atque inflammet: hac enim meditatione assequetur, ut ab omnibus daemonis tentationibus in dies se tutiorem esse sentiat. Neque enim ulla alia est causa, cur tam cito, vel leviter ab hoste impugnat, animo et viribus succumbamus, quam quod ex caelestium rerum meditatione divini amoris ignem concipere non studemus, quo mens recreari atque erigi possit. Sin autem sacerdos intellexerit, eum qui velit confiteri, adeo peccata sua non dolere, ut vere contritus dicendus sit; conetur magno contritionis desiderio eum afficere, ut deinde huius praeclari doni cupiditate incensus, illud a Dei misericordia petere et efflagitare in animum inducat.

59. *Quo modo se gerere debeat confessarius erga eos, qui sua peccata excusant.*

In primis autem reprimenda est quorundam superbia, qui scelera sua excusatione aliqua vel defendere, vel minora facere nituntur. Nam exempli causa, quum aliquis fateatur, se ira vehementius commotum fuisse, statim huius perturbationis causam in alium confert, a quo prius sibi iniuriam factam esse queritur. Monendus itaque est, hoc elati animi, et hominis peccati sui magnitudinem vel despicientis, vel plane ignorantis signum esse; tum vero eiusmodi excusationis genus ad augendum potius, quam ad minuendum peccatum pertinere. Nam qui ita factum suum probare contendit, hoc videtur profiteri, se tunc patientia usurum esse, quum a nemine iniuria

Primum videant, an poenitens vere sit contritus, et propositum abstinendi habeat.

Deinde doceatur, ut frequenter beneficii passionis Christi recordetur.

Meditatio quantam vim habeat adversus tentationes, Ps. 38.

Excitandus est poenitens negligentior ad contritionem.

Monendus est confitens peccata sua ut non excuset. Ps. 140.

laedetur; quo quidem nihil homine christiano indignius esse potest. Etenim quum illius vicem maxime dolere debuerit, qui iniuriam fecit: tamen non peccati pravitate commovetur, sed fratri irascitur, ac quum ei praeclara occasio oblata fuerit, ut Deum patientia colere, et fratrem mansuetudine sua corrigere possit, salutis materiam ad perniciem suam convertit.

60. *Quo modo iis consulet confessarius, qui peccata sua confiteri erubescunt, vel imparati eum adeunt.*

Lacrimae  
lavent deli-  
etum, quod  
voce pudor est  
confiteri, Am-  
bros. lib. 10.  
eom. in Lu-  
eam, et ser. 46.  
quae verba in-  
telliguntur  
e categorice, et  
quotiescum-  
que articulus  
necessitatis ex-  
cludit confes-  
sionem oris.

Perniciosior autem est illorum culpa existi-  
manda, qui, stulta quadam verecundia impediti,  
peccata confiteri non audent. Iis igitur hortando  
animos addere oportet, monendique sunt, nihil  
esse, quod vitia sua aperire vereantur, nullique  
mirum videri debere, si intelligat homines pec-  
care; qui quidem communis est omnium morbus,  
et in humanam imbecillitatem proprie cadit.

Alii sunt, qui, vel quod raro peccata sua confi-  
teri solent, vel quod nullam curam et cogitatio-  
nem in pervestigandis suis sceleribus posuerunt,  
nec commissa confessione expedire, nec unde eius  
officii initium ducendum sit, satis sciunt. Quos  
certe acrius obiurgare opus est, atque in primis  
docere, prius quam ad sacerdotem aliquis adeat,  
omni studio curandum esse, ut peccatorum suorum  
contritione commoveatur; id vero praestari  
nullo modo posse, nisi ea reminiscendo singil-  
latim recognoscere studeat. Quare, si sacerdos  
huiusmodi homines prorsus imparatos esse co-  
gnoverit, humanissimis verbis a se dimittet,  
hortabiturque, ut ad cogitanda peccata aliquod  
spatium sumant, ac deinde revertantur. Quod si  
forte affirmaverint, se in eam rem omne studium  
et diligentiam suam contulisse (quoniam sacer-  
doti maxime verendum est, ne semel dimissi am-  
plius non redeant), audiendi erunt; praesertim  
vero si emendandae vitae studium aliquod prae  
se ferant, adducique possint, ut negligentiam  
suam accusent, quam se alio tempore diligenti et  
accurata meditatione compensaturos promittant.  
In quo tamen magna cautio adhibenda est. Si  
enim, audita confessione, iudicaverit, neque in

enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse, absolvi poterit; sin autem utrumque in eo desiderari animadverterit, auctor illi et suasor erit, ut maiorem curam, quod autea dictum est, in excutienda conscientia adhibeat, hominemque, ut blandissime poterit, tractatum dimittet.

61. *Pudori quorundam quo modo consulendum.*

Sed quoniam interdum contingit, ut mulieres, alicuius sceleris in priori confessione oblitae, iterum ad sacerdotem non audeant redire, quod vereantur, ne vel in suspicionem magnae improbitatis populo veniant, vel singularis religionis laudem quaerere existimentur; saepe tum publice, tum privatim docendum est, neminem tanta memoria esse, qui omnia sua facta, dicta et cogitata meminisse queat: quapropter fideles nulla re deterrendos esse, quominus ad sacerdotem revertantur, si in memoriam alicuius criminis redierint, quod antea fuerit praetermissum. Haec igitur, atque alia huius generis multa in confessione a sacerdotibus observanda erunt. Nunc ad tertiam poenitentiae partem, quae satisfactio appellatur, veniendum est.

62. *Quid in genere, quidque in materia confessionis significet satisfactio.*

Primum itaque satisfactionis nomen et vis exponenda est. Hinc enim catholicae ecclesiae hostes amplam occasionem dissidii et discordiae, cum maxima christiani populi pernicie, arripuerunt. Est autem satisfactio, rei debitae integra solutio. Nam quod satis est, ei nihil videtur deesse. Quare quum de gratiae reconciliatione loquimur, idem satisfacere significat, quod alteri tantum praestare, quantum irato animo ad ulciscendam iniuriam satis esse possit; atque ita satisfactio nihil aliud est, quam iniuriae alteri illatae compensatio. Quod autem ad hunc locum pertinet, satisfactionis nomen divinarum rerum doctores ad declarandam eam compensationem usurparunt, quum homo pro peccatis commissis Deo aliquid persolvit.

Quid satisfactio, ut ad poenitentiam pertinet, vide caput Satisfactio, de poen. dist. 3. et doct. in illud, et Thom. in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. q. 1.

63. *Quot sint gradus satisfactionis, quae compensationem aliquam peccati includit.*

Satisfactio-  
nis spiritualis  
varii gradus,  
et multiplex  
acceptio. Pri-  
mo propria et  
plena satisfac-  
tio Christo  
est adscriben-  
da, vide Th.  
in 3. p. q. 38.  
art. 2.

1) 1. Ioan. 2, 2.  
Vide item Io-  
an. 1, 29.  
2. Cor. 5, 29.  
Ephes. 1, 5. 7.  
Hebr. 9, 11.  
12. 13.

2) Ps. 145. 12.

3) Ibidem 13.

Secundo ac-  
cipitur pro sa-  
tisfactione sa-  
cramentali et  
canonica, quae  
est poenae im-  
positae a sa-  
cerdote cum  
proposito vi-  
tae emendan-  
dae persolutio.

Tertio acci-  
pitur pro sa-  
tisfactione ul-  
tro suscepta.

Quo in genere quoniam multi gradus esse possunt, hinc fit, ut satisfactio varie accipiatur. Ac prima quidem et praestantissima illa est, qua pro scelerum nostrorum ratione, etiamsi Deus summo iure nobiscum velit agere, quidquid a nobis debeat, cumulate persolutum est: haec vero eiusmodi esse dicitur, quae nobis Deum propitium et placatum reddidit, eamque uni Christo domino acceptam ferimus, qui in cruce, pretio pro peccatis nostris soluto, plenissime Deo satisfecit. Neque enim ulla res creata tanti esse potuit, quae nos tam gravi debito liberaret; atque, ut sanctus Ioannes testatur, <sup>1</sup> *ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Haec igitur plena et cumulata est satisfactio, scelerum omnium rationi, quae in hoc saeculo commissa sunt, pariter aequaliterque respondens; cuius pondere hominum actiones apud Deum plurimum valent, ac sine eo nulla prorsus aestimatione dignae haberentur. Atque huc Davidis verba videntur spectare, qui postquam secum ipse reputans, illud protulisset: <sup>2</sup> *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? nihil praeter hanc satisfactionem, quam calicis nomine expressit, dignum tot tantisque beneficiis invenire potuit; quare subiecit: <sup>3</sup> Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.*

Alterum satisfactionis genus est ea, quae et canonica appellatur, et certo temporis spatio definita perficitur. Quare antiquissimae ecclesiae usu receptum est, ut quum poenitentes a peccatis solvuntur, poena aliqua eis irrogetur, cuius poenae solutio satisfactio vocari consuevit.

Eodem vero nomine quodlibet etiam poenae genus significatur, quam pro peccatis, non quidem a sacerdote constitutam, sed sponte nostra susceptam, atque a nobis ipsis repetitam sustinemus.



64. *Quid sit haec satisfactio, quae ad sacramentum poenitentiae pertinet.*

Verum haec ad poenitentiam, ut sacramentum est, minime pertinet; sed illa tantum sacramenti pars censenda est, quam diximus ex praecepto sacerdotis Deo pro peccatis dependi, hoc adiuncto, ut statutum cum animo et liberatum habeamus, peccata in posterum omni studio vitare. Ita enim <sup>1</sup> nonnulli definierunt: *Satisfacere est Deo debitum honorem impendere*; quod autem nemo debitum honorem Deo possit tribuere, nisi qui peccata omnino vitare constituat, satis apparet; <sup>2</sup> et: *Satisfacere est peccatorum causas excidere, et eorum suggestioni aditum non indulgere*. In quam sententiam alii senserunt, satisfactionem esse purgationem, qua eluitur quidquid sordium propter peccati maculam in anima resedit, atque a poenis tempore definitis, quibus tenebamur, absolvimur. Quae quum ita sint, facile erit fidelibus persuadere, quam necessarium sit, ut poenitentes in hoc satisfactionis studio se exerceant.

65. *Non semper cum remissione poenae aeternae, quae consequitur condonationem culpa, poena temporalis remittitur.*

Docendi enim sunt, duo esse, quae peccatum consequuntur: maculam et poenam. Ac quamvis semper, culpa dimissa, simul etiam mortis aeternae supplicium apud inferos constitutum condonetur; tamen non semper contingit, quemadmodum a Tridentina synodo declaratum est, ut Dominus peccatorum reliquias, et poenam certo tempore definitam, quae peccatis debetur, remittat. Cuius rei perspicua sunt exempla in sacris litteris, Genesis tertio capite, Num. XII. et XX. et <sup>3</sup> aliis permultis locis. Sed illud Davidis clarissimum et maxime illustre intuemur, cui, etsi Nathan dixerat: <sup>4</sup> *Dominus quoque transtulit peccatum tuum; non morieris*: is tamen gravissimas poenas ultro subiit, Dei misericordiam his verbis dies noctesque implorans: <sup>5</sup> *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo*

Trid. syn. sess. 14. de poen. c. 8. et 6. et can. 13.

1) Ansel. lib. I. Cur Deus homo c. 11.

2) Aug. de eccl. dogm. cap. 54. et habetur de poen. dist. 2. cap. Sequuntur.

Poenae aeternae cum remissione culpa semper remittitur, temporalis non item, trid. syn. sess. 14. de poen. cap. 8. can. 12. et 15.

3) Exod. 32. 32. Num. 14. 21. 22. Ps. 98. 8.

4) 2. Reg. 12. 13.

5) Ps. 50. 4. 5.

*munda me; quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.* Quibus verbis illud petium est a Domino, ut non solum crimen, sed poenam etiam crimini debitam condonaret, atque a peccati reliquiis purgatum, in pristinum decoris et integritatis statum restitueret. Atque haec quum summis precibus peteret, eum tamen Dominus, <sup>1</sup> tum filii ex adulterio suscepti, <sup>2</sup> tum Absalonis, quem unice diligebat, defectione et <sup>3</sup> morte multavit, aliisque poenis et calamitatibus affecit, quas illi antea intenterat. In Exodo etiam, <sup>4</sup> etsi Dominus, Mosis precibus exoratus, populo idololatrae pepererat, tamen minatus est, se tanti flagitii graves poenas repetiturum esse; ipseque Moses testatus est fore, ut illud Dominus severissime in tertiam et quartam usque generationem ulcisceretur. Haec vero a sanctis patribus in ecclesia catholica semper tradita esse, ipsorum auctoritate apertissime comprobatur.

66. *Quare non tantum indulgeat Deus homini per sacramentum poenitentiae, quantum per baptismum.*

Pluribus de causis omnis poena sacramento poenitentiae ut in baptismo, non remittitur. Trid. synod. eadem sess. 14. c. 8.

Prima ratio.

5) I. Cor. 3, 17.  
6) Ephes. 4, 30.  
Secunda ratio.

7) Hebr. 10, 19.

8) Rom. 2, 5.

Tertia ratio.

Verum qua de causa factum sit, ut poena omnis poenitentiae sacramento aequae ac baptismo non condonetur, praeclare a sancta Tridentina synodo explicatum est his verbis: *Divinae iustitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et daemonis servitute liberati, et accepto Spiritus sancti dono <sup>5</sup> scientes templum Dei violare, <sup>6</sup> et Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, <sup>7</sup> velut iniurii et contumeliosi Spiritui sancto in graviora labamur, <sup>8</sup> thesaurizantes nobis iram in die irae. Proculdubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi freno quodam coercent hae satisfactoriae poenae, cautioresque et vigilantiores in posterum poenitentes efficiunt.*

Accedit, ut tamquam testimoniationes quaedam

sint doloris, quem ex commissis peccatis capimus; qua ratione ecclesiae fit satis, quae nostris sceleribus graviter offensa est. Nam ut sanctus Augustinus ait: *Cor contritum et humiliatum Deus non spernit. Verum, quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel alia quaecumque signa procedit; recte ab iis, qui ecclesiae praesunt, tempora poenitentiae constituuntur, ut ecclesiae, in qua peccata ipsa remittuntur, satisfiat.*

1) Ps. 50, 19.  
S. Aug. enchir. c. 5, 65.  
et habetur de poen. dist. I. cap. In actione, et mag. in 4. sent. dist. 20.

67. Quo modo ex poenis nobis inflicti alii iuventur.

Praeterea poenitentiae nostrae exempla alios docent, quo modo ipsi vitam instituere, et pietatem sequi debeant. Quum enim poenas nobis pro peccatis irrogatas ceteri homines intuentur, et summam cautionem sibi in omni vita adhibendam, et mores pristinos corrigendos esse intelligunt. Quare sapientissime illud ab ecclesia observatum est, ut, quum ab aliquo publice flagitium commissum esset, publica etiam poenitentia ei indiceretur, ut ceteri, timore perterriti, deinceps peccata diligentius vitarent; quod etiam in occultis criminibus, quae graviora essent, interdum fieri solitum erat. Sed, ut diximus, in publicis hoc perpetuum fuit, ut, qui ea commiserant, antequam publicam poenitentiam suscepissent, non absolverentur. Interim vero pastores pro eorum salute Deum rogabant, atque, ut ipsi etiam poenitentes idem facerent, eos hortari non desinebant. Quo in genere summa fuit sancti Ambrosii cura et sollicitudo; cuius lacrimis fertur, quamplurimos, qui duro animo ad poenitentiae sacramentum accesserant, ita emollitos esse, ut vere contritionis dolorem conceperint. Verum postea tantum de veteris disciplinae severitate remissum est, atque ita charitas refrigit, ut iam plerique ex fidelibus ad peccatorum veniam impetrandam nullum intimum animi dolorem, atque gemitum cordis necessarium putent, sed illud satis esse arbitrentur, si speciem tantum dolentis habeant.

Quarta ratio.

Publica criminis publice expiari olim mos fuit. Vide Aug. lib. 5. de civ. cap. 26. et de vera, et falsa poen. c. 11.

Ambr. lib. I. de unica poen. cap. 10. quod habetur de poenit. dist. cap. Reperiuntur.

68. *Per poenitentiam Christo assimilamur.*

- Quinta ratio. Deinde vero huiusmodi poenarum perpessione consequimur, ut capitis nostri Iesu Christi, <sup>1</sup> *in quo passus est ipse et tentatus*, similitudinem et imaginem geramus. Nihil enim tam deforme videri potest, ut a sancto Bernardo dictum est, quum sub spinoso capite delicatum esse membrum. Nam, teste Apostolo, <sup>2</sup> *coheredes autem Christi sumus, si tamen compatimur*; et quod alio loco scripsit: <sup>3</sup> *Si commortui sumus, et convivemus, si sustinebimus, et conregnabimus.*
- 1) Hebr. 2, 18.  
 D. Bernardus serm. 5. de omnibus sanctis.  
 2) Rom. 8. 17.  
 3) 2. Tim. 2, 11, 12.

69. *Quo modo post Dei misericordiam in peccato iustitiae etiam locus sit.*

- Divus etiam Bernardus duo affirmat in peccato reperiri: maculam animae et plagam; ac turpitudinem quidem ipsam Dei misericordia tolli, verum sanandis peccatorum plagis valde necessariam esse eam curam, quae in remedio poenitentiae adhibetur. Quemadmodum enim, sanato vulnere, cicatrices quaedam remanent, quae et ipsae curandae sunt; ita in anima, culpa condonata, supersunt peccatorum reliquiae purgandae. Idem plane divi Chrysostomi sententia confirmat, quum ait: *Non satis est sagittam e corpore extrahi, sed plaga quoque a sagitta inflicta sananda est; sic etiam in anima post acceptam peccati veniam, poenitentia curanda est plaga relicta.* Frequentissime enim a sancto Augustino docemur, duo haec in poenitentia animadvertenda esse: Dei misericordiam et iustitiam: misericordiam, qua peccata, et poenas aeternas illi debitas condonat; iustitiam, qua poenis tempore definitis hominem punit.
- D. Bern. in ser. de coena domini. Vide item D. Thom. in 3. part. q. 86. art. 4, et 3.  
 D. Chrysost. hom. 80. ad pop. Antioch.  
 S. August. in Ps. 50. super illud: Ecce enim veritatem. Scot. 4. dist. 14. q. 4. liit. 1.

70. *Per poenitentiam poenas a Deo nobis praeparatas effugimus.*

- Duo in poenitentia animadvertenda. Sexta ratio. Postremo, poenitentiae poena a nobis suscepta Dei animadversionem, suppliciaque in nos constituta antevertit. Ita enim docet Apostolus, quum ait: <sup>4</sup> *Si nosmetipsos diiudicavimus, non utique iudicabimur: dum iudicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Quae quum fidelibus explicata fue-
- Duo in poenitentia animadvertenda.  
 4) I. Cor. 11, 31, 32.

rint, vix fieri poterit, quominus ad poenitentiae opera maxime excitentur.

71. *Unde nostra opera sint tum meritoria, tum etiam satisfactoria.*

Eius autem quanta vis sit, ex eo colligitur, quod tota a Christi domini passionis merito pendet. A quo etiam honestis actionibus duo illa maxima bona consequimur: alterum est, ut immortalis gloriae praemia mereamur, ita ut <sup>1</sup> calix etiam aquae frigidae, quam in eius nomine dederimus, mercede non careat; alterum, ut pro peccatis nostris satisfaciamus.

72. *Christi satisfactionem et meritum nostra satisfactio non obscurat.*

Neque vero id perfectissimam et cumulatis-  
simam Christi domini satisfactionem obscurat; sed illud potius contra evenit, ut multo clarior et illustriorem reddat. Eo enim copiosior Christi gratia videtur esse, quod non solum ea nobiscum communicantur, quae ipse solus, sed illa etiam, quae tamquam caput in membra suis sanctis et iustis hominibus promeruit ac persolvit. Qua ratione fieri perspicuum est, ut iustae et honestae piorum actiones tantum ponderis et dignitatis habeant. Christus enim dominus, tamquam <sup>2</sup> caput in membra, et <sup>3</sup> vitis in palmites, gratiam suam in eos, qui sibi per charitatem coniuncti sunt, continenter diffundit. Quae quidem <sup>4</sup> gratia bona opera nostra semper antecedit, comitatur et consequitur, et sine qua mereri aut satisfacere Deo nullo modo possumus. Atque ita fit, ut iustis nihil deesse videatur, quum operibus, quae Dei virtute efficiunt, et divinae legi pro humana mortali que conditione satisfacere, et vitam aeternam, quam scilicet, si Dei gratia ornati e <sup>5</sup> vita decesserint, consequentur, mereri possint. Nota est enim illa Salvatoris vox: <sup>6</sup> *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.*

Passionis Christi merito opera nostra sunt et meritoria, et satisfactoria. Trident. synod. sess. 14. de poen. cap. 8. can. 13, 14. et sess. 6. de iustif. c. 16.

1) Matt. 10, 42.

Merita sanctorum quomodo etiam aliis prosint, et unde tantus ecclesiae catholicae

thesaurus sit collectus, concil. trid. sess. 14. cap. 9. lib. 1. reg. brev. q. 12.

2) Ephes. 4, 16.

3) Ioan. 15, 4.

5. 6. 7. 8. Haec ad verbum

transumpta

sunt ex sess.

8. cap. 8. trident. synod.

4) Gratia Dei bona opera

praevenit, consequitur, et comitatur, conc.

aurel. can. 18.

Fulg. lib. 1.

de Mo. c. 11.

et 12. Vitam aeternam cum

Dei gratia mereri possumus.

Ps. 33, et 36.

5) 1. Cor. 15, 18.

et 2. Cor. 3, 17.

et 2. Tim. 4, 8.

et Hebr. 8, 10.

Iusti quomodo divinae legi satisfaciant.

6) Ioan. 4, 13.

14.

Opera impiorum licet non sint Deo

grata, sunt tamen satisfactoria. ler. 6. Scot. 4. dist. 15. q. 1. lit. O. et 17. q. 1. lit. P. Alex. 4. p. q. 75. mem. 1. in fine, ut patet de audiente missam in die festo, ieiunante in quadragesima, et recitante officium.

1) Rom. 14, 13.

2) I. Cor. 13, 3.

Hoc parochi docere debent, ne peccatores desperent.

3) Cyprian. lib.

I. epist. 3. post

medium, quae

est 55. in or-

dine. Trid. syn.

sess. 14. de

poen. can. 12.

Leo serm. 1.

de ieiun. 10.

mensis.

Bern. in sent.

sect. 12.

73. *Ad hoc, ut opus aliquod veram vim satisfaciendi habeat, quae sint potissimum necessaria.*

Sed duo praecipue in satisfactione requiruntur: primum est, ut is, qui satisfacit, iustus sit, ac Dei amicus: opera enim, <sup>1</sup> quae sine fide et <sup>2</sup> charitate fiunt, nullo modo Deo grata esse possunt; alterum, ut eiusmodi opera suscipiantur, quae natura sua dolorem et molestiam afferant: quum enim praeteritorum scelerum compensationes sint, atque, ut sanctus <sup>3</sup> martyr Cyprianus ait, redemptrices peccatorum, omnino necesse est, ut aliquid acerbitatis habeant. Quamquam non semper illud consequitur, ut, qui se in illis molestis actionibus exercent, doloris sensum habeant. Saepe enim vel patiendi consuetudo, vel accensa in Deum charitas efficit, ut quae perpressu gravissima sunt, ne sentiantur quidem. Nec tamen idcirco fit, quominus ea ipsa opera satisfaciendi vim habeant; siquidem hoc proprium est filiorum Dei, ita eius amore et pietate inflammari, ut acerbissimis laboribus cruciati, aut nihil fere incommodi sentiant, aut omnia laetissimo animo perferant.

74. *Quot sint opera satisfactionis.*

Verum omne satisfactionis genus pastores docebunt ad haec tria praecipue conferendum esse: orationem, ieiunium, eleemosynam; quae quidem tribus bonis, animae, corporis, et iis, quae externa commoda dicuntur, quae omnia a Deo accepimus, respondent. Nihil vero aptius et convenientius ad extirpandas omnium peccatorum radices esse potest. Nam quum <sup>4</sup> *omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis sit, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitae; nemo non videt, hisce tribus morbi causis totidem medicinas, priori scilicet ieiunium, alteri eleemosynam, tertiae orationem rectissime opponi. Praeterea, si eos etiam, qui peccatis nostris offenduntur, spectemus, facile erit intelligere, cur ad haec tria potissimum omnis satisfactio referatur. Hi vero sunt Deus, proximus, nos ipsi. Quare Deum oratione placamus, proximo eleemosyna satisfacimus, nos ipsos vero ieiunio castigamus.*

4) I. Ioan. 2, 16.

75. *Afflictiones, quae extrinsecus hominibus immituntur, sunt etiam satisfactoriae.*

Sed quoniam multae variaeque aerumnae et calamitates, dum in hac vita sumus, nos premunt; illud maxime fideles docendi sunt, eos, qui patienti animo, quidquid laboriosi et incommodi Deus immiserit, ferant, amplam satisfaciendi et merendi materiam nactos esse; qui autem inviti et repugnantes poenam huiusmodi sustineant, omni satisfactionis fructu privari, sed Dei tantum, peccata iusto iudicio ulciscantis, animadversionem et supplicium perferre.

Conc. trid.  
sess. 24. c. 9,  
13.

76. *Unus pro alio satisfacere, non autem confiteri aut conterere potest.*

In eo vero summa Dei bonitas et clementia maximis laudibus et gratiarum actionibus praedicanda est, qui humanae imbecillitati hoc condonavit, ut unus posset pro altero satisfacere; quod quidem huius partis poenitentiae maxime proprium est. Ut enim, quod ad contritionem et confessionem attinet, nemo pro altero dolere aut confiteri potest; ita qui divina gratia praediti sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere: quare fit, ut quodam pacto <sup>1</sup> *alter alterius onera* portare videatur. Nec vero de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in apostolorum symbolo sanctorum communionem confitemur. Nam quum omnes eodem baptismo abluti Christo renascamur, eorundem sacramentorum participes simus, in primis vero eiusdem corporis et sanguinis Christi domini cibo et potu recreemur, hoc apertissime demonstrat, <sup>2</sup> nos omnes esse eiusdem corporis membra. Quemadmodum igitur neque pes suae tantum, sed etiam oculorum utilitatis causa munere suo fungitur; neque rursus, quod oculi videant, ad illorum propriam, sed ad communem omnium membrorum utilitatem referendum est: ita communia inter nos satisfactionis officia existimari debent.

Alex. de Ales.  
4. part. q. 84.  
mem. 1. art.  
2.

Thom. in 4.  
dist. 20. q. 1.  
art. 2. q. 3. De  
poen. dist. 2.  
c. Quem poenitet.

<sup>1</sup> Gal. 6, 2.

<sup>2</sup> Rom. 12. 4.  
5. 1. Cor. 12.  
Eph. 4, 4.

77. *Non omnis satisfactionis virtus aliis communicari potest.*

Arist. in 2.  
eth. cap. 3.  
Alex. de Ales.  
4. part. q. 84.  
nem. 2. art. 2.

Neque tamen id sine ulla exceptione verum est, si commoda omnia, quae ex ea capiuntur, spectemus. Nam satisfactionis opera, medicinae etiam et curationes quaedam sunt, quae poenitenti ad sanandos pravae animi affectus praescribuntur; quo quidem utilitatis fructu eos, qui per se non satisfaciunt, prorsus carere perspicuum est. Haec igitur de tribus poenitentiae partibus, contritione, confessione et satisfactione, copiose et dilucide explicanda erunt.

78. *Illi impendenda non est absolutio, qui rem ablata restituere non promittit.*

Alex. de Ales. 4. part. summae theologiae q. 86. et alii theologi.

1) Ephes. 4, 28.

Sed illud in primis a sacerdotibus observari oportet, ut, audita peccatorum confessione, antequam poenitentem a peccatis absolvant, diligenter curent, ut, si quid forte de re aut existimatione proximi detraxerit, cuius peccati merito damnandus esse videatur, cumulata satisfactione compenset. Nemo enim absolvendus est, nisi prius, quae cuiusque fuerint, restituere polliceatur. At quoniam multi sunt, quibus, etsi prolixè pollicentur, se officio satis esse facturos, tamen certum est ac deliberatum, numquam promissa exsolvere; omnino ii cogendi sunt, ut restituant, saepeque illud Apostoli eis inculcandum est, ut <sup>1</sup> *qui furabatur, iam non furetur; magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.*

79. *Cuiusmodi satisfactio poenitenti sit imponenda.*

Iuxta peccatorum qualitatē imponenda satisfactio, trid. syn. sess. 14. de poen. dist. 3. c. Mensuram, et alia; ubi ex multis conciliis, et pontificum decretis, quales poenitentiae sint in-

In irroganda autem satisfactionis poena, sacerdotes nihil sibi suo arbitrato statuendum esse, sed omnia iustitia, prudentia et pietate dirigenda existimabunt. Atque, ut hac regula peccata metiri videantur, et poenitentes scelerum suorum gravitatem magis agnoscant; operae pretium erit, interdum eis significare, quae poenae quibusdam delictis ex veterum canonum praescripto, qui poenitentiales vocantur, constitutae sint. Igitur universae satisfactionis modum culpae ratio tem-



perabit. Sed ex omni satisfactionum genere maxime convenit poenitentibus praecipere, ut certis aliquot et definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus, et praesertim pro iis, qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces Deo faciant. Hortari vero etiam eos oportet, ut saepe eadem satisfactionis opera, a sacerdote indicta, ultro suscipiant ac repetant, atque ita mores suos componant, ut, iis omnibus, quae ad poenitentiae sacramentum pertinent, diligenter absolutis, tamen virtutis poenitentiae studia numquam intermittant. Quod si interdum etiam ob publicam offensionem publica poenitentia praescribenda fuerit, quamvis eam poenitens refugiat ac deprecetur, non erit facile audiendus; verum persuadere ei oportebit, ut, quae tum sibi, tum aliis salutaria futura sunt, libenti et alacri animo suscipiat. Haec de poenitentiae sacramento, singulisque eius partibus ita docenda erunt, ut non solum ea fideles perfecte intelligant, sed etiam, iuvante Domino, re ipsa pie et religiose praestare animum inducant.

iuugendae, ostenditur.

Veterum canonum rigor subinde incalculandus.

Vide, quae eod. c. sect. 66. notavimus.

Quae satisfactio praecipue sit imponenda.

Publicam poenitentiam deprecanti non mox acquiescendum est. Videtur paulo ante sect. 67.

## DE EXTREMAE UNCTIONIS SACRAMENTO

### CAPUT VI.

#### 1. Quare pastores animarum saepius ad populum de extremae unctionis sacramento agere debeant.

Quum sancta scripturarum oracula ita doceant: *1 In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis; tacite parochi admonentur, nullum tempus praetermittendum esse fidelem populum cohortandi, ut in assidua mortis meditatione versetur. Quoniam autem extremae unctionis sacramentum non potest supremi illius diei memoriam coniunctam non habere; facile intelligitur, de eo saepe agendum esse, non solum ob eam causam, quod illarum rerum mysteria, quae ad salutem pertinent, ape-*

Novissima saepe meditanda. Consultatur sect. postrema 7. art. symbol. apost. 1) Eecl. 7. 40.

1) Rom. 5, 12.  
Hebr. 9, 27.

rire et explicare maxime convenit, sed etiam, quia fideles, <sup>1</sup> moriendi necessitatem omnibus propositam esse, animo repetentes, pravas cupiditates coercebunt. Quare fiet, ut in ipsa mortis expectatione se minus perturbari sentiant, sed immortales Deo gratias agant, qui, ut baptismi sacramento aditum nobis ad veram vitam patefecit, ita etiam, ut ex hac mortali vita decedentes, expeditiorem ad caelum viam haberemus, extremae unctionis sacramentum instituit.

2. *Quamobrem istud sacramentum extrema unctio appellatur.*

Vide tit. de  
sacra unct. in  
decretalibus.

Ut igitur, quae ad eam explicationem magis necessaria sunt, eodem fere ordine, qui in aliis sacramentis servatus est, exponantur; primum illud tradendum erit, hoc sacramentum idcirco extremam unctionem appellatum esse, quod haec omnium sacrarum unctionum, quas dominus Salvator noster ecclesiae suae commendavit, ultima administranda sit. Quare haec ipsa unctio a maioribus nostris sacramentum etiam unctionis infirmorum, et sacramentum exeuntium dicta est: quibus vocabulis fideles in memoriam novissimi illius temporis facile redire possunt.

3. *Quo modo extremae unctioni propria sacramenti ratio conveniat.*

Trid. syn.  
sess. 14. de  
extr. unct.

Quod autem extremae unctioni propria sacramenti ratio conveniat, in primis explanandum est. Id vero maxime perspicuum fieri potest, si verba, quibus sanctus Iacobus apostolus huius

2) Iacob. 5, 14.

Conc. constant.  
florent.  
cabillonense  
c. 48. worma-  
ciense cap. 72.

sacramenti legem promulgavit, attendamus: <sup>2</sup> *Infirmatur quis in vobis? (inquit) inducat presbyteros ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.* Nam quod peccata condonari Apostolus affirmat, in eo declarat sacramenti vim et naturam. Hanc vero catholicae ecclesiae de extrema unctione perpetuam doctrinam fuisse, quum alia plura concilia testantur, tum a Tridentina synodo hoc ita declaratum est, ut in eos omnes anathematis poenam constituerit, qui aliter docere aut sentire

audeant. Ac Innocentius quoque primus hoc sacramentum fidelibus maxime commendat.

4. *Quum hic plures fiant unctiones, an plura etiam ibidem dici sacramenta debeant.*

Constanter itaque docendum a pastoribus, verum sacramentum esse, nec plura, sed unum, quamvis per plures unctiones administretur, quarum singulis propriae preces, ac peculiaris forma adhibenda est. Unum vero est non partium continuatione, quae dividi non possint, sed perfectione; cuiusmodi sunt cetera omnia, quae ex pluribus rebus constant. Nam quemadmodum domus, quae ex multis et diversis partibus composita est, una tantum forma perficitur; ita hoc sacramentum, etsi ex pluribus rebus et verbis constituitur, unum tamen signum est, et unius rei, quam significat, efficientiam habet. Docebunt praeterea parochi, quae sint huius sacramenti partes, elementum, inquam, et verbum. Haec enim a sancto <sup>1</sup> Iacobo praetermissa non sunt, in quibus singulis sua mysteria licet animadvertere.

Vide Scot.  
4. dist. 23. ad  
1. arg.

1) Iacob. 5, 14.

5. *Quae sit extremae unctionis materia.*

Eius igitur elementum, sive materia, quemadmodum concilia, ac praecipue Tridentinum decrevit, est oleum ab episcopo consecratum, liquor scilicet, non ex quavis pingui et crassa materia, sed ex olearum baccis tantummodo expressus. Aptissime autem haec materia illud significat, quod vi sacramenti interius in anima efficitur. Nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit, ita sacramenti virtus animae tristitiam ac dolorem minuit. Oleum praeterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, et lumini tamquam pabulum praebet; tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est. Quae omnia, quid in aegroto divina virtute per huius sacramenti administrationem efficiatur, declarant. Haec de materia satis sint.

Conc. trid.  
sess. 14. de sa-  
cramento ex-  
tremae unctio-  
nis c. I. Amb.  
super Beati  
immaculati  
serm. 14. Theo-  
phylactus.  
Marc. 6.

6. *Qua forma perficiatur hoc sacramentum.*

Forma vero sacramenti est verbum et solemnis illa precatio, quam sacerdos ad singulas

Conc. trid.  
ut supra.

1) Iacob. c. 5.  
24. 15.

Ecclesia Ro-  
mana omnium  
ecclesiarum  
mater, et ma-  
gistra, dist. 12.  
cap. Non de-  
cet, et de sum-  
trin. c. Damna-  
mus.

unctiones adhibet, quum inquit: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid oculorum, sive narium, sive tactus vitio deliquisti.* Quod autem haec vera sit et propria huius sacramenti forma, sanctus Iacobus apostolus significat, quum ait: <sup>1</sup> *Et orent super eum, et oratio fidei salvabit infirmum.* Ex quo licet cognoscere, formam precationis modo proferendam esse; tametsi, quibus potissimum verbis concipienda sit, Apostolus non expresserit. Verum hoc ad nos fideli patrum traditione permanavit, ita ut omnes ecclesiae eam formae rationem retineant, qua omnium mater et magistra sancta ecclesia Romana utitur. Nam etsi aliqui nonnulla verba immutant, quum pro *indulgeat tibi Deus*, ponunt *remittat*, vel *parcat*, interdum etiam *sanet quidquid commisisti*; tamen, quia nulla fit sententiae immutatio, constat eandem ab omnibus formam religiose servari.

7. *Cur huius sacramenti forma precationis modo continueatur.*

Bonav. in 4.  
dist. 23. art. 1.  
q. 4.

Extrema un-  
ctione non  
tantum ani-  
mus, sed et-  
iam corpus in-  
terdum cura-  
tur. Syn. trid.  
sess. 15. de ex-  
trema unctio-  
ne c. 2. et can.  
2.

Cur in hoc  
sacramento  
tot preces ad-  
hibeantur.

Nec vero quisquam miretur, cur factum sit, ut aliorum sacramentorum forma vel absolute significet, quod efficit, ut quum dicimus: *Ego te baptizo*; aut: *Signo te signo crucis*; vel tamquam ab imperantibus pronuntietur, ut quum in sacramento ordinis administrando dicitur: *Accipe potestatem*; haec una vero extremae unctionis forma precatione quadam absolvatur. Id enim optimo iure constitutum est: nam quum hoc sacramentum propterea adhibeatur, ut praeter spiritualem gratiam, quam tribuit, sanitatem etiam restituat aegrotis; tamen, quia non semper sequitur, ut aegroti a morbis convalescant, ob eam causam precatione forma conficitur, ut a Dei benignitate id impetremus, quod sacramenti vis constanti et perpetuo ordine efficere non solet. Adhibentur autem ritus proprii in huius quoque sacramenti administratione, sed eorum maxima pars precationes continet, quibus sacerdos ad aegri salutem impetrandam utitur. Nullum enim est aliud sacramentum, quod pluribus precibus conficiatur; ac recte quidem, quo-

niam eo potissimum tempore fideles piis obsecrationibus adiuvandi sunt. Quare et alii omnes, quos tum adesse contigerit, et praecipue parochi debent orare Deum ex animo, et eius misericordiae laborantis vitam et salutem omni studio commendare.

8. *Quisnam huius sacramenti sit auctor.*

Verum quum demonstratum sit, extremam unctionem vere et proprie in sacramentorum numero habendam esse; illud etiam sequitur, eius institutionem a Christo domino profectam esse, quae postea a sancto <sup>1</sup> Iacobo apostolo fidelibus proposita et promulgata est. Quamquam idem Salvator huius unctionis specimen quoddam dedisse visus est, quum discipulos suos binos et binos ante faciem suam misit. De illis enim apud Evangelistam ita scriptum est: <sup>2</sup> *Exeuntes praedicabant, ut poenitentiam agerent; et daemonia multa eiiciebant, et ungebant oleo multos aegros, et sanabant; quam quidem unctionem non ab apostolis inventam, sed a Domino praeciptam, non naturali aliqua virtute praeditam, sed mysticam, potius ad sanandos animos, quam ad corpora curanda institutam fuisse, credendum est. Quam rem sancti Dionysius, Ambrosius, Chrysostomus et Gregorius Magnus asserunt, ut nullo modo dubitandum sit, quin hoc unum ex septem ecclesiae catholicae sacramentis summa cum religione accipere oporteat.*

9. *Extrema unctio quibus administranda sit.*

Sed docendi sunt fideles, quamvis hoc sacramentum ad omnes pertineat, quaedam tamen hominum genera excipi, quibus administrandum non sit. Ac primum excipiuntur, qui sano et firmo corpore sunt: iis enim extremam unctionem tribuendam non esse et Apostolus docet, quum inquit: <sup>3</sup> *Infirmatur quis in vobis?* et ratio ostendit; siquidem ob eam rem instituta est, non modo ut animae, sed etiam ut corpori medicinam afferat. Quum igitur illi tantum, qui morbo laborant, curatione indigeant; idcirco iis etiam, qui adeo periculose aegrotare videntur, ut, ne supremus illis vitae dies instet, metuendum sit,

Trid. syn. sess. ead. in doct. de sacr. extr. unct. c. 1. et probat D. Thom. in 4. dist. 23. art. 1. q. 3. 1) Iacob. 5, 7 f.

2) Marc. 6, 12. 13. Extremae unctionis usus apostolis a Domino est imperatus.

D. Bern. in vita Malach. concil. meld. cap. 1. Dionys. lib. de eccles. hierarch. cap. 6. Ambr. de his, qui mysteriis initiuntur.

Chrys. lib. 3, de sacerdotio.

Primo firmi, et sani excluduntur. Thom. in 4. d. 23. q. 2. art. 2. q. 1. 3) Iacob. 5, 14.

hoc sacramentum praeberi debet. In quo tamen gravissime peccant, qui illud tempus aegroti ungenti observare solent, quum iam, omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat. Constat enim, ad uberiores sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si aegrotus, quum in eo adhuc integra mens et ratio viget, fidemque et religiosam animi voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur. Quare parochis animadvertendum est, ut eo potissimum tempore caelestem medicinam adhibeant, illam quidem semper vi sua admodum salutarem, quum eorum etiam pietate et religione, qui curandi sunt, magis profuturam intellexerint.

Sano periculum mortis adenti non detur extrema unctio.

Secundo pueri, et insani non sunt inungendi. Bon. car. in 4. dist. 22, art. 2, q. 2.

Nemini igitur, qui gravi morbo affectus non sit, sacramentum unctionis dare licet, tametsi vitae periculum adeat; vel quia periculosam navigationem paret, vel quia proelium initurus sit, a quo certa mors illi impendeat, vel etiam si capitis damnatus ad supplicium raperetur. Omnes praeterea, qui rationis usu carent, ad hoc sacramentum suscipiendum apti non sunt; et pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias sanare huius sacramenti remedio opus sit; amentes item et furiosi, nisi interdum rationis usum haberent, et eo potissimum tempore pii animi significationem darent, peterentque ut sacro oleo ungerentur. Nam, qui ab ipso ortu numquam mentis et rationis compos fuit, ungendus non est; secus vero si aegrotus, quum mente adhuc integra huius sacramenti particeps fieri voluisset, postea in insaniam et furorem incidit.

18. *Quae corporis partes hic debeant inungi.*

Trid. syn. de extrema unctione sess. 14. c. 3, et can. 3.

Non sunt autem omnes corporis partes ungentae, sed eae tantum, quas veluti sensuum instrumenta natura homini attribuit: oculi propter visionem, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum vel sermonem, manus propter tactum, qui tametsi toto corpore aequabiliter fusus est, in ea tamen parte maxime viget. Hunc autem ungenti ritum universalis ecclesia retinet, atque etiam huius sacramenti naturae optime convenit; medicamenti

enim est instar. Ac quoniam in corporis morbis, quamvis universum corpus male affectum sit, tamen illi tantum parti curatio adhibetur, a qua, tamquam a fonte et origine, morbus manat; idcirco non totum corpus, sed ea membra, in quibus potissimum sentiendi vis eminet, renes etiam, veluti voluptatis et libidinis sedes, unguuntur; tum pedes, qui nobis ingressus et ad locum movendi principium sunt.

Scot. 4. sent. dist. 23. q. unica.

11. *Extrema unctio iterari potest.*

In quibus illud observare oportet, in una eademque aegrotatione, quum aeger in eodem vitae periculo positus est, semel tantum unguendum esse. Quod si post susceptam hanc unctionem aeger convalescerit, quoties postea in id vitae discrimen inciderit, toties eiusdem sacramenti subsidium ei poterit adhiberi. Ex quo patet, in eorum sacramentorum numero, quae iterari solent, reponendum esse.

In una eademque aegrotatione non est iteranda unctio. Thom. in 4. dist. 23. q. 1. art. 4.

12. *Qua religione et praeparatione debet istud sacramentum suscipi.*

Quoniam vero omni studio curare oportet, ne quid sacramenti gratiam impediatur, ei vero nihil magis adversatur, quam alicuius peccati mortiferi conscientia; servanda est catholicae ecclesiae perpetua consuetudo, ut, ante extremam unctionem, poenitentiae et eucharistiae sacramentum administretur. Ac deinde aegroto parochi persuadere studeant, ut ea fide se unguendum sacerdoti praebeat, qua olim, qui ab apostolis sanandi erant, se ipsos offerre consueverant. In primis autem animae salus, deinde corporis valetudo cum illa adiunctione, si ea ad aeternam gloriam profutura sit, expetenda est. Nec vero dubitare fideles debent, quin sanctae illae et solemnes preces a Deo audiantur, quibus sacerdos non suam, sed ecclesiae et domini nostri Iesu Christi personam gerens utitur. Qua una maxime re cohortandi sunt, ut huius saluberrimi olei sacramentum sancte et religiose sibi administrandum curent, quum et acrior pugna instare, et vires quum animi, tum corporis deficere videantur.

Primo, unctionem praecedat eucharistiae et poenitentiae sacramentum.

Secundo, est firma fide suscipienda.

Tertio, tempestive est adhibenda.

13. *Quo ministrante hoc sacramentum percipiendum sit.*

Iam vero quis extremae unctionis minister sit, ab eodem Apostolo, qui Domini legem promulgavit, didicimus. Ait enim: <sup>1</sup> *Inducat presbyteros*; quo nomine non eos significat, qui aetate provectiores sunt, quemadmodum sapienter Tridentina synodus exposuit, aut qui in populo principem locum obtinent, sed sacerdotes, qui ab ipsis episcopis per manuum impositionem rite ordinati sunt. Sacerdoti igitur huius sacramenti administratio commissa est. Neque tamen ex sanctae ecclesiae decreto cuivis sacerdoti, sed proprio pastori, qui iurisdictionem habeat, sive alteri, cui ille eius muneris fungendi potestatem fecerit, hoc sacramentum administrare licet. Illud vero maxime animadvertendum est, sacerdotem in administratione, quemadmodum etiam in aliis sacramentis fit, Christi domini nostri et sanctae ecclesiae, eius sponsae, personam sustinere.

14. *Qui fructus ex huius sacramenti usu ad homines redeant.*

Trid. Synod. ibid. cap. 2.

Prima utilitas est quod peccata venialia delet. Vide conc. trid. cap. 2. de extr. unct. et can. 2. sess. 14.

Explicandae sunt etiam accuratius utilitates, quas ex hoc sacramento capimus, ut, si nihil aliud fideles ad eius usum possit allicere, ipsa saltem utilitate ducantur: quum ita comparatum sit, ut omnia fere nostris commodis metiamur. Docebunt igitur pastores, hoc sacramento gratiam tribui, quae peccata, et in primis quidem leviora, et, ut communi nomine appellantur, venialia remittit. Exitiales enim culpa poenitentiae sacramento tolluntur: neque enim hoc sacramentum primario loco ad graviorum criminum remissionem institutum est, sed baptismus tantum et poenitentia vi sua hoc efficiunt.

Secundo animam confirmat. Quo tempore hoc sacramentum sit suscipiendum, Trident. syn. ibidem, cap. 3.

Altera est sacrae unctionis utilitas, quod animam a languore et infirmitate, quam ex peccatis contraxit, et a ceteris omnibus peccati reliquiis liberat. Tempus autem huic curationi opportunissimum existimandum est, quum gravi morbo afflicti, ac vitae periculum impendet. Etenim homini natura insitum est, ut nihil in



rebus humanis aequae ac mortem pertimescat. Auget autem magnopere hunc timorem praeteritorum scelerum memoria, quum praesertim gravissima conscientiae nostrae accusatio nos urgeat. Ut enim scriptum est: <sup>1</sup> *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.* Deinde illa cura et cogitatio vehementer angit, quod paulo post <sup>2</sup> stare oporteat ante tribunal Dei, a quo de nobis iustissima pro eo, ac meriti fuerimus, sententia ferenda sit. Saepe autem evenit, ut fideles hoc terrore percussi, se miris modis exagitari sentiant. Nihil autem ad mortis tranquillitatem magis conducit, quam si tristitiam abiiciamus, et laeto animo <sup>3</sup> Domini adventum expectemus, paratique simus, depositum <sup>4</sup> nostrum, quaecumque illud a nobis repetere voluerit, libenter reddere. Ut igitur hac sollicitudine fidelium mentes liberentur, animusque pio et sancto gaudio repleatur, extremae unctionis sacramentum efficit.

15. *Quo modo in animae exitu daemones nobis insidiantur.*

Praeterea aliud etiam, quod merito omnium maximum videri potest, ex eo consequimur. Nam etsi humani generis hostis, <sup>5</sup> quoad vivimus, numquam desinit de interitu et exitio nostro cogitare; nullo tamen tempore, ut nos omnino perdat, ac, si fieri possit, spem nobis divinae misericordiae eripiat, vehementius omnes nervos contendit, quam quum supremum vitae diem appropinquare animadverterit. Quamobrem fidelibus arma et vires hoc sacramento subministrantur, quibus adversarii vim et impetum frangere, et illi fortiter repugnare possint. Alleviatur enim et erigitur aegri animus divinae bonitatis spe, eaque confirmatus morbi incommoda omnia fert levius; ac ipsius daemonis <sup>6</sup> calcaneo insidiantis artificium et calliditatem facilius eludit.

16. *Quo modo ex hoc sacramento possit corpori sanitas accedere.*

Accedit postremo, si quidem profutura sit, etiam corporis sanitas. Quod si aegroti hoc tem-

1) Sap. 4, 20.

2) Rom. 14, 10.

3) Tit. 2, 13.

4) 2. Tim. 1, 12.

5) I. Pet. 5, 8.

Tertio, adversus diaboli insultus communit. Vid. Cyril. Alex. in lib. de exitu animae. Greg. lib. 24. mor. c. 17. et 18.

Joan. Clim. in I. de 30. gradibus gratiae.

6) Gen. 3, 15.

Quarto, sanitas corporis,

si ita expediat, redditur.

1) Matt. 13, 58.  
Greg. hom. 29.  
in evangelia.

Fides et spes  
aegrotantium  
hoc sacramen-  
to suscepto est  
erigenda.

2) Apoc. 14, 13.

pore eam minus consequuntur, id quidem non sacramenti vitio, sed ob eam potius causam evenire credendum est, quod eorum magna pars, vel qui sacro oleo perunguntur, vel a quibus administratur, fides infirmior est. Testatur enim Evangelista, Dominum apud suos multas virtutes non fecisse propter incredulitatem illorum. Quamquam etiam recte dici potest, christianam religionem, ex quo altius tamquam radices egit in animis hominum, minus iam huiusmodi miraculorum adminiculis indigere, quam olim nascentis ecclesiae initio necessaria esse videntur. Sed tamen hoc loco fides magnopere excitanda erit. Utcumque enim, quod ad corporis valetudinem attinet, Dei consilio et voluntate ceciderit, certa spe niti fideles debent, se huius sacri olei virtute spiritualem sanitatem consequuturos esse; futurumque, ut, si eos vita decedere contingat, praeclarae illius vocis fructum percipiant, qua scriptum est: <sup>2</sup> *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

Haec de extremae unctionis sacramento breviter quidem dicta sunt: verum, si haec ipsa rerum capita a pastoribus latius, et ea, qua decet, diligentia explanata erunt, dubitandum non est, quin fideles ex hac doctrina maximum pietatis fructum percipiant.

## DE ORDINIS SACRAMENTO

### CAPUT VII.

#### 1. *Cur parochi magna diligentia sacramenti ordinis doctrinam populo exponere debeant.*

Omnia alia  
sacramenta ab  
ordinis sacra-  
mento penden-  
t.

Si quis aliorum sacramentorum naturam et rationem diligenter considerarit, facile perspiciet, ea omnia ab ordinis sacramento ita pendere, ut sine illo partim cœfici et administrari nullo modo queant, partim solemnem caeremoniam, et religioso quodam ritu ac cultu carere videantur. Quare necesse est, ut pastores institutam sacramentorum doctrinam persequentes, eo diligen-

tius etiam de ordinis sacramento sibi agendum arbitrentur.

Proderit autem maxime haec explicatio primum quidem illis ipsis, deinde aliis, qui ecclesiasticae vitae rationem ingressi sunt, postremo etiam fidei populo: ipsis, quod, dum in huius argumenti tractatione versantur, <sup>1</sup> ad eam gratiam excitandam, quam hoc sacramento adepti sunt, magis commoventur; aliis, qui in sortem Domini vocati sunt, partim ut eodem pietatis studio afficiantur, partim vero ut earum rerum cognitionem percipiant, quibus instructi viam sibi ad ultiores gradus facilius munire possint; reliquis autem fidelibus, primum quidem ut intelligant, quo honore digni sint ecclesiae ministri; deinde quoniam saepe contingit, ut multi adsint, vel qui spe liberos suos adhuc infantes ecclesiae ministerio destinarent, vel qui sua sponte et voluntate illud vitae genus sequi velint; quos certe ignorare minime aequum est, quae praecipue ad hanc rationem pertinent.

2. *Nulla dignitas sacerdotii ordine in terris excellentior.*

Primum itaque fidelibus tradendum est, quanta sit huius instituti, si summum eius gradum, hoc est sacerdotium, spectemus, nobilitas et excellentia. Nam quum episcopi et sacerdotes tamquam Dei interpretes et internuntii quidam sint, qui eius nomine divinam legem et vitae praecepta homines edocent, et ipsius Dei personam in terris gerunt; perspicuum est, eam esse illorum functionem, qua nulla maior excogitari possit. Quare merito non solum <sup>2</sup> angeli, sed <sup>3</sup> dii etiam, quod Dei immortalis vim et numen apud nos teneant, appellantur. Quamvis autem omni tempore summam dignitatem obtinuerint, tamen novi testamenti sacerdotes ceteris omnibus honore longe antecellunt. Potestas enim tum corpus et sanguinem Domini nostri conficiendi et offerendi, tum peccata remittendi, quae illis collata est, humanam quoque rationem atque intelligentiam superat, nedum ei aliquid par et simile in terris inveniri queat.

Utilitas doctrinae de ordinis sacramento.

1) 2.Tim.I.17.

Vide Ignatium in ep.ad Smyr. Ambr. lib. 5. ep. 32. Chrys. hom. 60. ad pop. antioch. et in Matth. hom. 83. Greg. Naz. orat. 17. ad suos cives nazianzenos. Exod.c. 22,28.

2) Malach.2,7.  
3) Exod.22,28.

8. *Qui divinitus ad sacerdotium ministeriaque ecclesiastica vocati censeantur.*

1) Ioan. 3, 27.  
et 5, 23, 24.  
2) Ioan. 20, 21.  
Matth. 28, 19.

3) Ephes. 4, 12.

Quales deligeendi ad sacerdotium, latius tractatur sect. 26, istius capituli. Trid. syn. sess. 23, de ordine c. 3. et can. 7.

4) Heb. 5, 4. vide 2. paral. 28, 16.

Vocari u Deo qui dicantur.

5) Ier. 23, 21. Vide eiusdem c. 14. v. 14. et c. 27. v. 15. et cap. 29. v. 9.

Deinde vero, quemadmodum <sup>1</sup> Salvator noster a Patre, <sup>2</sup> apostoli autem et discipuli in univ-  
sum mundum a Christo domino missi sunt, ita  
quotidie sacerdotes eadem, qua illi, potestate  
praediti, <sup>3</sup> ad consummationem sanctorum in  
opus ministerii, in aedificationem corporis Chri-  
sti mittuntur. Huius igitur tanti officii onus ne-  
mini temere imponendum est, sed iis tantum,  
qui illud vitae sanctitate, doctrina, fide, pru-  
dentia sustinere possint. <sup>4</sup> Nec vero quisquam  
sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo  
tamquam Aaron. Vocari autem a Deo dicun-  
tur, qui a legitimis ecclesiae ministris vocantur;  
nam qui in hoc ministerium se ipsos arroganter  
inferunt atque intrudunt, de his Dominum in-  
tellexisse docendum est, quum inquit: <sup>5</sup> *Non  
mittebam prophetas, et ipsi currebant*; quo qui-  
dem hominum genere nihil infelicius ac miserius,  
nihil ecclesiae Dei calamitosius esse potest.

4. *Quinam iudicandi sint perperam ad ordines sacros accedere, et aliunde in ecclesiam ingredi.*

Quanta circumspectione ad sacros ordines accedendum.

Quaestus causa ad sacerdotium aspirare sacrilegium est.

Sed quoniam in omni actione suscipienda mag-  
nopere refert, quem sibi quisque finem consti-  
tuat (optimo enim fine posito, recte omnia con-  
sequuntur), de hoc in primis, qui sacris initiari  
volunt, admonendi sunt, ut nihil sibi tanto mu-  
nere indignum proponant; qui quidem locus eo  
diligentius tractandus erit, quo gravius hoc tem-  
pore ea in re peccare fideles solent. Alii enim  
eo consilio ad hanc vivendi rationem se conver-  
tunt, ut, quae ad victum vestitumque necessaria  
sunt, parent, ita ut praeter quaestum nihil aliud  
in sacerdotio, quemadmodum vulgo ceteri homi-  
nes in quovis sordidi artificii genere, spectare  
videantur. Quamvis enim, ex Apostoli sententia,  
natura et divina lex iubeat, ut qui altari servit,  
ex altari vivat; tamen <sup>7</sup> quaestus et lucri causa  
ad altare accedere maximum sacrilegium est.  
Alios honorum cupiditas et ambitio ad sacerdo-  
talem ordinem ducit. Alii vero, ut divitiis af-

6) I. Cor. 9, 9.  
10, 11.  
7) I. Tim. 3,  
8.

Honorum aut divitiarum spe

fluant, initiari volunt; cuius quidem rei illud argumento est, quod nisi opulentum aliquod ecclesiasticum beneficium eis deferatur, nullam sacri ordinis cogitationem habent. Hi vero sunt, quos Salvator noster <sup>1</sup> mercenarios appellat, et quos <sup>2</sup> Ezechiel dicebat, semetipsos et non oves pascere: quorum turpitudine et improbitas non solum sacerdotali ordini magnas tenebras effudit, ita ut iam nihil fere a fideli populo haberi possit contemptius et abiectius, verum etiam efficit, ut ipsi nihil amplius ex sacerdotio consequantur, quam Iudas ex apostolatus munere, quod illi sempiternum exitium attulit. Illi autem <sup>3</sup> ostio in ecclesiam introire merito dicuntur, qui a Deo legitime vocati ecclesiastica munera eius unius rei causa suscipiunt, ut Dei honori inserviant.

ad sacerdotium procedere peralicioisimum est.

1) Ioan. 10, 12.

2) Ezech. 34.

2. 8.

Ambitione et avaritiam, qui vere sunt mercenarii, quantum evulerit sacerdotium.

3) Ioan. 10, 12.

Qui ad ecclesiasticas functiones per ostium adeant.

5. *Qui per ordines sacros se ecclesiae dedicarunt, qua parte ceteros e populo superare et excellere debeant.*

Neque tamen hoc ita accipiendum est, quasi eadem lex aequae omnibus non sit imposita. Homines enim ob eam rem conditi sunt, ut Deum colant, quod praecipue fideles, qui baptismi gratiam consequuti sunt, <sup>4</sup> *ex toto corde, ex tota anima, et ex totis viribus* praestare debent. Verum qui ordinis sacramento initiari volunt, hoc sibi proponant opus est, ut non solum Dei gloriam in omnibus rebus quaerant; quod quidem quum omnibus, tum maxime fidelibus commune esse constat; sed etiam, ut alicui certo ecclesiae ministerio addicti <sup>5</sup> *in sanctitate et iustitia* illi inserviant. Nam ut in exercitu omnes quidem milites imperatoris legibus parent, sed inter eos tamen alius centurio, alius praefectus est, alii alia munera obeunt; ita, quamvis omnes fideles pietatem et innocentiam sectari omni studio debeant, quibus rebus maxime Deus colitur; eos tamen, qui ordinis sacramento sunt initiati, praecipua quaedam munera et functiones in ecclesia exsequi oportet. Nam <sup>6</sup> et sacra pro se ipsis et pro omni populo faciunt, et <sup>7</sup> divinae legis vim tradunt, ad eamque prompto et alacri animo ser-

Grandis infelicitas si talis fuerit sacerdos, qualis populus, Osee 4.

4) Deut. 7, 5.

Matth. 22, 37.

Lucas 10, 27.

5) Lucas I. 74.

75.

6) Hebr. 5, 3.

7) Levit. 10, 12.

Deut. 17, 8, 9.

10, et 22, 5, 6.

Vide conc. tol.  
11. c. 2. et  
carth. 4. c. 20.  
et conc. trid.  
sess. 5. c. 2. de  
reform. et sess.  
24. c. 4.  
1) 1. Cor. 4. 1.

vandam fideles hortantur et instituunt,<sup>1</sup> et Christi domini sacramenta, quibus omnis gratia impertitur et augetur, administrant; et, ut uno verbo complectamur, a reliquo populo segregati, in omnium longe maximo et praestantissimo ministerio se exercent.

His igitur explicatis, accedent parochi ad ea tradenda, quae propria huius sacramenti sunt, ut intelligant fideles, qui in ecclesiasticum ordinem cooptari volunt, ad quodnam officii genus vocentur, quantaque ipsi ecclesiae eiusque ministris potestas divinitus tributa sit.

6. *Quotuplex sit potestas ecclesiastica.*

Conc. trid.  
sess. 14. cap.  
6. et 7.

Ea autem duplex est: ordinis et iurisdictionis. Ordinis potestas ad verum Christi domini corpus in sacrosancta eucharistia refertur; iurisdictionis vero potestas tota in Christi corpore mystico versatur. Ad eam enim spectat christianum populum gubernare et moderari, et ad aeternam caelestemque beatitudinem dirigere.

7. *Ordinis potestas ad quae se extendat.*

Thom. in 4.  
dist. 24. q. 1.  
art. 1.

Verum ordinis potestas non solum consecrandae eucharistiae vim et potestatem continet, sed ad eam accipiendam hominum animos praeparat et idoneos reddit, ceteraque omnia complectitur, quae ad eucharistiam quovis modo referri possunt. Eius vero plura ex sacris litteris testimonia afferri possunt; sed illa praeclara et gravissima sunt, quae apud sanctos Ioannem et Matthaeum leguntur; ait enim Dominus: <sup>2</sup> *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt*; et: <sup>3</sup> *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.* Quae quidem loca a pastoribus ex sanctorum patrum doctrina et auctoritate explanata, maximum veritati lumen afferre poterunt.

2) Ioan. 20, 21.  
22. 23.

3) Matt. 18, 18.

8. *Christi sacerdotium legis naturae vel etiam Moysis sacerdotio sublimius est.*

Conc. trid.

Haec autem potestas plurimum illi praestat,

quae in naturae lege certis hominibus, qui res sacras curarent, tributa est. Nam et illa aetas, quae scriptam legem antecessit, suum sacerdotium, suamque spiritualem potestatem habuerit necesse est, quum legem habuisse satis constet. Haec duo enim ita coniuncta testatur esse Apostolus <sup>1</sup>, ut, eorum altero translato, simul etiam alterum transferri necesse sit. Quum igitur naturali instinctu homines agnoscerent, Deum colendum esse, consequens erat, ut in quavis republica aliqui sacrorum et divini cultus procuratori praeficerentur, quorum potestas aliquo modo spiritualis diceretur.

Eadem etiam potestate populus israeliticus non caruit, quae tametsi dignitate superior fuit, quam illa, qua in lege naturae sacerdotes praediti erant, <sup>2</sup> longe tamen inferior quam legis evangelicae spiritualis potestas existimanda est. Haec enim caelestis est, omnemque angelorum etiam virtutem superat; neque a sacerdotio mosaico, sed a Christo domino, <sup>3</sup> qui non secundum Aaron sacerdos fuit, sed secundum ordinem Melchisedech, ortum habet. Is enim, qui summa potestate gratiam tribuendi, et peccata remittendi praeditus fuit, hanc potestatem, quamvis virtute definitam et sacramentis adstrictam, ecclesiae suae reliquit. Quare ad eam exercendam certi ministri instituti sunt, et solemni religione consecrati; quae quidem consecratio ordinis sacramentum, vel sacra ordinatio vocatur.

9. *Quid sit ordo, et cur functio ecclesiastica ordo vocetur.*

Placuit autem sanctis patribus hoc vocabulo uti, quod latissimam significationem habet, ut dignitatem et excellentiam ministrorum Dei indicarent. Est enim ordo, si propriam eius vim et notionem accipiamus, dispositio superiorum et inferiorum rerum, quae inter se ita aptae sunt, ut una ad alteram referatur. Quum itaque in hoc ministerio multi sint gradus, et variae functiones, omnia vero certa ratione distributa sint et collocata, ~~ante~~ et commode ordinis nomen ei impositum videtur.

sess. 22. c. 1. Ubi est lex, ibi et sacerdotium.

Sess. 23. trid. syn. de ord. cap. 1.

<sup>1</sup>) Hebr. 7. 12. Abel fuit sacerdos, omnesque primogenitos fuisse sacerdotes, scribit Hieronymus in tradit. hebr.

<sup>2</sup>) Hebr. 8. 11.

<sup>3</sup>) Ps. 109. 4. Hebr. 5. et 7. 17.

Similem definitionem ordinis habet Aug. in 1. 19. civ. Dei c. 13.

20. *Ordo veri nominis est sacramentum.*

Conc. trid.  
sess. 23. de or-  
dine, c. 1, 3.  
et can. 3. 4.  
et 5.

Quod autem inter cetera ecclesiae sacramenta sacra ordinatio numeranda sit, sancta Tridentina synodus ratione illa, quae saepius repetita est, comprobavit. Nam quum sacramentum sit rei sacrae signum; id vero, quod hac consecratione extrinsecus fit, gratiam et potestatem significet, quae illi tribuitur, qui consecratur; omnino sequi perspicuum est, ordinem vere ac proprie sacramentum dicendum esse. Quare episcopus ei calicem cum vino et aqua, et patenam cum pane porrigens, qui sacerdos ordinatur, inquit: *Accipe potestatem offerendi sacrificium*, etc. Quibus verbis semper docuit ecclesia, dum materia exhibetur, potestatem consecrandae eucharistiae, caractere animo impresso, tradi, cui gratia adiuncta sit, ad illud munus rite et legitime obeundum. Quod Apostolus his verbis declarat: <sup>1</sup> *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum: non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis.*

1) 2. Tim. I. 7.  
Vide Theoph;  
in eundem locum.

11. *Quare in ecclesia plures sint instituti ministrorum ordines.*

Trid. syn. de  
ord. can. 2, 6.

Iam vero, ut sacrae synodi verbis utamur, *quum divina res sit tanti sacerdotii administratio, consentaneum fuit, quo dignius et maiori cum veneratione exerceri posset, ut in ecclesiae ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent; atque hi quidem ita distributi, ut, qui iam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent.*

12. *Quot sint ordines ministrorum ecclesiae, quaque ratione communiter distribuuntur.*

Functio omnis ecclesiastica, quae sacra ordinatione instituitur, septenario numero concluditur. Horum

Docendum igitur erit, hosce omnes ordines septenario numero contineri, semperque ita a catholica ecclesia traditum esse; quorum nomina haec sunt: ostiarius, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus, sacerdotes. Hunc autem ministrorum numerum recte ita definitum esse,



probari potest propter ea ministeria, quae ad sacrosanctum missae sacrificium, et eucharistiam vel conficiendam vel administrandam, cuius causa praecipue sunt instituta, necessaria videntur. Ex his alii maiores, qui etiam sacri dicuntur, alii minores sunt. Maiores vel sacri sunt: ordo sacerdotalis, diaconatus, et subdiaconatus; ad minores referuntur: acolythi, exorcistae, lectores, ostiarii; de quorum singulis pauca dicenda sunt, ut habeant pastores, unde eos potissimum instituunt, quos noverint aliquo ordine initiandos esse.

13. *Quid clericalis tonsura clericique nomen sibi velint.*

Incipiendum est autem a prima tonsura, quam quidem docere oportet, quandam praeparationem esse ad ordines accipiendos. Ut enim homines ad baptismum exorcismis, ad matrimonium sponsalibus praeparari solent; ita, quum tonso capillo Deo dicantur, tamquam aditus ad ordinis sacramentum illis aperitur: declaratur enim, qualis esse debeat, qui sacris imbuti cupit. Nam clerici nomen, quod ei tunc primum imponitur, ab eo deductum est, quod Dominum sortem et hereditatem suam habere incipiat, veluti qui in hebraeorum populo divino cultui mancipati erant; quibus vetuit Dominus aliquam agrorum partem in terra promissionis distribui, quum inquit: *Ego pars et hereditas tua*. Ac quamvis omnibus fidelibus id commune sit, praecipua tamen ratione iis conveniat necesse est, qui se Dei ministerio consecrarunt.

14. *Quare clerici rotunda corona in capite insigniantur.*

Tondentur vero capilli ad coronae speciem et similitudinem, quam perpetuo conservare oportet, et, ut quisque in altiori deinceps ordinis gradu collocatur, sic eius orbis forma latior circumscribi debet. Quod quidem ex apostolorum traditione acceptum esse docet ecclesia, quum de huiusmodi tondendi more sancti Dionysius Areopagita, Augustinus, Hieronymus, vetustissimi et gravissimi patres, meminerint.

Primum autem omnium ferunt apostolorum

ordinum meminerunt Dionys., lib. hier. eccl., c. 3, concil. carthag. IV. c. 6, Ign. in ep. ad Aut. Caius PP. in 2na epist. concil. rom. sub Silvestro, et alii. Quomodo haec ordinum sufficientia colligator, vide Bonav. 4. dist. 24. art. 2. q. 4.

Hier. ep. 2. ad nep. et habetur 12. q. 1. c. Clericus.

Quam integra debeat esse clericorum vita, diserte ostenditur sess. 14. conc. trid. decret. de reform. in prooemio, et sess. 22. de reform. c. 1.

1) Num. 18, 20. Deut. 20, 9. et 18, 2.

Quod clericorum capita tondeantur, ex apostolica traditione manavit.

Dionys. de eccl. hier. c. 10.

principem eam consuetudinem induxisse ad memoriam coronae, quae ex spinis contexta Salvatoris nostri capiti fuit imposita, ut, quod impii ad Christi ignominiam et cruciatum excogitarunt, eo apostoli ad decus et gloriam uterentur; simulque significarent, curandum esse a ministris ecclesiae, ut omnibus in rebus Christi domini nostri speciem et figuram gerant. Quamquam nonnulli asserant, hac nota regiam dignitatem declarari, quae iis maxime, qui in sortem Domini vocati sunt, videtur convenire. Quod enim Petrus apostolus fideli populo tribuit: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta*; peculiari quadam et magis propria ratione ad ecclesiasticos ministros pertinere facile intelligimus. Etsi non desunt, qui vel perfectioris vitae professionem a clericis susceptam circuli figura, quae omnium perfectissima est, significari existiment, vel externarum rerum contemptionem, animique ab omnibus humanis curis vacuitatem declarari putent, quod capilli, supervacaneum quiddam in corpore, tondeantur.

15. *Quae sit ostiariorum functio.*

Post primam tonsuram ad ostiarii ordinem primus gradus fieri consuevit. Eius munus est, templi claves et ianuam custodire, et aditu templi arcere eos, quibus ingredi interdictum erat. Ad sanctum etiam missae sacrificium assistebat, curaturus ne quis propius, quam par esset, ad sacram aram accederet, et sacerdotem rem divinam facientem interpellaret. Alia etiam ministeria illi commissa erant, ut ex ritibus, qui in eius consecratione adhibentur, perspicui potest. Nam episcopus, claves ex altari acceptas ei tradens, quem ostiarium vult instituere, *Sic age*, inquit, *quasi redditurus Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur*. Magnam autem in antiqua ecclesia huius ordinis dignitatem fuisse, ex eo intelligitur, quod his temporibus in ecclesia servari animadvertimus. Nam thesaurarii officium, qui erat idem sacrarii custos, quod ad ostiarios pertinebat, inter honestiores ecclesiae functiones etiam nunc habetur.

1) 1. Pet. 2, 9.

Arist. 3. phisic. text. 75.

De hoc munere agit conc. tol. l. c. 9. et habetur dist. 23. c. Ostiarius.

Quanta dignitas ostiariorum.

Thesaurarii, et custodes sacrarii inter ostiarios sunt enumerandi.

16. *Quodnam sit in ecclesia lectoris officium.*

Secundus ordinis gradus est lectoris munus. Ad eum pertinet in ecclesia novi et veteris testamenti libros clara voce et distincte recitare, praesertim vero eos, qui inter nocturnam psalmodiam legi solent. Eius quoque partes erant, prima christianae religionis rudimenta fidelibus tradere. Episcopus itaque, praesente populo, in eius ordinatione librum, quo descripta sunt, quae ad hanc functionem pertinent, illi tradens inquit: *Accipe, et esto verbi Dei relator; habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis, qui verbum Dei bene ministrarunt ab initio.*

17. *Exorcistis quid ex officio incumbat.*

Tertius est ordo exorcistarum, quibus potestas data est nomen Domini invocandi in eos, qui ab immundis spiritibus obsidentur. Quare episcopus, quum eos instituit, librum, in quo exorcismi continentur, eis porrigit, usus ea formula verborum: *Accipe, et commenda memoriae, et habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.*

18. *Quae sint acolythi partes.*

Acolythorum quartus est gradus et ultimus eorum omnium, qui minores, et non sacri appellantur. Eorum munus est, ministros maiores, subdiaconos et diaconos in altaris ministerio assistari, eisque operam dare. Praeterea lumina deferunt et asservant, quum missae sacrificium celebratur, praecipue vero, quum evangelium legitur; ex quo ceroferarii alio nomine vocati sunt. Quum itaque ordinantur, hic ritus ab episcopo servari consuevit. Primum quidem, postquam eos officii sui diligenter admonuit, lumina eorum singulis tradit in hunc modum: *Accipe ceroferarium cum cereo, et scias te ad accendenda ecclesiae luminaria mancipari, in nomine Domini.* Deinde etiam urceolos vacuos, quibus aqua et vinum in sacrificio ministratur: *Accipe urceolos ad suggerendum vinum et*

De hoc more vide locos supra citatos.

Quomodo autem fuerit ordo lectorum, vel onus Arsenius, D. Athanasii lector, de quo tam multa ecclesiastici historiographi scribunt, docere potest. Sed iis etiam antiquiores Cypr. ep. 33. et Tert. de praescript. c. 61. lectorum meminerunt.

De iisdem agunt auctores supra memorati. Petrus item qui cum Marcellio sub Diocletiano passus est, ab hoc monere exorcista dictus est.

Idem, qui supra, et Cypr. ep. 55. eius gradus meminerunt.

Quidam autem ex veteribus vocant eos acolythos, quasi latine dicas non prohibitos; alii vocant acolythos, quasi pedisequos aliorum maiorum minorumque.

*aquam in eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini.*

19. *Quodnam sit subdiaconi ministerium, ac cuiusmodi ritus in eius consecratione adhibeantur.*

De subdiaconis praeter auctores supra citatos scribit Cypr. de 24. et ep. 42.

Subdiacono lex perpetuae continentiae imponitur, dist. 27. cap. Presbyteris, item can. apostol. 25. Concil. carth. II. can. 2. et V. can. 3. et rom. sub Silvestro I. can. 2. archiep. H. aures. III. can. 33. et multa alia, Leo in ep. 82. ad Anastasium.

A minoribus ordinibus, iisdemque non sacris, de quibus haec dictum est, ad maiores et sacros legitimus aditus et ascensus patet. In eorum primo gradu subdiaconus collocatur; cuius munus est, ut nomen ipsum declarat, diacono ad altare inservire. Sacra enim lintea, vasa, panem et vinum ad sacrificii usum necessaria parare debet. Nunc episcopo et sacerdoti aquam praebet, quum manus in missae sacrificio abluunt. Epistolam etiam, quae olim a diacono in missa recitabatur, subdiaconus legit, ac tamquam testis ad sacrum assistit, prohibetque ne sacerdos sacra faciens a quoquam perturbari possit. Haec autem, quae ad subdiaconi ministerium spectant ex solemnibus caeremoniis, quae in illius consecratione adhibentur, licet cognoscere. Primum enim episcopus legem perpetuae continentiae huic ordini impositam esse admonet, edicitque neminem in subdiaconorum ordinem cooptandum esse, cui ultro hanc legem accipere non sit propositum; deinde post solemnem litaniarum precationem, quae subdiaconi munera et functiones sint, enumerat atque exponit. His peractis, eorum singuli, qui ordinantur, ab episcopo quidem calicem et sacram patenam accipiunt; ab archidiacono vero, ut intelligatur subdiaconum diaconi officio subservire, urceolos vino et aqua plenos, una cum lebetes et linteolo, quo manus abstergantur, dicente episcopo: *Videte, cuiusmodi ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Adduntur praeterea aliae preces. Ad extremum, quum episcopus sacris vestibus subdiaconum ornavit, ad quarum singulas propria verba et caeremoniae adhibentur, tradit ei epistoliarum librum, ac dicit: *Accipe librum epistoliarum, et habe potestatem legendi eas in ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis.*

20. *Quod sit diaconi munus.*

Secundum autem sacrorum ordinum gradum diaconus obtinet, cuius ministerium latius patet sanctiusque semper habitum est. Ad eum enim pertinet episcopum perpetuo sequi, concionantem custodire, eique et sacerdoti sacra facienti, vel alia sacramenta administranti praesto esse, et in missae sacrificio evangelium legere. Olim vero fidelium animos saepius excitabat, ut sacra attenderent; sanguinem etiam Domini ministrabat, in quibus ecclesiis ea consuetudo erat, ut fideles eucharistiam sub utraque specie sumerent. Diacono praeterea ecclesiasticorum bonorum dispensatio commissa erat, ut unicuique necessaria ad victum subministraret. Ad diaconum etiam attinet, tamquam episcopi oculum, pervestigare, quinam in urbe pie et religiose, quive secus vitam traducant; qui ad sacrificium et concionem statis temporibus conveniant, qui rursus non conveniant; ut, quum de omnibus episcopum certiozem fecerit, ille vel privatim unumquemque hortari, admonere, vel palam corrigere et obiurgare possit, uti se magis profecturum intellexerit. Catechumenorum etiam nomina initiandi sunt, ante episcopum statuere. Licet ei praeterea, si absit episcopus et sacerdos \*, evangelium explanare, non tamen e superiori loco; ut intelligatur, hoc eius proprium munus non esse.

21. *Quales diaconi eligendi sint.*

Quanta vero diligentia adhibenda sit, ne quis eo munere indignus ad hunc ordinis gradum ascendat, Apostolus ostendit, <sup>1</sup> quum ad Timotheum diaconi mores, virtutem et integritatem exposuit. Hoc idem satis etiam declarant ritus et solemnes caeremoniae, quibus ab episcopo consecratur. Pluribus enim et sanctioribus precibus ad diaconi, quam ad subdiaconi ordinationem utitur episcopus, et alia addit sacrorum vestium ornamenta. Praeterea manus ei imponit; quod quidem ab <sup>2</sup> apostolis factitatum esse legimus, quum primos diaconos instituerunt. Denique Evange-

De diaconis scribunt Luc. in actis cap. 6. Paul. pbil. 1, 4.

1. Tim. 3, 8. 12. Ambr. lib. 1. offic. c. 41.

Nota, quod loquitur de sanguine, qui est thesaurus ecclesiae. Nam diaconi dispensabant pecuniis ecclesiae. Act. 6. Leo in serm. de S. Laur.

Diaconi sunt oculi ep. Clem. ep. 1. ad iacob. frat. Dom. bab. dist. 93. cap. Diaconi, Conc. trid. sess. 24. in decr. de ref. c. 14.

\* Diaconos concionari potuisse docet in primis exemplum Stephani, act. 5. et Philippi, act. 8. et S. Vincentii, teste Aug. serm. 2. de S. Vincentio praedicante. 1) 1. Tim. 3, 7. 8.

2) Act. 6, 6. Diaconos etiam olim lege-

re consuevisse  
evangelium,  
testatur Hier.  
ep. 48. ad Sa-  
bin.

liorum librum ei tradit his verbis: *Accipe potestatem legendi evangelium in ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.*

22. *Quae sit dignitas et amplitudo sacerdotii.*

Sess. 23, con-  
cil. tr. per to-  
tam, et cap.  
Sit rector diat.  
43, et cap. Pa-  
storialis 7. q.  
I. Cur sacer-  
dotes olim pre-  
sbyteri sint di-  
cti.

Prima ratio.

1) Sap. 4, 8.

Tertius, omniumque sacrorum ordinum summus gradus est sacerdotium: qui vero illo praediti sunt, eos veteres patres duobus nominibus vocare solent. Interdum enim presbyteros appellant, quod graece seniores significat, non solum propter aetatis maturitatem, quae huic ordini maxime necessaria est, sed multo magis propter morum gravitatem, doctrinam et prudentiam. Ut enim scriptum est: *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata; cani autem sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata.*

Altera ratio.

Interdum vero sacerdotes vocant, tum quia Deo consecrati sunt, tum quia ad eos pertinet sacramenta administrare, sacrasque res et divinas tractare.

23. *Quotuplex sit quum novae, tum veteris legis sacerdotium.*

Omnes fide-  
les quomodo  
sint sacerdo-  
tes, et quas  
hostias offer-  
rant.

Amb. lib. 4.  
de sacram. c.  
I. Bas. serm.  
2. de Bapt. 68.  
Ang. lib. 10.  
de civit. Dei  
cap. 6. Leo  
serm. 2. de an-  
niver. pontifi-  
catus.

2) Gal. 5, 6.

3) I. Pet. 2, 5.

Sed quoniam duplex sacerdotium in sacris litteris describitur, alterum interius, externum alterum, utrumque distinguendum est; ut, de quo hoc loco intelligatur, a pastoribus explicari possit. Quod igitur ad interius sacerdotium attinet, omnes fideles, postquam salutari aqua abluti sunt, sacerdotes dicuntur, praecipue vero iusti, qui spiritum Dei habent, et divinae gratiae beneficio Iesu Christi summi sacerdotis viva membra effecti sunt. Hi enim <sup>2</sup> fide, quae charitate inflammatur, in altari mentis suae <sup>3</sup> *spirituales Deo hostias* immolant; quo in genere bonae omnes et honestae actiones, quas ad Dei gloriam referunt, numerandae sunt. Quare in Apocalypsi ita legimus: *Christus lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum, et sacerdotes Deo et Patri suo.* In quam sententiam ab apostolorum principe dictum est: <sup>5</sup> *Ipsi tamquam lapides vivi supraedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offe-*

4) Apoc. 1, 5.

5) I. Pet. 2, 5.

rentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Et Apostolus nos hortatur, <sup>1</sup> ut exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum. David item multo ante dixerat: <sup>2</sup> Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Quae omnia ad interius sacerdotium spectare facile intelligitur.

24. Praeter internum sacerdotium, aliud esse externum demonstratur.

Externum vero sacerdotium, non omnium fidelium multitudini, sed certis hominibus convenit, qui legitima manuum impositione, solemnibusque sanctae ecclesiae caeremoniis instituti, et Deo consecrati, ad aliquod proprium sacrumque ministerium adscribuntur. Hoc sacerdotii discrimen in veteri etiam lege observari potest. Nam de interiori Davidem loquutum esse, paulo ante demonstratum est: externi vero, nemo ignorare potest, <sup>3</sup> quam multa Dominus Mosi et Aaroni praecepta dederit. Praeterea, universam leviticam tribum ministerio templi adscripsit, ac lege cavit, <sup>4</sup> ne quis ex alia tribu in eam functionem se inferre auderet. Quare <sup>5</sup> Ozias rex lepra a Domino percussus, quod sacerdotale munus usurpasset, arrogantiae et sacrilegii sui gravissimas poenas dedit. Quia igitur eandem sacerdotii distinctionem in lege evangelica licet animadvertere, docendi erunt fideles, nunc de sacerdotio externo agi, quod certis hominibus attributum est. Hoc enim tantummodo ad ordinis sacramentum pertinet.

25. Quae sint Sacerdotum propriae functiones.

Sacerdotis igitur munus est Deo sacrificium facere et ecclesiastica sacramenta administrare, quemadmodum ex consecrationis ritibus perspicitur. Nam episcopus, quum aliquem sacerdotem instituit, primum quidem manus ei, una cum omnibus sacerdotibus qui adsunt, imponit: deinde, stolam humeris aptans, eam ante pectus in crucis formam componit; quo quidem declaratur, sacerdotem <sup>6</sup> virtute indui ex alto, qua possit cru-

1) Rom. 12, 1.

2) Ps. 50, 19.

Extremum sacerdotium non eadit in omnes christianos.

Trid. syn. de ordine sess. 23, cap. 1. et can. 1. Duplex sacerdotium in veteri lege etiam invenitur.

3) Exod. 28, et 29, et 40, et totus leviticus.

4) Num. 3, 10.

5) 2. Paral. 26, 19.

Sacramentum ordinis respectu externi sacrificii institutum.

Caeremoniae, quae in consecratione sacerdotum adhibentur explicantur.

6) Lue. 24, 49.

- 1) Matt. 11, 30. cem Christi domini, et <sup>1</sup> iugum suave divinae legis perferre, eamque non verbis solum, sed vitae sanctissime actae exemplo tradere. Postea manus sacro oleo inungit; tum vero calicem cum vino, et patenam cum hostia tradit, dicens: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, missasque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis.* Quibus caeremoniis et verbis interpres ac mediator Dei et hominum constituitur, quae praecipua sacerdotis functio existimanda est. Ad extremum vero, manibus iterum eius capiti impositis, *Accipe, inquit, Spiritum sanctum; quorum remiseras peccata, remittuntur eis; et quorum retinueris, retenta sunt:* eique caelestem illam, quam Dominus discipulis suis dedit, <sup>2</sup> peccata retinendi ac remittendi potestatem tribuit. Haec vero sunt sacerdotalis ordinis propria et praecipua munera.

26. *Quamvis unus sit sacerdotii ordo, non tamen unus est sacerdotum gradus.*

Qui tametsi unus est, varios tamen dignitatis et potestatis gradus habet. Primus est eorum, qui sacerdotes simpliciter vocantur, quorum functiones hactenus declaratae sunt.

Primus gradus sacerdotum inferiorum.

Secundus gradus est episcoporum, seu pontificum.

Secundus est episcoporum, qui singulis episcopatibus praepositi sunt, ut non solum ceteros ecclesiae ministros, sed fidelem populum regant, et eorum saluti summa cum vigilantia et cura prospiciant. Quare in sacris litteris pastores ovium saepe appellantur; quorum munus et officium Paulus descripsit, <sup>2</sup> ut in apostolorum actis legimus, in ea concione, quam ad Ephesios habuit. Itemque a Petro apostolorum principe

3) Act. 20, 28. 29. 30.

4) 1. Pet. 5, 2. 3. Tertius est archiepiscoporum, seu metropolitanorum, qui licet iurisdictione, ordinatione tamen ab episcopis non differant.

<sup>4</sup> divina quaedam episcopalis ministerii regula tradita est, ad quam si episcopi actiones suas dirigere studeant, dubitandum non erit, quin pastores boni et sint et habeantur. Sed iidem episcopi et pontifices dicuntur, accepto ab ethnicis nomine, qui principes sacerdotum pontifices appellare consueverunt.

Tertius gradus est archiepiscoporum, qui pluribus episcopis praesunt; qui metropolitani etiam vocantur, quod illarum urbium antistites sint,



quae tamquam matres habeantur illius provinciae. Quare superiorem, quam episcopi, locum et ampliorem potestatem habent, tametsi ab episcopis ordinatione nihil differunt.

In quarto gradu patriarchae collocantur, idest primi supremique patres.

27. *De sedibus antiquis patriarcharum.*

Olim in universa ecclesia, praeter summum Romanum Pontificem, quatuor tantum patriarchae numerabantur, neque omnes tamen dignitate pares. Nam Constantinopolitanus, etsi ad eum post omnes alios hic honos delatus est, tamen ob imperii maiestatem altiozem locum obtinuit. Proximus est Alexandrinus, cuius ecclesiam Marcus evangelista iussu principis apostolorum fundavit; tertius Antiochenus, ubi Petrus sedem primo locavit; extremum gradum habet Hierosolymitanus, quam ecclesiam Iacobus frater Domini rexit.

28. *Romanus Pontifex omnium est episcoporum maximus, idque iure divino.*

Praeter hos omnes, catholica ecclesia Romanum Pontificem maximum, quem in Ephesina synodo Cyrillus Alexandrinus archiepiscopum, totius orbis terrarum patrem et patriarcham appellat, semper venerata est. Quum enim in Petri, apostolorum principis, cathedra sedeat, in qua usque ad vitae finem sedisse constat, summum in eo dignitatis gradum, et iurisdictionis amplitudinem, non quidem ullis synodicis aut aliis humanis constitutionibus, sed divinitus datam agnoscit. Quamobrem omnium fidelium, et episcoporum, ceterorumque antistitum, quocumque illi munere et potestate praediti sint, pater ac moderator, universali ecclesiae, ut Petri successor, Christique domini verus et legitimus vicarius praesidet. Ex his itaque pastores docebunt, et quae sint ecclesiasticorum ordinum ac graduum praecipua munera et functiones, et quis huius sacramenti minister sit.

29. *Quis sit legitimus sacramenti ordinis minister.*

Constat enim ad episcopum eam administrationem pertinere: quod etiam sanctarum lite-

Quartus gradus est patriarcharum, qui quatuor olim in tota ecclesia numerabantur, iique dignitate impares. Constantinopolitanus patriarcha post Rom. I. dist. 22. c. Constantinopolitanae etc. Renovantes. De reliquis sedibus patriarchal. vide conc. nic. cap. 6. Primatus romani pontificis non humani, sed divini est iuris; vide Anacl. ep. 3. cap. 4. et habetur dist. 22. cap. Sacrosancta, et Greg. lib. 7. ep. 63. et 64.

Trid. syn. de ordine sess. 23.

c. 3. de reform. c. 10. idque docent conc. antioch. c. 10. Ancyr. 12. Epiph. haer. 75. Hier. ep. 85. Dam. et Leo ep. 88.

rarum auctoritate, certissima traditione, omnium patrum testimonio, conciliorum decretis, sanctae ecclesiae usu et consuetudine facile erit comprobare. Quamvis autem nonnullis abbatibus permissum sit, ut minores, et non sacros ordines interdum administrent; tamen hoc proprium episcopi munus esse nemo dubitat, cui uni ex omnibus, praeterea nemini, licet reliquis ordinibus, qui maiores et sacri dicuntur, initiare. Nam subdiaconos, diaconos et sacerdotes unus tantum episcopus ordinat: episcopi ex apostolorum traditione, quae perpetuo in ecclesia custodita est, a tribus episcopis consecrantur.

30. *Cur in promovendis ad ordines singularis probitas requiratur.*

Sequitur nunc ut explicetur, quinam ad hoc sacramentum, in primisque ad sacerdotalem ordinem apti sint, et quae in eis potissimum requirantur: ex hoc enim difficile non erit statuere, quid in aliis ordinibus dandis, pro cuiusque officio et dignitate, observare oporteat. Maximam autem in hoc sacramento cautionem adhibendam esse ita colligitur, quod cetera gratiam ad illorum sanctificationem et usum tribuunt, a quibus percipiuntur; at vero, qui sacris initiantur, ob eam rem caelestis gratiae participes fiunt, ut eorum ministerio, ecclesiae, atque adeo omnium saluti consulatur. Ex quo factum esse intelligimus, ut statis tantummodo diebus, quibus etiam solemnia ieiunia ex vetustissimo catholicae ecclesiae more inducuntur, ordinationes fiant: ut scilicet fidelis populus eiusmodi sacrarum rerum ministros piis et sanctis precationibus a Deo impetret, qui ad tanti ministerii potestatem recte et cum ecclesiae utilitate gerendam aptiores esse videantur.

31. *Quanta vitae et morum integritas in ordinando requiratur.*

Aliter multo plus invigilant subditorum evacuandis marsupiiis, quam extirpandis vitiiis.

Primum itaque in eo, qui sacerdos creandus est, vitae et morum integritas commendetur magnopere oportet; non solum quia, si alicuius mortiferi peccati conscius se initiari curet, vel etiam patiatur, novo se et maximo scelere ob-

Dionys. lib. de ecll. hier. c. 3.

Ordines cur statis diebus ieiuniorum praecipue instituantur.

Quae sint tempora a iure statuta, habentur d. 15. cap. in fin. ex Gas. ad ep. per Lucaniam ep. 1. c. et Gregor. lib. 2. ep. 3. et de tempor. ordinationum.

stringit, sed etiam quia virtutis et innocentiae lumen aliis praeferre debet. Ea de re quid Apostolus <sup>1</sup> Tito et <sup>2</sup> Timotheo praecipiat, pastoribus declarandum erit; et simul illud docendum, ea corporis vitia, <sup>3</sup> quae in veteri lege ex Domini praescriptione aliquem ab altaris ministerio excluderent, in evangelica lege ad animae vitia praecipue transferenda esse. Quare sanctam illam consuetudinem in ecclesia servari animadvertimus, ut qui sacris initiandi sunt, prius poenitentiae sacramento conscientiam purgare diligenter studeant.

32. *In sacerdote quae et quanta doctrina requiratur.*

Praeterea in sacerdote non solum ea cognitio requirenda est, quae ad sacramentorum usum et tractationem pertinet, sed etiam sacrarum litterarum scientia ita instructum esse oportet, ut populo christianae fidei mysteria, et divinae legis praecepta tradere, ad virtutem et pietatem incitare, a vitiis revocare fideles possit. Sacerdotis enim duo sunt munera: quorum alterum est, ut sacramenta rite conficiat et administret; alterum, ut populum fidei suae commissum iis rebus et institutis, quae ad salutem necessaria sunt, erudiat. Malachias enim ita testatur: <sup>4</sup> *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* Ut igitur in horum altero, si mediocri cognitione sit ornatus, praestare, quod debet, possit; alterum certe non vulgarem, sed exquisitam potius doctrinam desiderat. Quamvis aequae ab omnibus sacerdotibus summa reconditarum rerum scientia non exigatur, sed quae ad suscepti officii et ministerii functionem unicuique satis esse possit.

33. *Quinam ad sacerdotii dignitatem non sint admittendi.*

Pueris autem, et furiosis vel amentibus, quod usu rationis careant, hoc sacramentum dandum non est; quamvis, si iis quoque administretur, sacramenti characterem in eorum animam imprimi, certo credendum sit. Qui vero aetatis annus in singulis ordinibus sit expectandus, ex sacri Tri-

1) Tit. I. 7.  
2) Tim. 3. 8.  
9. per totam.  
3) Levit. 21, 19.  
20. 21. 22. etc.

Gregor. part.  
I. Pastor. cura  
cap. 11.

Duo sacerdotis munera.

4) Malach. 2, 7.  
Et inter ceteras scientias sacras theologiae studium omnium scientiarum ornamentum.

Trid. syn.  
sess. 23. c. 12.  
de reform.

dentini concilii decretis facile erit cognoscere. Excipiuntur etiam servi; neque enim divino cultui dedicari debet, qui non sui iuris, sed in alterius potestate est. Viri praeterea sanguinum et homicidae, quia ecclesiastica lege repelluntur, et irregulares sunt. Spurii quoque, et ii omnes, qui ex legitimis nuptiis non sunt procreati. Decet enim, ut, qui sacris addicuntur, nihil in se habeant, quo ab aliis merito contemni ac despici posse videantur. Ad extremum etiam admitti non debent, qui aliquo insigni corporis vitio deformes aut manci sunt: ea enim foeditas et debilitatio tum offensionem habet, tum vero sacramentorum administrationem impediatur necesse est.

34. *Qui sint praecipui huius sacramenti effectus.*

Primus effectus est sanctificatio illius. Vide concilium flor.

Sed iam his rebus expositis, superest, ut pastores doceant, qui sint huius sacramenti effectus. Constat vero, quamvis ordinis sacramentum, ut antea dictum est, maxime ad ecclesiae utilitatem et pulchritudinem spectet, tamen in eius quoque anima, qui sacris initiatur, sanctificationis gratiam efficere, qua idoneus habilisque ad recte munus suum fungendum, sacramentaque administranda reddatur; quemadmodum etiam baptismi gratia quilibet ad alia sacramenta percipienda aptus efficitur.

Secundus gradibus quibusdam homines provehi ad offerendum Domino novi testamenti sacrificium.

Aliam quoque gratiam hoc sacramento tribui perspicuum est, praecipuam videlicet potestatem, quae ad sanctissimum eucharistiae sacramentum refertur: in sacerdote quidem plenam et perfectam, ut qui Domini nostri corpus et sanguinem unus potest conficere; in aliis vero inferiorum ordinum ministris maiorem minoremve, quo quisque ministerio suo magis minusve ad altaris sacramenta accedit. Atque haec etiam character spiritualis dicitur; quod qui sacris imbuti sunt, interiori quadam nota, animae impressa, ab aliis fidelibus distinguantur, ac divino cultui mancipentur. Ad quam Apostolus videtur spectasse, quum ad Timotheum ait: *1 Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presby-*

Quomodo ordinis sacramentum characterem imprimat. Trid. syn. sess. 23. de ord. c. 3. cau. 4.  
1) 1. Tim. 4. 14.

terii; et alibi: <sup>1</sup> *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum.* <sup>2</sup> 2. Tim. 1, 6.

Haec de ordinis sacramento satis dicta sint: potiora enim tantum rerum capita pastoribus tradere professi sumus, ut illis fidelis populi docendi, et in christiana pietate erudiendi argumenta suppeditarent.

## DE MATRIMONII SACRAMENTO

### CAPUT VIII.

*1. Cur parochi sedulo debeant invigilare, ut populus christianus matrimonii naturam et sanctitatem cognitam habeat.*

Quoniam pastoribus beata et perfecta christiani populi vita proposita esse debet, iis quidem maxime optandum esset, quod Apostolus se cupere ad Corinthios scribebat his verbis: <sup>2</sup> *Volo omnes vos esse, sicut me ipsum:* nimirum, ut omnes continentiae virtutem sectarentur; nihil enim beatius in hac vita fidelibus potest contingere, quam ut animus, nulla mundi cura distractus, sedataque et restricta omni carnis libidine, in uno pietatis studio, et caelestium rerum cogitatione conquiescat. Sed quoniam, ut idem Apostolus testatur, <sup>3</sup> *unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic;* et matrimonium magnis et divinis bonis ornatum est, ita ut inter alia catholicae ecclesiae sacramenta vere ac proprie numeretur, ac <sup>4</sup> Dominus nuptiarum celebritatem praesentia sua honestarit; satis apparet, eius doctrinam tradendam esse, quum praesertim liceat animadvertere, tum sanctum <sup>5</sup> Paulum, tum apostolorum <sup>6</sup> principem, quae non solum ad dignitatem, sed etiam ad officia matrimonii pertinebant, pluribus locis accurate scripta reliquisse. Divino enim Spiritu afflatus optime intelligebant, quanta et quam multa commoda ad christianam societatem pervenire possent, si fideles matrimonii sanctitatem cogni-

Doctrina de sacramento matrimonii et canones subiectis decem capitibus de eiusdem reformatione explicantur Initio sess. 14. trid. syn.

<sup>2</sup>) I. Cor. 7, 7. Castitatis excellentia non in omnes cadit.

<sup>3</sup>) I. Cor. 7, 7. Fulg. ep. 3. ad Probum c. 9.

<sup>4</sup>) Ioan. 2, 2. Utilitas doctrinae de matrimonio.

<sup>5</sup>) I. Cor. 7. per tot. Ephes. 5, 22. Coloss. 3, 15.

<sup>6</sup>) I. Petr. 2, 2. Dam. lib. 3.

tam haberent, et inviolatam servarent; contra vero, ea ignorata vel neglecta, plurimas maximasque calamitates et detrimenta in ecclesiam importari. Primum itaque matrimonii natura et vis explicanda est: nam quum vitia saepe honesti similitudinem gerant, cavere oportet, ne fideles, falsa matrimonii specie decepti, turpitudine et nefariis libidinibus animam commaculent; cuius rei declarandae causa a nominis significatione ordiendum est.

2. *Quapropter sancta illa copula matrimonii, coniugii, aut nuptiarum nominibus exprimitur.*

Matrimonium unde dicatur. August. lib. 19. contr. Faust. c. 26.

S. Ambr. lib. I. de Abraham c. 9. in fine.

Matrimonium ab eo dicitur, quod femina idcirco maxime nubere debet, ut mater fiat; vel quia prolem concipere, parere, educare, matris munus est. Coniugium quoque a coniungendo appellatur, quod legitima mulier cum viro quasi uno iugo adstringatur. Praeterea nuptiae, quia, ut inquit sanctus Ambrosius, pudoris gratia puellae se obnubent; quo etiam declarari videbatur, viris obediens subiectasque esse oportere.

3. *Quid sit matrimonium.*

Mag. in 4. dist. 7. et Grat. 17. q. 2. in principio. quaest.

Ita vero ex communi theologorum sententia definitur: *Matrimonium est viri et mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas, individuum vitae consuetudinem retinens.* Cuius definitionis partes ut planius intelligantur, docendum est, quamvis haec omnia in perfecto matrimonio insint, consensus videlicet interior, pactio externa verbis expressa, obligatio, et vinculum, quod ex ea pactione efficitur, et coniugum copulatio, qua matrimonium consummatur; nihil horum tamen matrimonii vim et rationem proprie habere, nisi obligationem illam, et nexum, qui *coniunctionis* vocabulo significatus est. Additur vero *maritalis*, quoniam alia pactionum genera, quibus viri et mulieres obligantur, ut sibi mutuam operam praestent, vel pretii vel alterius rei causa, prorsus aliena sunt a matrimonii ratione. Sequitur deinde: *inter legitimas personas*; quoniam qui a nuptiarum coniunctione legibus omnino exclusi sunt, ii matrimonium inire non possunt, neque, si ineant, ratum est.

Conc. flor. in ep. Eug. IV. ad Armenos.

Exempli gratia, qui intra quartum gradum propinquitate coniuncti sunt, puerque ante decimum quartum annum, aut puella ante duodecimum, quae aetas legibus constituta est, ad matrimonii iusta foedera ineunda apti esse non possunt. Quod vero extremo loco positum est: *individuum vitae consuetudinem retinens*, indissolubilis vinculi naturam declarat, quo vir et uxor colligantur.

4. *Ubi praecipua vis matrimonii consistat.*

Ex iis igitur patet, matrimonii naturam et rationem in vinculo illo consistere. Nam quod aliae clarissimorum virorum definitiones hoc videntur consensui tribuere, ut quum dicunt, coniugium esse consensum maris et feminae; hoc ita accipiendum est, consensum ipsum matrimonii causam effectricem esse, quod patres in concilio Florentino docuerunt. Etenim obligatio et nexus oriri non potest, nisi ex consensu et pactioe.

5. *Qualis in matrimonio requiratur consensus, quaque ratione sit declarandus.*

Sed illud maxime necessarium est, ut consensus verbis, quae praesens tempus significant, exprimatur. Neque enim matrimonium est simplex donatio, sed mutua pactio. Atque ita fit, ut consensus alterius tantum ad matrimonium coniungendum satis esse non possit, sed duorum inter se mutuum esse oporteat; atqui ad declarandum mutuum animi consensum verbis opus esse perspicuum est. Si enim ex interiori tantum consensu, sine aliqua externa significatione, matrimonium constare posset, illud etiam sequi videretur, ut, quum duo, qui disiunctissimis et maxime diversis in locis essent, ad nuptias consentirent, antequam alter alteri voluntatem suam vel litteris, vel nunciis declarasset, veri et stabilis matrimonii lege coniungerentur; quod tamen a ratione, et sanctae ecclesiae consuetudine et decretis alienum est.

6. *Mutuus consensus verbis futuri temporis expressus matrimonium non efficit.*

Recte autem dicitur oportere, ut consensus

Consensus verbis temporis praesentis exprimendus est, isque mutuus esse debet: habet de sponsalibus, et matrimonio. cap. Tuae fraternitati, et consentit mag. ibidem lit. C. Interior consensus non sufficit ad matrimonium.

Habetur de

sponsal, et ma-  
trim. e. Si iu-  
ter virum.

Qui quod se  
facturum pro-  
misit, postea  
non praestat,  
tametsi fidem  
violat, matri-  
monium tam-  
men non dis-  
solvit.

Qualis pro-  
missio requi-  
ratur ad per-  
fectionem ma-  
trimonii.

verbis exprimatur, quae praesentis temporis si-  
gnificationem habeant. Nam quae futurum tem-  
pus indicant, matrimonium non coniungunt, sed  
spondent. Deinde quae futura sunt, nondum esse  
perspicuum est: quae vero non sunt, parum et  
nihil firmi aut stabilis habere existimandum est.  
Quare nondum connubii ius in eam mulierem  
quisquam habet, quam se in matrimonium du-  
cturum esse pollicetur; neque statim ab eo im-  
pletum est, quod se facturum promisit, tametsi  
fidem praestare debet; quod si non faciat, vio-  
latae fidei reus esse convincitur. At vero qui  
matrimonii foedere alteri iungitur, quamvis post-  
ea poeniteat, tamen, quod factum est, mutare,  
irritumve et infectum reddere non potest. Quum  
itaque coniugii obligatio nuda promissio non sit,  
sed eiusmodi abalienatio, qua re ipsa vir mulieri,  
et vicissim mulier viro, corporis sui potestatem  
tradit; idcirco necesse est, verbis, quae praesens  
tempus designant, matrimonium contrahi: quo-  
rum verborum vis, postquam etiam enuntiata  
sunt, permanet, virumque et uxorem indissolu-  
bili vinculo constrictos tenet.

7. *Si, pudore aut alio impedimento, consensus verbis non exprimatur, nutus et signa verborum locum habent.*

Sed verborum loco tum nutus et signa, quae  
intimum consensum aperte indicent, satis ad ma-  
trimonium esse possunt; tum ipsa etiam taci-  
turnitas, quum puella propter verecundiam non  
respondet, sed pro ea parentes loquuntur.

8. *Ad verum matrimonium concubitus non requiritur.*

Ex iis igitur parochi fidelibus tradent, ma-  
trimonii naturam et vim in vinculo et obligatione  
sitam esse; ac praeter consensum eo, quo dictum  
est, modo expressum, ut verum matrimonium  
existat, concubitum necessario non requiri. Nam  
et primos parentes ante peccatum, quo tempore  
nulla inter eos carnis copula intercesserat, ut  
patres testantur, vero matrimonio iunctos fuisse  
plane constat. Quare a sanctis patribus dictum  
est, matrimonium non concubitu, sed consensu

Adam et Eva  
in statu inno-  
centiae non  
concubue-  
runt. Gen. 2.



exsistere; quod etiam a sancto Ambrosio in libro de virginibus repetitum legimus.

9. *Quotuplex sit matrimonii consideratio.*

Iam vero hisce explicatis, illud docendum erit, matrimonium duplicem rationem habere. Nam, vel ut naturalis coniunctio (coniugium enim non ab hominibus inventum, sed a natura), vel ut sacramentum, cuius vis naturalem rerum conditionem superat, considerandum est. Ac, quoniam gratia naturam perficit (neque prius, <sup>1</sup> quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale), rei ordo postulat, ut de matrimonio, ut natura constat et ad naturae officium pertinet, prius agendum sit; tum vero quae illi, ut sacramentum est, conveniunt, explananda erunt.

10. *Quis matrimonii, ut officium naturae significat, sit auctor.*

In primis itaque docendi sunt fideles, matrimonium a Deo institutum esse. Scriptum est enim in Genesi: <sup>2</sup> *Masculum et feminam creavit eos: benedixitque illis Deus, et ait: Crescite, et multiplicamini;* et: <sup>3</sup> *Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi;* ac paulo post: <sup>4</sup> *Adae vero non inveniebatur adiutor similis eius. Immisit ergo dominus Deus soporem in Adam; quumque obdormisset, tulit unam de costis eius, et replevit carnem pro ea: et aedificavit dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, et adduxit eam ad Adam, dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Quae, ipso Domino auctore <sup>5</sup> apud sanctum Matthaeum, ostendunt, matrimonium divinitus institutum esse.

11. *Matrimonium, ut naturae officium consideratum, et maxime ut sacramentum, dissolvi non potest.*

Neque vero Deus matrimonium tantummodo instituit, verum, ut sancta Tridentina synodus declarat, perpetuum et indissolubilem nodum ei addidit. Siquidem Salvator ait: <sup>6</sup> *Quod*

S. Ambr. de inst. virg. c. 6.

Duplex matrimonii ratio: ut est officium naturae, et ut sacramentum, matrimonium est a natura, ff. de iust. et iure l. 1.

<sup>1</sup> 1. Cor. 15, 46.

<sup>2</sup> Gen. I, 27, 28.

<sup>3</sup> Gen. 2, 18.

<sup>4</sup> Ibid. 20.

<sup>5</sup> Matt. 19, 6.

<sup>6</sup> Matt. 19, 6.

Tridentina syn. in princ. sess. 24. et cap. 5. 7. et 35. q. 10. et c. Fraternalitas. Debitum de bigamis et de coniug. lepros. in princ.

*Deus coniunxit, homo non separet.* Quamvis enim matrimonio, quatenus naturae est officium, conveniat, ut dissolvi non possit, tamen id maxime fit, quatenus est sacramentum; qua ex re etiam in omnibus, quae naturae lege eius propria sunt, summam perfectionem consequitur: tamen et prolis educandae studio, et aliis matrimonii bonis repugnat, ut eius vinculum dissolubile sit.

12. *Omnibus hominibus lex contrahendi non est imposita.*

1) Gen. I, 28. Matrimonium causa multiplicandi genus humanum divinitus est institutum.

Virginitas matrimonio est praestantior.

Trid. Syn. sess. 24. de matr. cap. 9. 10.

2) Matt. 19, 12.

3) I. Cor. 7, 25.

Quod vero a Domino dictum est: <sup>1</sup> *Crescite et multiplicamini*, id eo spectat, ut cuius rei causa matrimonium institutum erat, declaret, non ut singulis hominibus necessitatem imponat. Nunc enim, aucto iam humano genere, non solum ulla lex uxorem ducere aliquem non cogit, sed potius virginitas summopere commendatur, et unicuique in sacris litteris suadet, ut quae matrimonii statu praestantior sit, maioremque in se perfectionem et sanctitatem contineat. Dominus enim Salvator noster ita docuit: <sup>2</sup> *Qui potest capere, capiat*; et Apostolus ait: <sup>3</sup> *De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do, tamquam misericordiam consequutus a Domino, ut sim fidelis.*

13. *Vir et mulier coniungi cur debeant.*

Prima ratio.

Sed quibus de causis vir et mulier coniungi debeant, explicandum est. Prima igitur est, haec ipsa diversi sexus naturae instinctu expetita societas, mutui auxilii spe conciliata; ut alter alterius ope adiutus, vitae incommoda facilius ferre, et senectutis imbecillitatem sustentare queat.

Secunda.

Altera est procreationis appetitus, non tam quidem ob eam rem, ut bonorum et divitiarum heredes relinquuntur, quam ut verae fidei et religionis cultores educentur. Quod quidem maxime sanctis illis patriarchis, quum uxores ducerent, propositum fuisse, ex sacris litteris satis apparet. Quare angelus, quum Tobiam admone- ret, quo pacto mali daemonis vim posset repellere, <sup>4</sup> *Ostendam, inquit, tibi qui sunt, quibus praevalere potest daemonium. Hi namque, qui*

4) Tob. 6, 16. 17.

*coniugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suae libidini ita vacent,*<sup>1</sup> *sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem daemonium super eos.* Deinde subiecit:<sup>2</sup> *Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in semine Abrahae benedictionem in filiis consequaris.* Atque una etiam haec causa fuit, cur<sup>3</sup> Deus ab initio matrimonium instituerit. Quare fit, ut illorum sit scelus gravissimum, qui matrimonio iuncti, medicamentis vel conceptum impediunt, vel partum abigunt: haec enim homicidarum impia conspiratio existimanda est.

1) Ps. 31. 9.

2) Tob. 6, 22.

3) Gen. 1, 28. Ius naturae violant, qui partum impediunt.

14. *Post peccatum cur matrimonium institutum fuerit.*

Tertia est, quae post primi parentis lapsum ad alias causas accessit, quum propter iustitiae, in qua homo conditus erat, amissionem, appetitus rectae rationi repugnare coepit; ut scilicet, qui sibi imbecillitatis suae conscius est, nec carnis pugnam vult ferre, matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur. De quo ita Apostolus scribit:<sup>4</sup> *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat:* ac paulo post quum docuisset, interdum orationis causa a matrimonii debito abstinendum esse, subiecit:<sup>5</sup> *Et iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* Hae igitur sunt causae, quarum aliquam sibi proponere quisque debet, qui pie et religiose, ut sanctorum filios decet, nuptias velit contrahere. Quod si ad eas causas aliae etiam accedant, quibus homines inducti matrimonium ineant, atque in habendo uxoris delectu, hanc illi praeponant, ut heredis relinquendi desiderium, divitiae, forma, generis splendor, morum similitudo; huiusmodi sane rationes damnandae non sunt, quum matrimonii sanctitati non repugnent. Neque enim in sacris litteris<sup>6</sup> Iacob patriarcha reprehenditur, quod Rachelem, eius pulchritudine illectus, Liae praetulerit. Haec de matrimonio, ut naturalis coniunctio est, docenda erunt.

Tertia causa, vide Aug. 14. civ. c. 25. 16. et 17. Dam. l. 4. de orthod. fide c. 25.

4) I. Cor. 7, 2.

5) Ibidem 5.

Causae secundariae matrimonii si eius sanctitatem non impediunt, minime damnandae sunt.

6) I. Cor. 29, 17.

15. *Cur matrimonium sacramenti dignitate per Christum sit auctum.*

De matrimonio et sacramentum est. Finis instituti matrimonii cum in lege naturae, tum in lege gratiae pulchre explicatur. Thom. 1o sup. q. 42. art. 3. Immensa Christi et ecclesiae per charitatem coniunctio matrimonii sacramento aptissime significatur.

Ut autem sacramentum est, explicare oportebit, eius naturam multo praestantiorē esse, et omnino ad altiorem finem referri. Quemadmodum enim matrimonium, ut naturalis coniunctio, ad propagandum humanum genus ab initio institutum est; ita deinde, ut populus ad veri Dei et salvatoris nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur, sacramenti dignitas illi tributa est. Quum enim Christus dominus vellet arctissimae illius necessitudinis, quae ei cum ecclesia intercedit, suaeque erga nos immensae charitatis certum aliquod signum dare, tanti mysterii dignitatem hac potissimum maris et feminae sancta coniunctione declaravit. Quod quidem aptissime factum esse, intelligi ex eo potest, quod ex omnibus humanis necessitatibus, nulla inter se homines magis, quam matrimonii vinculum constringit, maximaque inter se vir et uxor charitate et benevolentia devincti sunt. Atque idcirco fit, ut frequenter sacrae litterae nuptiarum similitudine<sup>1</sup> divinam hanc Christi et ecclesiae copulationem nobis ante oculos proponant.

1) Matt. 22, 2. 25, 10.

16. *Quo modo matrimonium sit verum evangelicae legis sacramentum.*

Apo. 19, 7.

Iam vero matrimonium sacramentum esse, ecclesia, apostoli auctoritate confirmata, certum et exploratum semper habuit. Ita enim ad Ephesios scribit: *2 Viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, et fovet eam, sicut et Christus ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius, et de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in ecclesia. Nam quod inquit: sacramentum hoc magnum est, nemini dubium esse debet, ad matrimonium referendum esse;*

2) Ephes. 5, 28. 29, 30.

Pet. Dam. ser. 1, de ded. ecclesiae. Aug. de fide et oper. e. 7. l. 1. de nupt. et concup. e. 10. et 21. Amb. in e. 5, ep. ad Ephes. Tertul. in lib. de Mo. uag.

quod scilicet viri et mulieris coniunctio, cuius Deus auctor est, sanctissimi illius vinculi, quo Christus dominus cum ecclesia coniungitur, sacramentum, idest sacrum signum sit.

17. Quo modo matrimonium sacramentum esse, ex Pauli verbis convincatur.

Atque hanc esse eorum verborum veram et propriam sententiam, veteres sancti patres, qui eum locum interpretati sunt, ostendunt, idemque sancta Tridentina synodus explicavit. Constat ergo, virum Christo, uxorem ecclesiae ab Apostolo comparari; virum esse *caput mulieris, ut est Christus ecclesiae*: eaque ratione fieri, ut vir uxorem diligere, et vicissim uxor virum amare et colere debeat. <sup>1</sup> *Christus enim dilexit ecclesiam, et pro ea semetipsum tradidit*: rursus vero, ut idem Apostolus docet, <sup>2</sup> *ecclesia subiecta est Christo*. Sed gratiam quoque hoc sacramento significari et tribui, in quo maxime sacramenti ratio inest, ea synodi verba declarant: *Gratiam vero, quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, coniungesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium sacramentorum institutor atque perfectior, sua nobis passione promeruit*. Quare docendum est, huius sacramenti gratia effici, ut vir et uxor mutuae charitatis vinculo coniuncti, alter in alterius benevolentia conquiescat, alienosque et illicitos amores et concubitus non quaerat, sed *in omnibus sit* <sup>3</sup> *honorabile connubium, et torus immaculatus*.

18. Quantum matrimonium evangelii a legis naturae vel Mosis matrimonio differat.

Sed quantum matrimonii sacramentum iis matrimoniis praestet, quae ante vel post legem iniri solebant, ex eo licet cognoscere, quod etsi gentes matrimonio divini aliquid inesse arbitrabantur, atque ob eam rem vagos concubitus a naturae lege alienos esse, itemque stupra, adulteria, et alia libidinis genera vindicanda esse iudicabant; tamen eorum connubia nullam prorsus sacramenti vim habuerunt.

Apud iudaeos vero religiosius omnino nuptia-

Trid. syn. in princ. sess. 24. de matr.

<sup>1</sup>) Eph. 5, 25.

<sup>2</sup>) Ibid. 24.

Quomodo matrimonium gratiam significatam tribuat, trid. syn. ibid.

Fulg. epist. 2. ad Gallam c. 5.

<sup>3</sup>) Hebr. 13, 4.

Gentes matrimonium ut rem sanctam veneratae sunt, et concubitus vagos et incestas nuptias damnarunt.

Inter infide-

les matrimo-  
nium non est  
sacramentum,  
cap. Quanto tu  
de divort.

1) Gen. 12, 3,  
18, et 18, 22.  
18.

rum leges servari consueverant; neque dubitan-  
dum, quin eorum matrimonia maiori sanctitate  
praedita essent. Quum enim promissionem accep-  
sissent, fore aliquando, ut<sup>1</sup> omnes gentes in se-  
mine Abrahæ benedicerentur; magnæ apud eos  
pietatis officium merito esse videbatur, filios  
procreare, electi populi sobolem, ex qua Christus  
dominus salvator noster, quod ad humanam na-  
turam attinet, ortum habiturus esset, propagare.  
Sed illae quoque coniunctiones vera sacramenti  
ratione caruerunt.

19. *Matrimonium in lege naturæ post peccatum aut  
in lege Mosis originis suæ, quam ex Deo habuit,  
decorem non retinuit.*

Huc accedit, quod sive naturæ post pecca-  
tum, sive Mosis legem spectemus, facile animad-  
vertimus, matrimonium a primi ortus sui decore  
et honestate decidisse. Dum enim naturæ lex  
vigeat, multos ex antiquis patribus fuisse com-  
perimus, qui plures simul uxores ducerent. Deinde  
vero in lege<sup>2</sup> Mosis permissum erat, dato repudii  
libello, si causa fuisset, divortium cum uxore  
facere: quorum utrumque ab evangelica lege  
sublatum, matrimoniumque in pristinum statum  
restitutum est. Nam quod polygamia a matrimo-  
nii natura aliena esset (etsi aliqui ex priscis pa-  
tribus accusandi non sunt, quod non sine Dei in-  
dulgentia plures uxores ducerent), Christus do-  
minus ostendit illis verbis: <sup>4</sup> *Propter hoc dimit-  
tet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori  
suæ; et erunt duo in carne una*: ac deinde  
subiungit: *Itaque iam non sunt duo, sed una*

2) Gen. 4, 14.  
et 29, 22.

3) Deut. 24, 1.  
Uxorū plu-  
ralitas a ma-  
trimonii natu-  
ra est aliena,  
ac christianis  
prohibita, de  
divort. trid.  
syn. sess. 24.  
de matr. can.  
7.

4) Matt. 19, 5.  
6.

Matrimonium  
duorum dum-  
taxat coniu-  
ctione defini-  
tur.

5) Matt. 19, 9.  
Marc. 10, 11.  
Lucae 16, 18.

*caro*. Quibus verbis planum fecit, matrimonium  
ita a Deo institutum esse, ut duorum tantum,  
non plurium coniunctione definiretur. Quod et-  
iam alibi apertissime docuit; ait enim: <sup>5</sup> *Qui-  
cumque dimiserit uxorem suam, et aliam du-  
xerit, adulterium committit super eam: et si  
uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit,  
moechatur*. Nam si viro liceret plures uxores  
ducere, nulla omnino causa esse videtur,  
cur magis adulterii reus dicendus esset,  
quod præter eam uxorem, quam domi haberet,

aliam duceret, quam quod, priore dimissa, cum alia coniungeretur. Atque ob eam rem fieri intelligimus, ut, si infidelis quispiam, gentis suae more et consuetudine, plures uxores duxisset, quum ad veram religionem conversus fuerit, iubeat eum ecclesia ceteras omnes relinquere, ac priorem tantum iustae et legitimae uxoris loco habere.

Quid faciendum sit cum infideli ad fidem converso, qui prius plures uxores duxerit, vide c. Gaudemus, de divortis.

20. *Vinculum matrimonii divortio dirumpi non potest.*

Verum eodem Christi domini testimonio facile comprobatur, nullo divortio vinculum matrimonii dissolvi posse. Si enim post libellum repudii mulier a viri lege soluta esset, liceret ei sine ullo adulterii crimine alteri viro nubere. Atqui Dominus aperte denuntiat: <sup>1</sup> *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur.* Quare coniugii vinculum nulla re, nisi morte dirumpi perspicuum est. Quod quidem Apostolus etiam confirmat, quum inquit: <sup>2</sup> *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit; quod si dormierit vir eius, liberata est a lege: cui vult, nubat; tantum in Domino;* et rursus: <sup>3</sup> *His, qui in matrimonio iuncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere in-nuptam, aut viro suo reconciliari.* Eam vero optionem Apostolus mulieri, quae iusta de causa virum reliquisset, detulit, ut aut innupta maneat, aut viro suo reconcilietur. Neque enim sancta ecclesia viro et uxori permittit, ut sine gravioribus causis alter ab altero discedat.

<sup>1</sup>) Matt. 19, 9.

<sup>2</sup>) I. Cor. 7, 39. Rom. 7, 2.

<sup>3</sup>) I. Cor. 7, 10. Conc. trid. sess. 24. can. 5. et 7. conc. item milv. c. 17. citatum 32. q. 7. capite Placuit. Sine iusta causa societas vitae inter coniuges non est dirumpenda.

21. *Cur nulla ratione dissolvi matrimonium expediat.*

Ac ne forte alicui videatur durior matrimonii lex, quod nulla umquam ratione dissolvi possit, docendum est, quae sint cum ea utilitates coniunctae. Primum enim homines in coniungendis matrimoniis virtutem potius et morum similitudinem, quam divitias et pulchritudinem spectandam esse intelligant; qua quidem re communi societati maxime consuli nemo dubitare potest. Praeterea, si divortio matrimonium dissolveretur, vix umquam dissidendi causae hominibus, quae iis ab antiquo pacis et pudicitiae

Vide Th. in 4. dist. 33. q. 2. art. 1. et sequent. et Bon. in 4. de 33. art. 4. q. 1. et 2.

hoste quotidie obliicerentur, deessent. Nunc vero, quum fideles secum cogitant, quamvis etiam coniugii convictu et consuetudine careant, se tamen matrimonii vinculo constrictos teneri, omnemque alterius uxoris ducendae spem sibi praecisam esse; ea re fit, ut ad iracundiam et dissidia tardiores esse consueverint. Quod si interdum etiam divortium faciant, et diutius coniugis desiderium ferre non possint, facile per amicos reconciliati ad eius convictum redeunt.

22. *Per libellum repudii separati, possunt rursus coniungi.*

Ob adulterium dimissi, si poeniteant, in gratiam possunt recipi ab altero coniuge, S. Aug. l. 2. de adulterinis coniugiis c. 6. et 9.

Sed hoc loco praetermittenda non erit pastoribus sancti Augustini salutaris admonitio. Is enim, ut ostenderet fidelibus, haud gravate faciendum esse, ut cum uxoribus, quas adulterii causa dimisissent, si eas delicti poeniteret, in gratiam reducerentur; *Cur, inquit, vir fidelis non recipiat uxorem, quam recipit ecclesia? aut cur uxor viro adultero, sed poenitenti, non ignoscat, cui etiam ignovit Christus?* Nam quod scriptura stultum vocat, *qui tenet adulteram*, de ea sentit, quae quum deliquerit, poenitere et a coepta turpitudine desistere recusat. Ex iis itaque perspicuum est, fidelium coniugia perfectione et nobilitate, tum gentilium, tum iudaeorum matrimoniis longe praestare.

1) Prov. 18, 22.

23. *Quae sint bona, quae ex hoc sacramento ad coniugatos redeunt.*

Matrimonii triplicia sunt bona, Aug. lib. 5. contra Fal. c. 5. et de gen. ad lit. l. 9. c. 7. Mag. in 4. dist. 31. Scot. 4. dist. 3. q. 1.

2) I. Cor. 7, 28.

Primum matrimonii bonum est proles.

3) I. Tim. 2, 15.

Docendi praeterea sunt fideles, tria esse matrimonii bona: prolem, fidem, sacramentum; quorum compensatione illa incommoda leniuntur, quae Apostolus indicat his verbis: *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi*; efficiturque, ut coniunctiones corporum, quae extra matrimonium merito damnandae essent, cum honestate coniunctae sint.

Primum igitur bonum est proles, hoc est liberi, qui ex iusta et legitima suscipiuntur uxore. Id enim tanti fecit Apostolus, ut diceret: *Salvabitur mulier per filiorum generationem*. Nec vero hoc de procreatione solum, sed de educatione et disciplina, qua filii ad pietatem



erudiuntur, intelligendum est; sic statim subdit Apostolus: <sup>1</sup> *Si in fide permanserit.* Monet enim scriptura: <sup>2</sup> *Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum.* Idem etiam <sup>3</sup> Apostolus docet; eiusque institutionis pulcherrima exempla <sup>4</sup> Tobias, <sup>5</sup> Iob, et alii sanctissimi patres in sacris litteris praebent. Quae vero sint parentum et filiorum officia, in quarto praecepto latius explicabitur.

1) I. Tim. 2, 15.

2) Eccl. 7, 25.

3) Ephes. 6, 4.

4) Tob. 4. per totum.

5) Iob I, 5.

24. *Fides in matrimonio quid sit, et quo modo servanda.*

Sequitur fides; quod est alterum matrimonii bonum, non ille virtutis habitus, quo imbuimur, quum baptismum percipimus, sed fidelitas quaedam, qua mutuo vir uxori, et uxor viro se ita obstringit, ut alter alteri sui corporis potestatem tradat, sanctumque illud coniugii foedus nunquam se violaturum pollicetur. Id facile colligitur ex illis verbis, quae a primo parente enuntiata sunt, quum Evam uxorem suam accepit, quae deinde Christus dominus in evangelio comprobavit: <sup>6</sup> *Quamobrem relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una;* item ex eo Apostoli loco: <sup>7</sup> *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Quare optimo iure gravissimae animadversiones a <sup>8</sup> Domino in adulteros, quod hanc maritalem fidem frangant, in veteri lege constitutae erant.

Secundum bonum est fidelitas mutua.

6) Gen. 2, 24.

7) I. Cor. 7. 4.

8) Levit. 20, 10. Deut. 22, 22.

Postulat praeterea matrimonii fides, ut vir et uxor singulari quodam, sanctoque et puro amore coniuncti sint; neque ut adulteri inter se ament, sed ut Christus dilexit ecclesiam. Hanc enim regulam Apostolus praescripsit, quum ait: <sup>9</sup> *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam;* quam certe immensa illa charitate, non sui commodi gratia, sed sponsae tantum utilitatem sibi proponens, complexus est.

Vir qualiter uxorem diligere debeat, vide Hieron. l. I. contr. Iovin. et cap. Origo 32. q. 4.

9) Ephes. 5, 25.

25. *Quid sit sacramentum, dum inter matrimonii bona numeratur.*

Tertium bonum sacramentum appellatur, vinculum scilicet matrimonii, quod numquam dis-

Tertium matrimonii bonum est sacramentum.

1) I. Cor. 7, 10.  
11. Vide, quod  
supra notavi-  
mus sect. 11.

2) Ephes. 5, 22.  
25. Col. 3, 18.  
I. Tim. 5, 14.  
3) I. Petr. 3, 1.

Primum mari-  
riti officium.

4) Gen. 3, 12.  
Cur mulier  
ex viri pedi-  
bus vel capite  
non sit condi-  
ta. Aug. l. 22.  
de civ. Dei c.  
10. Hugo de  
S. Vict. in ann.  
sup. gen.  
Secundum of-  
ficium vide c.  
Si quis dere-  
liquerit dist.  
30.

Uxoris quae  
sint praecipua  
officia.

5) I. Petri 3, 1.  
Fulg. ep. 2.  
ad Galliam c.  
11. 12. et 3.  
ad Probam c.  
14.

Ps. 44. 14.  
Omnis gloria  
eius, etc.

solvi potest. Nam, ut est apud Apostolum, <sup>1</sup> *Dominus praecepit uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: et vir uxorem non dimittat.* Si enim matrimonium, ut sacramentum est, Christi coniunctionem cum ecclesia signat; necesse est, ut Christus se ab ecclesia numquam disiungit, ita uxorem a viro, quod ad matrimonii vinculum attinet, separari non posse. Verum, ut haec sancta societas sine querela facilius conservetur, viri et uxoris officia, quae a <sup>2</sup> sancto Paulo, et a <sup>3</sup> principe apostolorum Petro descripta sunt, tradenda erunt.

#### 26. Quae sint praecipua mariti officia.

Ergo viri munus est, uxorem liberaliter et honorifice tractare. Qua in re meminisse oportet, Evam ab Adamo sociam appellatam esse, quum inquit: <sup>4</sup> *Mulier, quam dedisti mihi sociam.* Cuius rei causa aliqui patres factum esse docuerunt, ut ea non ex pedibus, sed ex latere viri formaretur; quemadmodum etiam ex capite condita non est, ut se viri dominam non esse intelligeret, sed viro potius subiectam. Decet praeterea virum in alicuius honestae rei studio semper occupatum esse; tum ut ea suppeditet, quae ad familiam sustentandam necessaria sunt, tum ne inerti otio languescat, a quo omnia fere vitia fluxerunt: deinde vero familiam recte constitutere, omnium mores corrigere, singulos in officio continere.

#### 27. Uxoris officium quid requirat.

Rursus autem uxoris partes sunt, quas apostolorum princeps enumerat, quum inquit: <sup>5</sup> *Mulieres subditae sint viris suis; ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore sanctam conversationem vestram: quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando et sanctae mulieres, sperantes in Deo, ornabant*

se, *subiectae propriis viris, <sup>1</sup> sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans.* Earum quoque præcipuum studium sit, filios in religionis cultu educare, domesticas res diligenter curare. Domi vero libenter se contineant, nisi necessitas exire cogat; idque sine viri permissu facere numquam audeant. Deinde, in quo maxime maritalis coniunctio sita est, meminerint semper, secundum Deum, magis quam virum, neminem diligendum, eove pluris faciendum esse neminem; cui etiam omnibus in rebus, quæ christianæ pietati non adversantur, morem gerere et obtemperare summa cum alacritate animi oporteat.

<sup>1</sup>) Gen. 18, 12. Adversus mulieres ambitiosius se se ornantes, et excolentes scribit eleganter Gr. Nazianz. fol. 143o.

28. *Quid de matrimonii ritibus sentiendum sit.*

Harum rerum explicationi consequens erit, ut pastores ritus etiam doceant, qui in matrimonio contrahendo servari debeant; de quibus non est expectandum, ut hoc loco præcepta tradantur, quum a sancta Tridentina synodo, quæ hac in re maxime observanda sint, copiose et accurate constituta fuerint; neque illud decretum a pastoribus ignorari possit. Satis igitur est eos admonere, ut, quæ ad hanc partem attingunt, e sacri concilii doctrina cognoscere studeant, eaque fidelibus diligenter exponant.

Trid. syn. sess. 24. decr. de reformatione matrimonii, cap. 1.

29. *Clandestina matrimonia rata non sunt.*

In primis autem, ne adolescentes et puellæ, cui ætati inest maxima imbecillitas consilii, falso nuptiarum nomine decepti, turpium amorum foedera incaute ineant, sæpissime docebunt, ea neque vera neque rata matrimonia habenda esse, quæ præsentem parochum, vel alio sacerdote de ipsius parochi vel ordinarii licentia, certoque testium numero non contrahantur.

Trid. syn. ib. c. 1.

30. *Tradere etiam matrimonii impedimenta decet.*

Sed quæ matrimonium etiam impediunt, explicanda erunt; in quo argumento plerique graves et doctissimi viri, qui de vitiis et virtutibus conscripserunt, adæo diligenter versati sunt, ut facile omnibus futurum sit, quæ illi scriptis suis tradiderunt, in hunc locum transferre; quum præsertim necesse habeant pastores, eos ipsos

Magister sent. dist. 34. et omnes scholastici ibidem, et canonistæ.

Cone. trid.  
ibid. c. 2.3.4.

libros numquam fere e manibus deponere. Itaque tum illas praeceptiones, tum quae a sancta synodo sancita sunt de impedimento, quod vel a cognatione spirituali, vel a iustitia publicae honestatis, vel a fornicatione oritur, attente legent, et tradenda fidelibus curabunt.

31. *Quo animo affecti esse debeant, qui ad matrimonium accedunt.*

Ex quibus perspici potest, quo animo affectos esse oporteat fideles, quum matrimonium contrahunt. Neque enim se humanam aliquam rem aggredi, sed divinam putare debent, in qua singularem mentis integritatem et pietatem adhibendam esse, patrum veteris legis exempla satis ostendunt; quorum matrimonia, tametsi sacramenti dignitate praedita non erant, ea tamen maxima semper cum religione et sanctimonia colenda esse existimarunt.

32. *Parentum consensus ad matrimonii soliditatem requirendus.*

Trid. syn.  
sess. 24. decr.  
de reformat.  
matrimonii  
c. 1.

Inter cetera autem maxime hortandi sunt filii familias, ut parentibus, et iis, in quorum fide et potestate sunt, eum honorem tribuant, ut ipsis inscientibus, nedum invitis et repugnantibus, matrimonia non ineant. Nam in veteri testamento licet animadvertere, <sup>1</sup> filios a patribus semper in matrimonium collocatos esse. Qua in re plurimum illorum voluntati deferendum esse, Apostolus etiam videtur iis verbis indicare: <sup>2</sup> *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: et qui non iungit, melius facit.*

1) Gen. 24. per totum, et 28. et 29. et 21, 22.

2) I. Cor. 7, 38.

33. *Quidnam de actu coniugali sit praecipendum.*

Extrema illa restat pars de iis, quae ad matrimonii usum pertinent; de quibus ita agendum est a pastoribus, ut nullum ex eorum ore verbum excidat, quod fidelium auribus indignum esse videatur, aut pias mentes laedere, aut risum moveat. Ut enim <sup>3</sup> *eloquia Domini, eloquia casta* sunt; ita etiam maxime decet, christiani populi doctorem eiusmodi orationis genere uti, quod singularem quandam gravitatem, et mentis integritatem prae se ferat. Quare duo illa maxime docendi sunt fideles, primum quidem, non vo-

Duo in ma-  
trimonii usu

luptatis aut libidinis causa matrimonio operam dandam esse, sed eo utendum intra illos fines, qui, ut supra demonstravimus, a Domino praescripti sunt. Meminisse enim convenit, quod Apostolus hortatur: <sup>1</sup> *Qui habent uxores, tamquam non habentes sint*; tum vero a sancto Hieronymo dictum esse: *Sapiens vir iudicio debet amare coniugem, non affectu: reget impetus voluptatis, nec praeceps feretur ad coitum. Nihil est foedius, quam uxorem amare quasi adulteram.*

34. *Coniugibus aliquando ab officio matrimonii abstinendum.*

Sed quoniam bona omnia sanctis precationibus a Deo impetranda sunt, alterum est, quod fideles docere oportet, ut, Deum orandi et observandi causa, a matrimonii officio interdum abstineant: in primisque id sibi observandum sciant, tribus saltem diebus, antequam sacram eucharistiam percipiant, saepius vero, quum solemnia quadragesimae ieiunia celebrantur, quemadmodum patres nostri recte et sancte praeceperunt. Ita enim fiet, ut ipsa matrimonii bona maiori in dies divinae gratiae cumulo augeri sentiant, et pietatis studia sectantes, non modo hanc vitam tranquille et placide traducant, sed aeternae etiam Dei benignitate consequendae, vera et stabili spe, <sup>2</sup> *quae non confundit, nitantur.*

sunt praecipue observanda. Primum, ut voluptatis causa matrimonio non vacetur.

1) I. Cor. 7, 29. S. Hieron. lib. I. contr. Iovin. in fin. et habetur in cap. Origo 32. q. 4.

Quibus temporibus a coniugii actu abstinendum sit, vide 33. q. 4. per totam, et c. Omnis homo de cons. dist. 2. Hier. in Apol. pro lib. contr. Iovin. post medium, et in c. 12. Zach. sup. illud In die illa magnus erit plangtus.

2) Ioan. 5, 6.

# CATECHISMI ROMANI

## PARS TERTIA

DE DECALOGO DIVINISQUE LEGIBUS.

### CAPUT I.

#### 1. Decalogum omnium praeceptorum summam esse demonstratur.

S. Aug. lib. 2. super exod. q. 130. Vide D. Greg. Naz. orat. 40. in sanctum baptismum. 1) Exod. 31, 18. et 32, 15. Decem praecepta ex duobus charitatis praeceptis pendent. 2) Matt. 22, 40.

Decalogum legum omnium summam et epitomen esse, sanctus Augustinus litteris commendavit. Nam *quum multa loquutus sit Dominus, duae tamen*<sup>1</sup> *tantum tabulae dantur Mosi lapideae, quae dicuntur tabulae testimonii futuri in arca. Nimirum cetera omnia, quae praecepit Deus, ex illis decem praeceptis, quae duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelliguntur; quo modo haec ipsa rursus decem praecepta duobus illis nituntur, dilectionis scilicet Dei et proximi,*<sup>2</sup> *in quibus tota lex pendet, et prophetae.*

#### 2. Cur pastores maxime decalogum diserte tenere et explicare conveniat.

Itaque quum sit totius legis summa, pastores oportet in eius contemplatione<sup>3</sup> die noctuque versari, non ut vitam suam modo ad hanc normam componant, sed etiam ut populum sibi creditum in lege Domini erudiant.<sup>4</sup> *Nam labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est;* quod ad pastores novae legis maxime pertinet, quia Deo propiores<sup>5</sup> *a claritate in claritatem transformari debent, tamquam a Domini spiritu.* Et quum eos<sup>6</sup> lucis nomine nuncupavit Christus dominus, propriae sunt illorum partes,<sup>7</sup> *ut sint lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditores insipientium, magistri infan-*

tium; <sup>1</sup> et, si quis praeoccupatus fuerit in aliquo delicto, ipsi, qui spirituales sunt, huiusmodi instruant.

In confessionibus etiam iudicis personam sustinent, ac pro genere et modo peccatorum sententiam ferunt. Quare nisi suam sibi inscitiam, nisi aliis etiam esse fraudi velint, in eo sint, necesse est, quam vigilantissimi, et in divinorum praeceptorum interpretatione exercitatissimi, ut ad hanc divinam regulam, de quacumque et actione, et officii praetermissione iudicium facere possint; et, ut est apud Apostolum, <sup>2</sup> *sana doctrinam* tradant, id est quae nullum contineat errorem, et animorum morbis, quae sunt peccata, medeatur; ut <sup>3</sup> sit populus Deo acceptus, *sectator bonorum operum*. Iam vero in huiusmodi tractationibus ea pastor sibi et aliis proponat, quibus legibus parendum esse persuadeat.

3. *Quis decalogi et legis naturae auctor sit.*

Inter cetera autem, quae animos hominum ad huius legis iussa servanda possunt impellere, illud maximam vim habet, Deum esse huius legis auctorem. Quamvis enim <sup>4</sup> per angelos data esse dicatur, nemo tamen dubitare potest, ipsum Deum esse legis auctorem. Cuius rei satis amplum testimonium praebent non solum ipsius legislatoris verba, quae paulo post explicabuntur, <sup>5</sup> sed infinita paene scripturarum loca, quae pastoribus facile occurrent. Nemo enim est, quin sibi a Deo legem in animo insitam esse sentiat, qua bonum a malo, honestum a turpi, iustum ab iniusto possit discernere: cuius vis et ratio legis, quum ab ea, quae scripta est, diversa non sit, quis est, qui ut intimae, sic scriptae legis auctorem Deum negare audeat? Hanc igitur divinam lucem, paene iam pravis moribus et diuturna perversitate obscuratam, quum Deus Mosi legem dedit, eam potius illustriorem reddidisse, quam novam tulisse docendum est, ne forte populus, quum audit legi Mosi derogatum esse, putet his legibus se non teneri. Certissimum enim est, non propterea his praeceptis parendum esse, quod per Mosem data sunt, sed quod omnium

Decalogus est regula, qua honestae actiones ab improbis secerni debeant.

<sup>2</sup>) 2. Tim. 4, 3.

<sup>3</sup>) Tit. 2, 14.  
Exhortandus populus ad legis observationem.

Th. in l. 2.  
q. 98. art. 2.

<sup>4</sup>) Gal. 3, 19.

<sup>5</sup>) Exod. 24, 12.  
Levit. 4, 22. 27.  
Isa. 33, 22.  
Deus legis naturalis conditor.  
Rom. 2, 14.  
vide Th. in l. 2. q. 91. a. 2.

Lex naturae diuturna perversitate obscurata, per legem scriptam renovatur ac illustratur Th. I. 2. q. 98. art. 6.

animis ingenita, et per Christum dominum explicata sunt et confirmata.

4. Quo modo ad legem servandam ab ipso legis auctore populus excitari possit.

Iuvabit tamen plurimum, et ad persuadendum magnum habebit momentum illa cogitatio, Deum esse, qui legem tulit; de cuius sapientia et aequitate dubitare non possumus, neque eius infinitam vim atque potentiam effugere. Quare quum per prophetas Deus iuberet servari legem, <sup>1</sup> dicebat se dominum Deum esse; et in ipso

1) Levit. 18,5. et 19. et 20. v. 8.

2) Exod. 20,2.

3) Malac. I, 6.

decalogi exordio: <sup>2</sup> *Ego sum Dominus Deus tuus; et alibi: <sup>3</sup> Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?*

5. Quantum sit beneficium, legem a Deo accepisse.

Non solum autem excitabit fidelium animos ad servanda Dei praecepta, sed ad gratiarum etiam actionem, quod suam Deus, quae salutem nostram contineret, voluntatem explicarit. Quare non uno loco scriptura maximum hoc beneficium declarans, populum commonefacit, ut suam dignitatem, ac Dei beneficentiam cognoscat, veluti in Deuteronomio: <sup>4</sup> *Haec est, inquit, vestra sapientia, et intellectus coram populis, ut audientes universa praecepta haec, dicant: En populus sapiens, et intelligens, gens magna;*

4) Deut. 4, 6.

et rursus in Psalmo: <sup>5</sup> *Non fecit taliter omninationi, et iudicia sua non manifestavit eis.*

5) Ps. 147,20.

6. Quare tanta maiestate legem suam Israelitis olim Deus tradere voluerit.

Verum si parochus rationem praeterea latae legis ex scripturae auctoritate demonstrarit, facile intelligent fideles, quam pie ac suppliciter acceptam Dei legem colere oporteat: triduo enim antequam ferretur lex, Dei iussu dictum est omnibus, <sup>6</sup> ut vestimenta lavarent, uxores non attingerent, quo sanctiores ac paratiores essent ad accipiendam legem, ut ad diem tertium adessent. Deinde, quum ad montem essent adducti, unde Dominus illis legem per Mosem erat laturus, uni Mosi dictum est, ut in montem ascenderet; quo Deus maxima cum maiestate venit, et locum tonitruis, fulguribus, igne, densisque

6) Exod. 19, 10. 11. Haec paulo post sect. 7. diffusius explicantur.



nebulis circumfudit, ac loqui cum Mose coepit, eique leges dedit. Quod divina sapientia nullam aliam ob causam factum voluit, nisi nos ut moneret, casto humilique animo legem Domini accipiendam esse; quod si praecepta negligereamus, paratas nobis a divina iustitia poenas imminere.

7. *Quo modo lex tanto terrore promulgata ab hominibus impleri possit, et quod nihil amore facilius sit.*

Quin etiam legis iussa difficultatem etiam non habere, ostendat parochus: quod vel una hac ratione ex sancto Augustino docere poterit, quum inquit: <sup>1</sup> *Quid, quaeso, dicitur impossibile esse homini amare, amare inquam creatorem beneficum, patrem amantissimum, deinde etiam et carnem suam in fratribus suis? at vero* <sup>2</sup> *qui diligit, legem implevit.* Quare Ioannes apostolus <sup>3</sup> praecepta Dei gravia non esse, aperte testatur. Nihil enim iustius, nihil cum maiore dignitate, nihil maiore cum fructu ab homine, teste beato Bernardo, exigi potuisset. Quamobrem summam Dei benignitatem admiratus est Augustinus, sic ipsum Deum affatus: *Quid tibi sum ipse, ut amari te iubeas a me? et nisi faciam, irascaris mihi et mineras ingentes miseras? Parvane ipsa est, si non amem te?*

Quod si quis eam afferat excusationem, impediri se, quominus Deum amet, infirmitate naturae; docendum est, Deum, qui amorem requisivit, <sup>4</sup> amoris vim inserere cordibus per Spiritum sanctum suum. Hic autem <sup>5</sup> Spiritus bonus petentibus a Patre caelesti datur; ut merito sanctus Augustinus precatus sit: *Da quod iubes, et iube quod vis.* Quia igitur Dei auxilium praesto nobis est, maxime post Christi domini mortem, per quam princeps huius mundi eiectus est foras, non est quod quisquam rei difficultate deturbeat; <sup>6</sup> nihil enim est amanti difficile.

3. *Teneantur omnes homines necessario ad legis observationem.*

Praeterea, ad eandem rem persuadendam plurimum valebit, si explicabitur, necessario

Lex observanda non modo possibilis, sed etiam facilis est. Trid. syn. sess. 2. de iustificatione cap. 11. et can. 18. 19. 20.  
1) Serm. 6. de tempore, et ser. 47. de sanctis.  
2) Rom. 13, 8.  
3) I. Ioan. 5, 3. Matt. 11, 30.  
Bern. l. de dil. Deo. Aug. l. I. Conf. c. 5.

Virtus perficiendae legis per Spiritum sanctum homini etiam imbecilli praestatur.  
4) Rom. 5, 5.  
5) Luc. 11, 13. S. Aug. lib. 10. conf. c. 29. 36. 37.

6) Aug. in ps. 121. Bernard. in serm. de dom. in palm. in serm. de Magdal.

Sess. 6. Conc. trid. c. 10, et 11, et c. 18, et 19.

1) Rom. 2, 6. 7. 3, 31.

2) 1. Cor. 7, 19. et 2. Tim. 4, 8. et Hebr. 5, 9. 1. Petr. 1, 10. 1. Cor. 7, 10. 3) Gal. 6, 15.

4) Ioan. 14, 21. 23.

Quae sit nova in Christo creatura, Quomodo potest justificari homo etiam sine operibus legis,

legi obtemperandum esse; praesertim quum nostris temporibus non defuerint, qui, sive facili, sive difficilis sit lex, ad salutem tamen nequaquam necessariam esse, impie et magno ipsorum malo dicere non veriti sunt. Quorum nefariam impiamque sententiam, <sup>1</sup> sacrae scripturae testimoniis parochus confutabit, eiusdem maxime Apostoli, cuius illi auctoritate impietatem suam tueri conantur. Quid igitur ait Apostolus? <sup>2</sup> Non praepitium, non circumcisionem quidquam esse, sed observationem mandatorum Dei. Quod vero eandem sententiam alibi repetit, et <sup>3</sup> novam creaturam in Christo tantum dicit valere, intelligimus plane, eum novam creaturam in Christo dicere, qui mandata Dei observat. Is enim, <sup>4</sup> qui *habet mandata Dei ac servat, diligit Deum, Domino ipso teste apud Ioannem: Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Nam etsi iustificari potest homo, et ex impio fieri pius, antequam singula legis praecepta externis actionibus impleat; fieri tamen non potest, ut, qui per aetatem ratione uti queat, ex impio fiat iustus, nisi animum habeat paratum ad omnia praecepta Dei servanda.

9. Quos fructus consequantur, qui legem divinam observant.

Ad extremum vero, ne quid praetermittat parochus, quo fidelis populus adducatur, ut legem servet; quam sint eius uberes suavesque fructus, demonstrabit. Quod facile poterit ex iis, quae psalmo decimo octavo scripta sunt, probare. In eo enim legis Dei laudes celebrantur; quarum haec est vel maxima, quae Dei gloriam et maiestatem multo amplius explicat, quam decore suo atque ordine faciant ipsa caelestia corpora; quae ut omnes quamvis barbaras nationes in sui admirationem rapiunt, ita efficiunt, <sup>5</sup> ut rerum omnium opificis et conditoris gloriam, sapientiam ac potentiam agnoscant. Ac <sup>6</sup> lex quidem *Domini convertit animas ad Deum.* Agnoscentes enim vias eius, et Dei sanctissimam voluntatem per legem, convertimus pedes nostros in vias Domini. At quia soli <sup>7</sup> timentes

5) Rom. 1, 20.

6) Ps. 18, 8.

7) Job 18, 28.

Deum, vere sapientes sunt, hoc illi deinceps tribuit, ut *sapientiam praestet parvulis*. Hinc veris gaudiis, et mysteriorum divinorum cognitione, ingentibus praeterea voluptatibus et praemiis, et in hac vita, et in futuro saeculo illi cumulantur, qui Dei legem observant.

10. *Quum omnia voluntatem Dei faciant, hominem eandem voluntatem sequi aequissimum ostenditur.*

Nec vero tam nostrae utilitatis gratia, quam Dei causa, nobis est servanda lex, qui suam hominum generi in lege voluntatem aperuit; quam quum <sup>1</sup> ceterae creaturae sequantur, hominem ipsum eandem sequi multo est aequius.

1) Ps. 102, 22.  
et 148, 8.

Ne id quidem silentio praetereundum est, vel in hoc maxime Deum suam in nos clementiam, et summae bonitatis divitias ostendisse, quod, quum sine ullo praemio nos potuisset, ut suae gloriae serviremus, cogere; voluit tamen gloriam suam cum utilitate nostra coniungere, ut quod homini utile, idem esset Deo gloriosum. Quoniam igitur id maximum et praeclarissimum est, docebit parochus, ut a Propheta ultimo loco dictum est, <sup>2</sup> *in custodiendis illis retributionem multam esse*. Non enim tantum illae nobis benedictiones promissae sunt, quae ad terrenam felicitatem magis spectare videbantur, <sup>3</sup> *ut benedicti simus in civitate, benedicti in agro; sed* <sup>4</sup> *copiosa merces in caelis, et* <sup>5</sup> *mensura bona, conferta, coagitata, et superfluens* proposita est, quam piis et iustis actionibus mereamur divinae misericordiae adiumento.

2) Ps. 118, 12.  
Benedictiones et temporales, et aeternas, qui observant mandata, merentur.

3) Deut. 28.  
per totum.

Isa. 1, 19.

4) Matt. 5, 12.

5) Lucae 6, 38.

11. *Quo pacto lex Mosis omnium aetatum homines obliget, quaque occasione Israelitis promulgata fuerit.*

Quamvis haec lex Iudaeis <sup>6</sup> in monte a Domino data fuerit, tamen quoniam <sup>7</sup> natura omnium mentibus multo ante impressa et consignata erat, atque ob eam rem Deus universos homines illi perpetuo parere voluit; plurimum proderit verba illa, <sup>8</sup> quibus, Mose ministro atque interprete, Hebraeis promulgata est, et populi israelitici historiam, quae mysteriorum est plena, diligenter explicare.

6) Exod. 19, 20.  
et 20, 20.

Deut. 5, 2.

7) Rom. 2, 15.

8) Deut. 5, 5.  
Gal. 3, 19.

- Principio narrabit parochus, ex omnibus nationibus, quae sub caelo erant, <sup>1</sup> unam Deum de-
- 1) Deut. 4, 37. tionibus, quae sub caelo erant, <sup>1</sup> unam Deum de-
- 2) Gen. 12, 5. legisse, quae ortum habuit ab Abraham, <sup>2</sup> quem
- 3) Gen. 13, 14. peregrinum esse voluit in terra Chanaan; <sup>3</sup> cuius
- 4) Gen. 15, 13. possessionem quum ei pollicitus esset, tamen et
- Exod. 12, 36. ille, <sup>4</sup> et posteri eius amplius quadringentos annos vagi fuerunt, antequam promissam terram incolerent; in qua quidem peregrinatione numquam eorum curam dimisit. Transibant <sup>5</sup> quidem illi *de gente in gentem, et de regno ad populum alterum*, sed nullam umquam illis iniuriam fieri passus est, <sup>6</sup> immo vero in reges animadvertit. Priusquam autem in Aegyptum descenderent, <sup>7</sup> virum praemisit, cuius prudentia et illi et Aegyptii fame liberarentur. In Aegypto vero ea illos benignitate complexus est, ut, repugnante et ad illorum perniciem incumbente Pharaone, <sup>8</sup> mirum in modum auferentur; et quum valde affligerentur, ac tamquam servi durissime tractarentur, <sup>9</sup> ducem Mosem excitavit, qui eos in manu potenti educeret. Huius praecipue liberationis initio legis meminit Dominus his verbis: *Ego sum dominus Deus tuus, qui eduخي te de terra Aegypti, de domo servitutis.*

12. *Cur Iudaei in populum a Deo delecti fuerint.*

- Ex his vero illud maxime parochi animadvertendum est, unam ex universis nationibus a Deo delectam esse, quam populum vocaret suum, et cui se cognoscendum et colendum praerberet; <sup>10</sup> non quod ceteras iustitia aut numero vinceret, quemadmodum Hebraeos monet Deus, sed quod ipsi Deo sic placuit, potius ut gentem inopem et exiguam auferet et locupletaret, quo eius potentia et bonitas notior apud omnes esset et illustrior. Quum igitur ea esset illorum
- 10) Deut. 7, 7. hominum conditio, iis <sup>11</sup> *conglutinatus est, et hos amavit*; ita ut, quum esset Dominus caeli et terrae, non confunderetur vocari Deus eorum,
- 11) Deut. 10, 15. quo ceteras gentes ad aemulationem provocaret, ut, perspecta Israelitarum felicitate, omnes homines ad veri Dei cultum sese conferrent; quemadmodum etiam Paulus testatur, se, <sup>12</sup> gen-
- 12) Deut. 4, 5, 6.
- 13) Rom. c. 11, 14.
- 10) Deut. 7, 7. Vide Thom. in I, 2. q. 98. art. 4.

tium felicitate proposita, et vera Dei cognitione, qua eas instruxerat, ad aemulationem carnem suam provocare.

13. *Cur Hebraei diu multumque vexati sint, antequam legem acciperent.*

Deinde fideles docebit, Deum hebraeos patres diu peregrinari passum esse, posteros etiam durissima servitute premi divexarique permisisse ob eam rem, uti doceremur, <sup>1</sup> amicos Dei fieri, non nisi mundi inimicos ac peregrinos in terris; itaque in Dei familiaritatem facilius recipi, si nihil omnino nobis sit commune cum mundo: tum vero, ut ad Dei cultum translati, intelligeremus, quanto feliciores demum sint ii, qui Deo, quam qui mundo serviunt. Cuius rei nos Scriptura comonnet; ait enim: <sup>2</sup> *Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meae, et servitutis regni terrarum.*

<sup>1</sup>) Iacob. 4, 4.

<sup>2</sup>) Par. 12, 8.

Praeterea explicabit, post amplius quadringentis annis Deum promissa praestitisse, ut ille populus fide ac spe aleretur. Alumnos enim suos Deus a se perpetuo pendere vult, atque in eius bonitate omnem spem suam collocare, ut in primi praecepti explanatione dicitur.

Cur Deus promissa post tam longa tempora israelitis persolverit.

14. *Cur tali loco et tempore lex data fuerit.*

Postremo locum ac tempus notabit, quibus hanc legem populus Israel a Deo accepit, nempe postquam eductus ex Aegypto in desertum venit; ut beneficii recentis memoria allectus, et loci asperitate, in quo versabatur, deterritus, ad accipiendam legem aptior redderetur. Homines enim iis maxime devinciuntur, quorum beneficentiam experti sunt, atque ad Dei praesidium confugiunt, quum se omni spe humana destitutos esse vident. Ex quo licet intelligere, fideles ad complectendam caelestem doctrinam eo propensiores esse, quo se magis a mundi illecebris, et carnis voluptatibus abstraxerint; sicut per Prophetam dictum est: <sup>3</sup> *Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? Ablattatos a lacte, avulsos ab uberibus.*

Cur in deserto post aegyptiacam liberationem potius, quam alias lex sit tradita.

Quando sit opportunissimum praecepta vivendi populo inculcare.

<sup>3</sup>) Isa. 40, 9.

# DE PRIMO PRAECEPTO

## CAPUT II.

**Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis.**

1. *Quid sibi exordium velit, et quatenam in eo contineantur mysteria.*

- Enitatur itaque parochus, et, quantum potest, efficiat, ut fidelis populus haec verba semper in animo habeat: <sup>1</sup> *Ego sum dominus Deus tuus; ex quibus intelligant, legislatorem se creatorem habere, a quo et conditi sunt et conservantur, iureque illud usurpent: <sup>2</sup> Ipse est dominus Deus noster, et nos populus pascuae eius, et oves manus eius.* Quorum verborum vehementis et frequens admonitio eam vim habebit, ut ad legem colendam fideles promptiores reddantur, et a peccatis absterneant. Quod autem sequitur: *Qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis; etsi Iudaeis tantum videtur convenire Aegyptiorum dominatu liberatis; tamen, si interiorem salutis universae rationem spectemus, multo magis ad christianos homines pertinet, qui non ex aegyptiaca servitute, sed e peccati regione et <sup>3</sup> potestate tenebrarum a Deo erepti, atque in regnum filii dilectionis suae translati sunt. Cuius beneficii magnitudinem intuens Ieremias praedixit illud: <sup>4</sup> Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non dicetur ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aegypti: sed: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra aquilonis, et de universis terris, ad quas eieci eos: et reducam eos in terram suam, quam dedi patribus eorum. Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos, et quae sequuntur. Pater enim indulgentissimus per filium suum <sup>5</sup> filios, qui erant dispersi, congregavit in unum, ut iam <sup>6</sup> non ut servi peccato, sed iustitiae, <sup>7</sup> serviamus*
- 1) Exod. 20, 2.  
2) Ps. 94, 7.  
3) Col. I, 13.  
4) Ier. 16, 14, 15, 16.  
5) Ioan. 11, 52.  
6) Rom. 6, 2.  
7) Luc. I, 74.  
8) non ut servi peccato, sed iustitiae, <sup>7</sup> serviamus

*illi in sanctitate, et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.*

2. *Quo modo ex principio huius decalogi fideles affeici debeant.*

Quare fideles omnibus tentationibus tamquam clypeum opponent illud Apostoli: <sup>1</sup> *Qui mortui sumus peccato, quo modo adhuc vivemus in illo?* <sup>1) Rom. 2, 8.</sup> *Iam non sumus nostri, <sup>2</sup> sed eius, qui pro nobis mortuus est, et resurrexit. Ipse est dominus Deus noster, qui nos <sup>3</sup> suo sanguine sibi acquisivit, quo modo <sup>4</sup> peccare poterimus in dominum Deum nostrum, <sup>5</sup> ipsumque iterum cruci affigere?* <sup>2) 2. Cor. 5, 15.</sup> *Ut igitur vere liberi, et <sup>6</sup> ea quidem libertate, qua nos Christus liberavit, <sup>7</sup> sicut exhibueramus membra nostra servire iniustitiae, ita exhibeamus servire iustitiae in sanctificationem.* <sup>3) Act. 20, 7.</sup> <sup>4) Gen. 39, 9.</sup> <sup>5) Hebr. 6, 6.</sup> <sup>6) Gal. 4, 31.</sup> <sup>7) Rom. 6, 19.</sup>

**Non habebis Deos alienos coram me.**

3. *Quid hoc primum praeceptum observandum fugiendumve complectatur.*

Priorem in decalogo locum obtinere, quae ad Deum pertinent, posteriorem vero, quae ad proximum, docebit parochus; quia eorum, quae proximo praestamus, causa Deus est. Tum enim ex Dei praecepto proximum diligimus, quum propter Deum diligimus: ea vero sunt in priori tabula descripta. Secundo loco in verbis iis, quae proposita sunt, duplex contineri praeceptum ostendet: quorum alterum iubendi, alterum prohibendi vim habet. Nam quod dicitur: *Non habebis Deos alienos coram me*, eam habet sententiam coniunctam: *Me verum Deum coles, alienis diis cultum non adhibebis.*

4. *Quo modo hoc praecepto fides, spes et charitas contineantur.*

In priori autem continetur praeceptum fidei, spei et charitatis. Nam quum Deum dicimus <sup>8</sup> immobilem, <sup>9</sup> incommutabilem, <sup>10</sup> perpetuo eundem manentem, <sup>11</sup> fidelem; recte sine ulla iniquitate confitemur: ex quo eius oraculis assentientes, omnem ipsi fidem et auctoritatem tribuamus necesse est. Qui vero omnipotentiam, clementiam, et ad benefaciendum facilitatem

8) Malach. 3, 6.

9) Iacob. 1, 17.

10) Ps. 101, 28.

11) Deut. 32, 4.

ac propensionem illius considerat, poteritne spes omnes suas non in illo collocare? At <sup>1</sup> si bonitatis <sup>2</sup> ac dilectionis ipsius effusas in nos divitias contempletur, illumne poterit non amare? Hinc est illud prooemium, hinc illa conclusio, qua in praecipiendo mandandoque in Scriptura utitur Deus: <sup>3</sup> *Ego dominus.*

1) Rom. 2, 4.  
2) Rom. 2, 9.  
3) Levit 4.5.6. 28. et alibi frequenter.

Negativa  
praecepti parte multitudo deorum prohibetur, et cur eam loquendi formulam legislator usurparit. Vide Th. in 2. q. 122. art. 2.

5. *Praeceptum hoc, ut negativum est, exponitur.*

Altera autem praecepti pars illa est: *Non habebis Deos alienos coram me;* qua loquendi formula legislator usus est, non quod satis explicata non esset haec sententia affirmatione praecepti in hunc modum: *Me unum Deum colles;* si enim Deus est, unus est; sed propter caecitatem plurimorum, qui olim Deum verum se colere profitebantur, multitudinem tamen deorum venerabantur. Cuiusmodi inter Hebraeos ipsos permulti fuerunt, qui, <sup>4</sup> ut Elias ei obiiciebat, in duas partes claudicabant; quod et <sup>5</sup> Samaritae fecerunt, qui Deum Israelis, et deos gentium colebant.

4) 3. Reg. 18. 21.  
5) 4. Reg. 17, 27. 28. 99.

6. *Quo modo hoc praeceptum omnium maximum censendum sit.*

Quanto amore Deum colere debeamus.

His explicatis, addendum erit, hoc praeceptum esse omnium primum et maximum, non ordine tantum ipso, sed ratione, dignitate et praestantia. Debet enim Deus obtinere apud nos infinitis partibus maiorem, quam domini, quam regis, charitatem et auctoritatem. Ipse nos creavit, idem gubernat; ab eo in utero matris nutriti, atque inde in hanc lucem educti sumus; ipse nobis ad vitam victumque res suppeditat necessarias.

7. *Qui praecipue sint rei violati huius praecepti.*

6) Deut. 18, 10. Isa. 2, 6. Ierem. 27, 9.  
7) De his agitur 26. q. 2. cap. illud, quod est.

Peccant autem in hoc praeceptum, qui fidem, spem et charitatem non habent, quorum peccatum latissime patet. Sunt enim in hoc numero, qui in haeresim labuntur; qui non credunt ea, quae sancta mater ecclesia credenda proponit; qui somniis, <sup>6</sup> auguriis, <sup>7</sup> ceterisque vanissimis rebus fidem habent; qui de sua salute spem abiciunt, nec divinae bonitati confidunt; qui divitiis tantum, qui corporis valetudine ac viribus ni-



tuntur; quae fusius ab iis explicata sunt, qui de vitiis et peccatis conscripserunt.

8. *Non adversatur huic praecepto cultus, qui ex re-  
cepto ecclesiae usu sanctis tribuitur.*

Verum illud etiam in huius praecepti expli-  
catione accurate docendum est, venerationem  
et invocationem sanctorum, angelorum, ac bea-  
tarum animarum, quae caelesti gloria perfruun-  
tur, aut etiam corporum ipsorum sanctorumque  
cinerum cultum, quem semper catholica ecclesia  
adhibuit, huic legi non repugnare. Quis enim adeo  
demens est, qui, edicente rege, ne se pro rege  
quisquam gerat, aut regio cultu atque honore  
affici patiatur, continuo putet, nolle regem, suis  
ut magistratibus honos deferatur? Etsi enim  
<sup>1</sup> angelos christiani adorare dicuntur exemplo  
sanctorum veteris testamenti, non eam tamen  
illis venerationem adhibent, quam Deo tribuunt.  
Quod si legimus interdum angelos recusasse,  
<sup>2</sup> ne se homines venerarentur, eo fecisse intelli-  
gendum est, quod sibi eum honorem haberi no-  
lebant, qui soli Deo deberetur.

9. *Quo modo sanctos angelos colere liceat, ex scri-  
pturis ostenditur.*

Spiritus enim sanctus, qui ait: <sup>3</sup> *Soli Deo  
honor et gloria*; idem praecepit, ut <sup>4</sup> honore pa-  
rentes et <sup>5</sup> seniores afficeremus. Sancti praeterea  
viri, qui Deum unum colebant, <sup>6</sup> reges tamen,  
ut est in divinis litteris, adorabant, idest sup-  
plices venerabantur. Quod si reges, per quos  
Deus mundum gubernat, tanto honore afficiun-  
tur; angelicis spiritibus, quos Deus ministros  
suos esse voluit, et quorum opera non modo ad  
ecclesiae suae, sed etiam ad reliquarum rerum  
gubernationem utitur, quorumque ope maximis  
tum animae, tum corporis periculis quotidie li-  
beramur, etiamsi se nobis in conspectum non  
dent, tanto maiorem honorem non habebimus,  
quanto beatae illae mentes dignitate regibus  
ipsis antecellant? Adde charitatem, qua nos di-  
ligunt, qua ducti pro iis provinciis, quibus prae-  
sunt, ut ex <sup>7</sup> Scriptura facile intelligitur, preces  
fundunt; quod etiam praestare iis, quorum sunt

Vide synod.  
7. act. 6. in  
fin. August.  
lib. 8. de civ.  
Dei cap. 27.  
et 10. cap. 1.  
et lib. 21. con-  
tra Faust. cap.  
21. Basil. hom-  
mil. 20 in 40.  
mar. et 26. de  
mar. Maman.  
Gregor. Naz.  
orat. in laud.  
S. Cypr. et al-  
lios.

1) Gen. 18, 2.  
et 19, 1.  
Num. 22, 31.  
Ios. 5, 14.

2) Apoc. 19, 10.  
et 22, 9.

3) I. Tim. I.  
17.  
4) Exod. 20, 12.  
5) Levit. 19, 32.  
6) Gen. 23, 7.  
12.

1. Reg. 24, 9.  
et 25, 23.

2. Reg. 9. 6. 8.  
Quanto an-  
geli reges di-  
gnitate ante-  
cellant. Iust.  
in 2. apolog.  
pro annis  
Christi memi-  
nit honoris,  
quem christia-  
ni angelis tri-  
buebant, et Ba-  
sil. orat. in 40.  
mar.

7) Dan. 10, 13.

- 1) Tob. 3, 25.  
12, 12.
- 2) Matt. 18, 10.
- ipsi custodes, ne dubitandum quidem est; nostras enim<sup>1</sup> preces Deo offerunt et lacrimas. Quamobrem in evangelio docuit Dominus pusillos scandalizandos non esse, <sup>2</sup> quod *angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris, qui in caelis est.*

10. *Invocandos esse sanctos angelos, ex scripturis probatur.*

Nota, quod hic angelus erat filius Dei usque tunc in forma humana visus, Basil. magn. Greg. Naz. Ambros. Leo papa epist. 13. Gen. 48, 16. Glossa interlin.

Invocandi itaque sunt, quod et perpetuo Deum intuentur, et patrocinium salutis nostrae sibi delatum libentissime suscipiunt. Exstant divinae scripturae testimonia huius invocationis. Iacob enim ab angelo, quocum luctatus fuerat, petit ut sibi benedicat, immo etiam cogit: se enim non dimissurum illum profitetur, nisi benedictione accepta; neque eam solum sibi ab eo tribui voluit, quem intuebatur, sed ab eo etiam, quem minime videbat, tum quum dixit: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.*

11. *Sanctorum invocatione, et reliquiarum veneratione nihil honori Dei detrahitur.*

Ex quibus etiam colligi poterit, tantum abesse, ut sanctis, qui in Domino dormierunt, honore afficiendis atque invocandis, et sacris eorum reliquiis cineribusque venerandis, Dei gloria minuatur, ut eo maxime augeatur, quo magis hominum spem excitat, confirmat, et ad sanctorum imitationem cohortatur. Quod officium <sup>3</sup> Nicaeno altero, et Gangrensi ac Tridentino conciliis, et sanctorum patrum auctoritate comprobatur.

12. *Quibus potissimum argumentis sanctorum invocatio stabilienda sit.*

Conc. trid. sess. 13. Item concil. c. 1c. sub lin.

Damas. c. lib. 4. de orthod. fide c. 16.

Sanctorum invocatio ex apostolica traditione manavit.

Probari po-

Quo autem sit ad refutandos eos instructior parochus, qui huic veritati adversantur, sanctos Hieronymum contra Vigilantium, et Damasenum potissimum legat. Ad quorum rationem, quod caput est, accedit consuetudo ab apostolis accepta, et in ecclesia Dei perpetuo retenta et conservata. Cuius rei quis firmiter aut clarius requirat argumentum divinae scripturae testimonio, quae sanctorum laudes celebrat admirabi-

liter? Exstant enim quorundam sanctorum divina praeconia, <sup>1</sup> quorum laudes quum sacris litteris celebrentur, quid est, quod illis singularem honorem non habeant homines? Etsi ob eam causam magis etiam colendi et invocandi sunt, quod pro salute hominum preces assidue faciunt, multaque eorum merito et gratia Deus in nos confert beneficia. Si enim <sup>2</sup> *gaudium est in caelo super uno peccatore poenitentiam agente*; nonne etiam caelestes cives poenitentes adiuvant? nonne rogati peccatorum veniam et impetrabunt, et conciliabunt nobis Dei gratiam?

13. *Illam sanctorum invocationem ex quadam auxiliis divini diffidentia, fideique imbecillitate non proficisci demonstratur.*

Quod si dicatur, ut a nonnullis dicitur, supervacaneum esse sanctorum patrocinium, quod Deus sine interprete precibus nostris occurrat; has impiorum voces illud sancti Augustini facile convincit, multa Deum non concedere, nisi mediatoris ac deprecatoris opera et officium accesserit. Quod illustribus <sup>3</sup> Abimelech et <sup>4</sup> Iob amicorum confirmatur exemplis; quorum peccata non nisi Abraham et Iob precibus condonavit. Si vero etiam asseratur, fieri inopia et imbecillitate fidei, ut sanctos internuntios et patronos adhibeamus; quid ad illud respondebunt centurionis exemplum, qui vel in singulari fidei praeconio, <sup>5</sup> quod ei dominus Deus impertivit, <sup>6</sup> seniores tamen Iudaeorum ad Salvatorem misit, ut laboranti puero salutem impetrarent?

14. *Doctrina de uno mediatore Christo non tollit sanctorum invocationem.*

Quare si fatendum est, <sup>7</sup> unum nobis mediatorem propositum Christum dominum, <sup>8</sup> qui scilicet unus nos per sanguinem Patri caelesti reconciliavit, et qui, <sup>9</sup> *aeterna redemptione inventa*, semel in sancta ingressus, pro nobis interpellare non cessat; ex eo tamen nullo modo sequi potest, quo minus ad sanctorum gratiam confugere liceat. Nam si propterea subsidiis sanctorum uti non liceat, quod unum patronum habeamus Iesum Christum; numquam id commisisset Apostolus,

test ex iis, quae de ea scribunt Dionys. lib. eccl. hier.

c. 7. Iren. lib. 5. contra haer. c.

19. Eus. 1. 13. Praep. Ev. c. 7.

1) Sanctorum laudes esse celebrandas scriptura docet.

Eccl. 44. et sequentibus usque ad finem libri,

2) Lucae 15, 7.

S. Aug. lib.

2. q. 140. super exod. et serm. I. et 4.

de S. Steph. Ambr. lib. 2.

de voc. gentium cap. 10. Greg. lib. 1.

dial. c. 8. et habetur 23. quaestione 4.

c. 21. Hier. super Dan. c. 9. 7. 17.

3) Gen. 20, 17.

4) Iob 42, 8.

5) Matt. 8, 10.

6) Lucae 7, 3.

7) I. Tim. 2, 5.

8) Rom. 5, 10.

2. Cor. 5, 18.

Hebr. 9, 12.

9) Hebr. 7, 25.

1) Rom. 15, 20. ut se Deo <sup>1</sup> tanto studio fratrum viventium precibus adiuvari vellet. Neque enim minus vivorum preces, quam eorum, qui in caelis sunt, sanctorum deprecatio, Christi mediatoris gloriam et dignitatem imminuerent.

15. *Unde reliquiarum virtus confirmetur, et quanta sit earum vis et efficacia demonstratur.*

Ambr. lib. 7. epist. 59. et serm. 60. et serm. 91. de sancta Agnete, et 92. et 93. de sanctis Gervasio et Protasio. Aug. lib. 22. de civ. Dei c. 8.

Sed cui fidem non faciant et honoris, qui sanctis debetur, et patrocinii, quod nostri causa suscipiunt, mirabiles effectae res ad eorum sepulcra, et oculis et manibus membrisque omnibus captis in pristinum statum restitutis, mortuis ad vitam revocatis, ex corporibus hominum eiectis daemioniis? Quae non audisse, ut multi, non legisse, ut plurimi gravissimi viri, sed vidisse, testes locupletissimi sancti Ambrosius et Augustinus litteris tradiderunt. Quid multa? Si

2) 4. Reg. 2, 14.  
3) Act. 19, 12.  
4) Act. 5, 15.

<sup>2</sup> vestes, <sup>3</sup> sudaria, si umbra <sup>4</sup> sanctorum, priusquam e vita migrarent, depulit morbos viresque restituit, quis tandem negare audeat, Deum per sacros cineres, ossa, ceterasque sanctorum reliquias eadem mirabiliter efficere? Declaravit id caelaver illud, quod forte illatum in sepulcrum

5) 4. Reg. 13, 21.

<sup>5</sup> Elisei, eius tacto corpore, subito revixit.

16. *Verba sequentia non alterum, sed unum cum praecedentibus praeceptum constituunt.*

6) Exod. 20, 4. 5.

Sculptilia non sunt absolute prohibita, sed tantum sculptilia deorum alienorum. Dam. l. 4. c. 17. Imagines fuerunt in lege naturae. Fuerunt in lege scripta. In lege evangelica ab apostolorum temporibus, ut imago Christi fusilis.

Quod vero sequitur: <sup>6</sup> *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quae est in caelo desuper, et quae in terra deorsum, nec eorum quae sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles;* quidam hoc alterum praeceptum existimantes, duo postrema ipsa unius praecepti vi contineri voluerunt. At Sanctus Augustinus illa extrema dividens, haec ipsa verba ad primum praeceptum pertinere voluit: quam sententiam, quia in ecclesia celebris est, libenter sequimur. Etsi in promptu ratio est illa verissima, consentaneum fuisse, praemium et poenam cuiusque cum primo praecepto coniungi.

17. *Adversus hoc praeceptum non pugnat receptus in ecclesia imaginum usus.*

Nec vero quis existimet, omnino pingendi, fingendi, aut sculpendi artem hoc praecepto pro-

hiberi. Nam in scripturis, iussu Dei, simulacra et imagines effectas legimus, <sup>1</sup> cherubim, <sup>2</sup> serpentis aenei. Superest igitur, ut imagines ob eam rem vetitas interpretemur, ne quid simulacris, quasi diis, colendis, de vero Dei cultu detraheretur.

18. *Quibus praesertim modis per imagines divinum nomen violari possit.*

Duplici autem potissimum ratione, quod ad hoc praeceptum attinet, Dei maiestatem vehementer laedi perspicuum est: altera, si idola et imagines, tamquam Deus, colantur, aut credatur inesse aliqua in his divinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in <sup>3</sup> imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant; quod passim sacrae litterae reprehendunt.

Altera, si quis conetur divinitatis formam aliquo artificio effingere, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit. *Quis enim Deum, ut inquit Damascenus, qui sub aspectum non cadit, qui corporis expertus est, qui nullis terminis circumscribi, nec ulla figura describi queat, possit exprimere?* Quae res in altera Nicaena synodo uberius explicatur. Praclare igitur Apostolus, <sup>4</sup> eos mutasse *Dei incorruptibilis gloriam in similitudinem corruptibilis hominis et volucrum, quadrupedum ac serpentum* dixit. Haec enim omnia tamquam Deum venerabantur, quum illi harum rerum imagines ponerent. Quocirca Israelitae, qui ante vituli simulacrum clamabant: <sup>5</sup> *Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti*, idololatrae sunt appellati, quia <sup>6</sup> *mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum.*

19. *Quis sit posterioris istius partis praecepti sensus.*

Quum igitur Dominus deos alienos coli prohibisset, ut penitus idololatriam tolleret, imaginem divinitatis ex aere duci, aut alia quavis materia fieri prohibuit. Quod Isaias declarans inquit: <sup>7</sup> *Cui ergo similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Atque in hoc prae-

1) Exod. 25, 18.  
2) 3. Reg. 6, 23.  
24. 2. Paral.  
3, 7.  
Num. 21. 8.9.

Duplici ratione imaginibus violari potest divina maiestas.

3) Isa. 10, 10.  
11, et 40, 18, 19.  
Sap. 13, 16.  
17, 18. Ps. 113.  
8. Deut. 4, 16.  
17. Isa. 40, 18.

Dam. lib. 4.  
de orth. fide  
c. 17.

4) Rom. I, 23.

5) Exod. 32, 4.

6) Ps. 105, 20.

7) Isa. 40, 18.  
Syn. 7. act. 2.  
et 3. Vide item

concil. trid.  
sess. 25. non  
procul a prin-  
cipio.

1) Dent. 4, 15.

cepto hanc sententiam contineri, praeter sanctorum patrum scripta, qui eam, quemadmodum in septima synodo expositum est, sic interpretantur, illa etiam Deuteronomii verba satis declarant, ubi Moses, populum ab idololatria avertere quum vellet, aiebat: <sup>1</sup> *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua loquutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis.* Quod sapientissimus legislator ideo dixit, ne quo errore ducti divinitatis imaginem fingerent, Deoque debitum honorem rei creatae tribuerent.

20. *Hoc praeceptum, qui trinitatis personas effingunt, non violant.*

2) Gen. 18, 2.  
Exod. 33, 23.  
3) Matt. 3, 16.  
et 17, 5. Dan.  
7, 9.

4) Dan. 7, 9.

Nemo tamen propterea contra religionem Deique legem quidquam committi putet, quum sanctissimae trinitatis aliqua persona quibusdam signis exprimitur, <sup>2</sup> quae tam in veteri, quam in <sup>3</sup> novo testamento apparuerunt. Nemo enim tam rudis est, ut illa imagine divinitatem credat exprimi: sed illis declarari doceat pastor proprietates aliquas aut actiones, quae Deo tribuuntur: veluti quum ex <sup>4</sup> Daniele pingitur *antiquus dierum* in throno sedere, ante quem libri aperti sunt, Dei aeternitas et infinita sapientia significatur, qua omnes hominum et cogitationes et actiones, ut de iis iudicium ferat, intuetur.

21. *Angeli qua ratione pingantur.*

5) Heb. I. 14.  
Dion. lib. de  
ecl. hier. c.  
ult. Concil. ni-  
caenum II.

Angelis etiam tum humana species, tum alae affinguntur, ut intelligant fideles, quam propensi sint in humanum genus, et tamquam parati ad ministeria Domini exsequenda. <sup>5</sup> *Omnes enim administratorii spiritus sunt propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.*

6) Matt. 3, 16.  
Act. 2, 2.

22. *De columba, in qua Spiritus sanctus depingitur.* Columbae vero species, et <sup>6</sup> linguae tamquam ignis in evangelio et actis apostolorum, quas Spiritus sancti proprietates significant, multo notius est, quam ut oporteat pluribus verbis explicari.

23. *Christi et sanctorum imagines pingi et honorari debent.*

At vero quum Christus dominus, eiusque sanctissima et purissima mater, ceterique omnes sancti humana praediti natura humanam speciem

gesserint, eorum imagines pingi atque honorari, non modo hoc praecepto interdictum non fuit, sed etiam sanctum, et grati animi certissimum argumentum semper habitum est. Quod et apostolicorum temporum monumenta, et oecumenicae synodi, et tot sanctissimorum doctissimorumque patrum inter se consentientium scripta confirmant.

Imaginum usus est apostolicae traditionis.  
Conc. nicænum II, act. 7.

24. *Quis legitimus in ecclesia imaginum usus.*

Non solum autem licere in ecclesia imagines habere, et illis honorem et cultum adhibere, ostendet parochus, quum honos, qui iis exhibetur, referatur ad prototypa; verum etiam maximo fidelium bono ad hanc usque diem factum declarabit; ut ex Damasceni libro, quem de imaginibus edidit, et septima synodo, quae est secunda Nicaena, intelligitur. Verum quia sanctissimum quodque institutum hostis humani generis suis fraudibus et fallaciis depravare contendit; si quid forte populo hac in re peccatum fuerit, parochus, Tridentini concilii decretum sequutus, quoad eius fieri poterit, studebit corrigere: ac decretum quidem ipsum, quum res tulerit, populo interpretabitur; tum rudes, et qui imaginum ipsarum institutum ignorant, docebit, imagines factas ad utriusque testamenti cognoscendam historiam, atque eius memoriam identidem renovandam; qua rerum divinarum memoria excitati, ad colendum atque amandum ipsum Deum vehementius inflammemur; sanctorum quoque imagines in templis positas demonstrabit, ut et colantur, et exemplo moniti ad eorum vitam ac mores nos ipsos conformemus.

Basil. lib. de Spiritu sancto c. 18. Dam. lib. 4. de orth. fid. cap. 17. Conc. nicænum II. passim, Trid. syn. sess. 25. sub principio, cap. de invocatione sanctorum. Quis sit legitimus imaginum usus.

Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me; et faciens misericordiam in millia iis, qui diligunt me, et custodiunt praecepta mea.

25. *Non pertinet haec appendix dumtaxat ad primum praeceptum.*

Duo sunt in extrema parte huius praecepti

\*

diligenter explicanda. Primum est, quod, etsi ob summum scelus praevaricationis primi praecepti, atque hominum ad id committendum propensionem, apte hoc loco poena proponitur; communis tamen est omnium appendix praeceptorum.

Lex omnis  
aut poena,  
aut praemio  
res humanas  
moderatur,  
dist. 3. c. Om-  
nis autem.

1) Matt. 19, 17.

2) Matt. 7, 21.

3) Matt. 3, 10.

4) Matt. 5, 22.

5) Matt. 6, 15.

Omnis enim lex ad praecepta servanda homines poena et praemio inducit: hinc illae tam frequentes in sacris litteris et crebrae Dei promissiones. Ut enim innumerabilia paene testamenti veteris testimonia praetermittamus, in evangelio scriptum est: <sup>1</sup> *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; et alibi: <sup>2</sup> *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum*; tum illud: <sup>3</sup> *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur*; et: <sup>4</sup> *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*; atque alibi: <sup>5</sup> *Si non demiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

26. *An eodem modo poena praevaricatoribus hic intentata, carnalibus et perfectis inculcanda sit.*

6) Rom. 8, 14.

Perfecti quid  
in poena hic  
proposita con-  
templentur,  
Aug. lib. 10,  
confess. c. 29.

Alterum est, quod longe alia ratione perfecti, alia carnales homines hanc appendicem edocendi sunt. Perfectis enim, <sup>6</sup> qui spiritu Dei aguntur, eique prompto et alacri animo parent, instar est cuiusdam laetissimi nuntii, et magnum argumentum propensae in eos divinae voluntatis. Agnoscunt enim sui amantissimi Dei curam, qui nunc praemiis, nunc poenis ad sui cultum et venerationem homines prope compellat; agnoscunt immensam eius in se benevolentiam, qui sibi imperare, suaeque opera ad divini nominis gloriam uti velit; neque solum agnoscunt, sed magna in spe sunt, illum, quum quod vult iubeat, etiam daturum vires, quibus legi ipsius parere possint. At carnalibus, qui nondum <sup>7</sup> spiritu servitutis liberati sunt, magisque metu poenarum, quam amore virtutis abstinent a peccatis, eius appendicis sensus gravis et acerbus est: quamobrem sunt piis exhortationibus sublevandi, et, quo lex spectat, quasi manu deducendi. Parochus autem quoties alicuius explican-

7) Rom. 8, 5.

Poenam primo  
praecepto sub-  
iecta post sin-  
gula praecep-  
ta est refri-  
canda.



di praecepti occasio inciderit, eadem haec sibi habeat proposita.

27. *Quid verba illa: Ego sum Deus fortis, meditando proponant.*

Carnalibus perinde tamen ac spiritualibus, duo in primis quasi aculei sunt admovendi, qui ad legem observandam hac ipsa in appendice positi, homines maxime incitent. Nam quod Deus fortis dicitur, ideo diligentius est explicandum, quod caro saepe, quae terroribus divinae comminationis minus commovetur, varias sibi ipsa rationes fingit, quibus iram Dei effugere, ac propositam poenam vitare possit: cui autem certo persuasum est, Deum fortem esse, illud magni Davidis usurpat: <sup>1</sup> *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam?* Eadem quoque, divinis interdum diffusa promissis, tantas hostium vires esse credit, ut ad sustinendum minime parem sese esse existimet: at firma et stabilis fides <sup>2</sup> nihil titubans, quum divina vi ac virtute nitatur, homines contra recreat ac confirmat. Ait enim: <sup>3</sup> *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo?*

28. *Quid sibi velit, quod Deus se etiam dicat seletem.*

Alter vero aculeus zelus ipse divinus est. Nonnumquam enim homines putant, <sup>4</sup> Deum humana non curare, ne illud quidem, legem ipsius servemus, an negligamus; ex quo sequitur magna vitae confusio: quum autem Deum zelotem credimus, eius rei meditatio facile nos in officio continet.

29. *Cuiusmodi zelus Deo sit attribuendus.*

Zelus vero, qui Deo tribuitur, nullam animi significat perturbationem, sed divinum illum amorem et charitatem, qua Deus nullam a se animam patitur impune fornicari; <sup>5</sup> quotquot autem ab eo fornicantur, perdit. Est itaque zelus Dei tranquillissima eius sincerissimaque iustitia, qua anima, falsis opinionibus pravisque cupiditatibus corrupta, repudiatur, et a Dei coniugio tamquam adultera removetur. At vero zelum hunc Dei suavissimum experimur, quum summa

Duobus aculeis excitat Deus homines ad legis observationem.

Primo, cum auditor, quod legislator sit Deus fortis, carnalis praesumptio frangitur.

<sup>1</sup>) Ps. 138. 7.  
Carnalis timor retunditur.

<sup>2</sup>) Iacob. I. 6.

<sup>3</sup>) Ps. 26, 1.

Secundum, ad legis observationem incitamentum est zelus divinus.

<sup>4</sup>) Iob 22, 13. 14.

Zelus quid sit, vide D. Thom. in l. 2. q. 28. art. 4.

<sup>5</sup>) Ps. 72, 27.  
Dion. in lib. de div. nomin. c. 4. Ambr. in ps. 128.

eius atque incredibilis in nos voluntas zelo ipso demonstratur. Nec enim aut amor ardentior inter homines, aut maior arctiorque coniunctio, quam eorum, qui coniugio copulati sunt, reperitur. Igitur quam nos valde diligit, ostendit Deus, quum crebro se vel sponso vel marito comparans, zelotem vocat. Quamobrem doceat parochus hoc loco, sic divini cultus atque honoris cupidos homines esse debere, ut zelantes potius, quam amantes iure dici possint, illius exemplo qui de se ipso, <sup>1</sup> *Zelo*, inquit, *zelatus sum pro domino Deo exercituum*; immo vero Christum ipsum imitentur, cuius illud est: <sup>2</sup> *Zelus domus tuae comedit me*.

Quanto zelo divini honoris studiosi homines esse debeant.

1) 3. Reg. 19, 14.

2) Ps. 68, 10.

30. *Quae sit comminationis hic intentatae sententia.*

Est autem comminationis explicanda sententia, non inultos peccatores passurum Deum, sed eos vel tamquam parentem castigaturum, vel tamquam iudicem acriter ac severe in eos animadversurum. Quod alio in loco significans Moses, <sup>3</sup> *Et scies*, inquit, *quia dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, et his, qui custodiunt praecepta eius in mille generationes; et reddens odientibus se statim*. Et Iosue: <sup>4</sup> *Non poteritis*, inquit, *servire Domino: Deus enim sanctus et fortis aemulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis. Si dimiseritis Dominum, et servieritis diis alienis, convertet se, et affliget vos atque subvertet*.

3) Deut. 7, 9.

4) Iosue 24, 19, 20.

31. *Quo modo Deus visitet peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem.*

Docendus autem populus est, comminationis poenam ad tertiam quartamque impiorum et facinorosorum generationem pertinere, non quod posteriores maiorum scelerum poenas semper luant, sed licet illi liberique eorum impune tulerint, non omnis tamen eorum posteritas iram Dei vel poenam vitabit. <sup>5</sup> Quod Iosiae regi accidit: huic enim propter singularem pietatem quum pepercisset Deus, dedissetque, ut in pace in sepulcrum maiorum suorum inferretur, ne videret consequentium temporum mala, quae,

5) 4. Reg. 22, 19, 20.

<sup>1</sup> propter Manassis avi impietatem, Iudae et Hierusalem erant eventura; eo mortuo, posteros eius est ultio Dei consequuta sic, <sup>2</sup> ut ne filii quidem Iosiae pepercerit.

1) 4. Reg. 21.  
11. Jerem. 15.  
4.  
2) 4. Reg. 23.  
26. ad 30.

32. Quo modo haec verba cum verbis Ezechielis conveniant.

Qua autem ratione haec legis verba sententiae illi, quae est apud Prophetam, non adversentur: <sup>3</sup> *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur*, sancti Gregorii auctoritas, cum reliquis omnibus antiquis patribus consentiens, aperte ostendit. Ait enim: *Quisquis pravi parentis iniquitatem imitatur, etiam ex eius delicto constringitur; quisquis autem parentis iniquitatem non imitatur, nequaquam illius delicto gravatur. Unde fit, ut iniquus filius iniqui patris non solum sua, quae addidit, sed etiam patris peccata persolvat: quum vitiis patris, quibus iratum Dominum non ignorat, etiam suam adhuc malitiam adiungere non formidat: et iustum est, ut qui sub districto iudice vias parentis iniqui non timet imitari, cogatur in vita praesenti etiam culpas parentis iniqui persolvere.* Commemorabit deinde parochus, quantum <sup>4</sup> Dei iustitiam superet eiusdem bonitas ac misericordia: <sup>5</sup> *Irascitur tertiae quartaeque generationi Deus; misericordiam vero in millia impertit.*

Obiectionis solutio.

3) Ezech. 18. 4.  
Greg. lib.  
25. moral. c.  
31. vide Item  
D. Thom. in  
1. 2. q. 87.  
art. 8. et 2. 2.  
q. 108. art. 4.

Dei misericordia longe eiusdem iustitiam superat.  
4) Iacob. 2. 13.  
5) Exod. 20.  
5. 6.

33. Quo modo divinarum legum praevaricatores Deum odisse censeantur.

In eo autem, quod dictum est: *Eorum, qui oderunt me*; peccati magnitudo ostenditur. Quid enim flagitiosius ac detestabilius, quam summam ipsam bonitatem, summam veritatem odisse? Hoc vero ad omnes peccatores idcirco pertinet, quod quemadmodum, <sup>6</sup> qui habet mandata Dei, et servat ea, Deum diligit; ita, qui legem Domini contemnit, et mandata eius non servat, Deum odisse merito dicendus est.

Odium Dei omnium est peccatorum maximum. D. Thom. in 1. 2. q. 73. art. 4. et in 2. 2. q. 34. art. 1.  
6) Ioan. 14. 21.

34. Quid sit illud: *Faciens misericordiam iis, qui diligunt me.*

Quod vero extremum est: *Et iis, qui diligunt me*, servandae legis modum ac rationem docet. Necessae enim, eos, qui legem Dei servant,

Amore et charitate lex perficienda.  
Videatur 37-

modus trid. de  
iustific. sess.  
6. cap. 18.

eadem charitate atque amore, quo in Deum sunt, ad eius obedientiam adduci; quae deinceps in singulis praeceptis commemorabuntur.

## DE SECUNDO PRAECEPTO

### CAPUT III.

#### Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

##### 1. Cur Deus hanc legem de suo ipsius nomine honorando ferre voluerit.

De hoc prae-  
cepto vid. D.  
Thom. in 2. 2.  
q. 100. art. 5.  
et 2. 2. q. 122.  
art. 3. vide in-  
tem Magist. in  
3. dist. 39.

1) Malach. 1. 6.

Quamquam primo divinae legis praecepto, quo Deum pie sancteque colere iubemur, hoc, quod secundo loco sequitur, necessario continetur (nam qui sibi honorem tribui vult, idem postulat, se ut summo verborum honore prosequamur, prohibetque contraria; quod et illa Domini apud Malachiam verba aperte indicant: *1 Filius honorat patrem, et servus dominum suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus?*); Deus tamen pro rei magnitudine hanc de suo ipsius divino et sanctitatis plenissimo nomine honorando, legem separatim ferre, idque nobis disertis et perspicuis verbis praescribere voluit.

##### 2. Quantum niti parochi debeant in huius praecepti explicatione.

2) Ps. 88. 8.  
Isa. 6.

Quod sane parochi ipsi argumento in primis esse debet, nequaquam satis fore, si hac de re generatim loquatur, sed eiusmodi locum hunc esse, in quo ipse diutius commorari, et quaecumque ad hanc tractationem pertinent, distincte, dilucide accurateque apud fideles explicare necesse sit. Neque vero nimia diligentia censenda est, quum non desint, qui adeo errorum tenebris obcaecati sint, ut <sup>2</sup> quem angeli glorificant, ei maledicere non vereantur: neque enim lege semel lata deterrentur, quominus Dei maiestatem quotidie imminuere, immo singulis paene horis ac momentis impudentissime audeant. Quis enim non videat, omnia iureiurando affirmari? omnia im-

precationibus et execrationibus referta esse, usque adeo, ut nemo fere vel vendat aliquid, vel emat, vel negotium aliquod gerat, qui non iurisiurandi religionem interponat, Deique sanctissimum nomen millies, vel in re levissima et inani, temere non usurpet? Quo maior parochi cura et diligentia adhibenda est, ut saepe fideles admoneat, quam grave hoc scelus sit et detestabile.

3. *Quid secundum istud praeceptum imperet vel prohibeat.*

Iam vero in huius praecepti explicatione id primum constet, cum eo, quod lex fieri prohibet, earum etiam rerum praeceptionem coniunctam esse, quas praestare homines debent. Utrumque autem separatim docendum est: primum quidem, ut ea, quae tradenda sunt, facilius exponantur, quid iubeat lex; mox etiam, quid vetet. Nam quae imperat, illa sunt, nomen Dei esse honorandum, ac per illud sancte iurandum: haec rursus, quae prohibet: nemo divinum nomen contemnat, nemo illud in vanum assumat, neve per ipsum aut falso, aut frustra, aut temere iuret.

4. *Quid Dei nomine hic intelligatur.*

In ea itaque parte, qua iubemur divino nomini honorem tribuere, parochus fidelibus praecipiat, Dei nomen, ipsius inquam litteras et syllabas, aut omnino per se nudum verbum tantummodo attendendum non esse; sed in eam cogitationem veniendum, quid valeat illa vox, quae omnipotentem et sempiternam maiestatem unius et trini Numinis significat. Ex his autem facile colligitur, inanem esse nonnullorum Iudaeorum superstitionem, qui, quod scriberent Dei nomen, pronuntiare non auderent; quasi in quatuor illis litteris, non in re, divina vis esset. Sed quamvis singulari numero prolatum sit: *Non assumes nomen Dei*, id non de uno aliquo nomine, sed de omnibus, quae Deo tribui solent, intelligendum est. Multa enim Deo imposita sunt nomina, ut *domini*, <sup>1</sup> *omnipotentis*, <sup>2</sup> *domini exercituum*, <sup>3</sup> *regis regum*, *fortis*, et alia id genus, quae in scripturis leguntur; quae parem

Sub praecepto negativo opposita affirmatio includitur, quia negatio praesupponit affirmationem.

Arist. lib. 2. de caelo text. 18.

Nomen tetragrammaton, *αυεκφωνη- του* vocari scrib. Hieron. ep. 136. iudaeosque in hac parte multi christiani sequuntur: vide Geneb. lib. 1. chronol.

1) Exod. 15, 3.

2) Isa. 6, 3.

3) Apoc. 19, 16.

eandemque venerationem habent omnia. Deinde docendum est, quo modo divino nomini debitus honor adhibeatur: neque enim christiano populo, cuius ore Dei laudes assidue celebrandae sunt, rem utilissimam et pernecessariam ad salutem ignorare fas est.

De his Dei  
omnibus vi-  
de Hieron. ep.  
136. de nomi-  
ne vero Dei  
proprie Th.  
10 l. part. q.  
13. art. 11.

5. *Qua ratione divinum nomen venerari aut honorare censeamur.*

Quamvis autem multiplex sit ratio laudandi divini nominis, tamen in iis, de quibus deinceps hic dicetur, vis et pondus omnium videtur esse.

Divinum no-  
men laudatur  
per ipsius coo-  
fessionem.  
Matt. 10, 32.

Primum igitur laudatur Deus, quum in omnium conspectu Deum ac dominum nostrum fidenter confitemur, Christumque salutis nostrae auctorem quemadmodum agnoscimus, ita etiam praedicamus. Itemque quum verbo Dei, quo eius voluntas enuntiatur, sancte et diligenter operamur, in eius meditatione assidue versamur, studiosè illud addiscimus, aut legendo, aut audiendo, proinde ut cuiusque personae et muneri aptum et consentaneum est.

Et cum eius  
sermone re-  
verenter tra-  
ctamus. 2. Cor.  
2, 17.

Et cum ei  
de omnibus  
gratias agi-  
mus.

Deinde divinum nomen veneramur et colimus, quum officii et religionis causa divinas laudes celebramus, ac de omnibus rebus tum prosperis, tum adversis illi singulares gratias agimus. Ait enim Propheta: <sup>1</sup> *Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones eius*: exstantque plurimi <sup>2</sup> David psalmi, quibus egregia quadam erga Deum pietate divinas illius laudes suavissime decantat. Exstat admirabile illud patientiae exemplum <sup>3</sup> Iob; qui quum in maximas illas horribilesque calamitates incidisset, Deum tamen excelso et invicto animo laudare numquam intermisit. Nos itaque quum animi corporisque doloribus cruciamur, quum miseriis et aerumnis torquemur, statim ad Deum laudandum omne studium et animi nostri vires convertamus, illud Iob dicentes: <sup>4</sup> *Sit nomen Domini benedictum.*

1) Ps. 102, 1.

2) Ps. 9, 30.  
34. 65. et plu-  
rimi alii.

3) Iob I, 21.  
et c. 2. 10.

4) Iob I, 21.

6. *Quo modo huic item praecepto alias pareamus.*

Item dom  
fideliter invo-  
catur.

Neque vero minus Dei nomen honoratur, si fidenter opem eius imploramus, quo scilicet aut nos ab illis liberet, aut ad eadem fortiter perferenda constantiam et robur largiatur. Hoc enim

feri vult Dominus: <sup>1</sup> *Invoca, inquit, me in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me;* cuius implorationis quum multis aliis in locis, tum praecipue in psalmis 16, 43 et 118, illustrata reperiuntur exempla.

Praeterea Dei nomen honore prosequimur, quum fidei faciendae causa testamur Deum: qui modus a superioribus valde differt. Nam quae supra memoravimus, ita suapte natura bona sunt atque expetenda, ut nihil beatius, nihil homini optabilius possit esse, quam si in illis sedulo exsequendis se ipsum dies noctesque exercent: <sup>2</sup> *Benedicam, inquit David, Dominum in omni tempore; semper laus eius in ore meo.* At iusiurandum licet bonum sit, eius tamen frequens usus minime est laudabilis.

7. *Quare iurisiurandi frequentior usus non sit probandus.*

Huius autem discriminis ratio in eo posita est, quod iusiurandum ea tantum de causa institutum est, ut esset tamquam remedium quoddam humanae imbecillitatis, et ad probandum, quod dicimus, necessarium instrumentum; <sup>3</sup> ut enim corpori medicamenta adhibere non expedit, nisi necesse sit, eorundem vero frequentatio perniciosa omnino est; ita etiam nisi quum gravis et iusta causa subest, iureiurando uti non est salutare: quod si saepius adhibeatur, tantum abest ut prosit, ut magnum detrimentum afferat. Quamobrem praeclare docet sanctus Chrysostomus, non nascente, sed iam adulto mundo, *quum mala longe lateque propagata universum terrarum orbem occupassent, nihilque suo loco et ordine consisteret, sed perturbata et permista omnia sursum, deorsum, magna rerum confusione, ferrentur: et, quod malorum omnium gravissimum est, mortales fere omnes in foedam idolorum servitutem seipsos abiecissent: tum denique longo sane intervallo iusiurandum in hominum consuetudinem irrepsisse: nam quum in tanta hominum perfidia et iniquitate nemo facile ad credendum adduceretur, Deum testem invocabant.*

Per iusiurandum Dei nomen laudatur.

2) Ps. 33, 1.

Cui fini iusiurandum serviat, quisque eius sit legitimus usus.

3) August. in serm. Dom. in monte, l. 1. c. 3. et habetur 22. q. 4. c. Ita ergo.

Chrys. hom. 26. ad popul. antioch.

8. *In quo consistat iuramenti ratio, quidque proprie sit iurare.*

Iurare quid valeat apud scripturas.

Aug. ser. 28. de verb. apostol. Thom. 2. 2. quaest. 89. art. 1. Pondera illud cantic. 2. et 3. Adiuro vos filiae Hierusalem per capreas, etc. Cum per rem creatam iuratur, Deus, qui vim rebus addidit, non excluditur. Alex. de Ales. 3. p. 7. 63. mem. 2.

1) I. Cor. 3. 16.

De hac forma iurandi.

Thom. 2. 2. q. 89. a. 1. ad 3. argum. 2) 2. Cor. I. 23.

3) Gal. I. 20. Duo sunt iuramentorum genera.

Thom. ibid. et Dom. tit. de iureiurando.

Verum quum in hac praecepti parte praecipua sit illa ratio docendi fideles, quo modo iusiurandum pie sancteque adhibere debeant; primum dicendum est, *iurare* nihil aliud esse, nisi Deum testari, quacumque id verborum forma et conceptione fiat: nam, et *testis est mihi Deus*, et *per Deum*, idem sunt. Est etiam illud iusiurandum, quum ad faciendam fidem per res creatas iuramus, ut *per sacra Dei evangelia*, *per crucem*, *per sanctorum reliquias et nomen*, et cetera id genus. Neque enim haec ipsa per se iureiurando auctoritatem aut robur aliquod afferunt; sed Deus ipse hoc praestat, cuius divinae maiestatis splendor illis in rebus elucescit. Ex quo sequitur, ut per evangelium iurantes per Deum ipsum iurent, cuius veritas evangelio continetur et declaratur; similiter et per sanctos, <sup>1</sup> qui templa Dei sunt, quique evangelicae veritati crediderunt, eamque omni observantia coluerunt, et per gentes et nationes latissime disseminarunt.

9. *De ea iurandi forma, quae per execrationem fit.*

Eadem ratio est illius iurandi, quod per execrationem profertur; quale est illud sancti Pauli: <sup>2</sup> *Ego testem Deum invoco in animam meam*. Etenim hoc pacto aliquis Dei iudicio tamquam mendacii ultori subiicitur. Neque propterea negamus, nonnullas ex hisce formulis ita accipi posse, quasi iurandi vim non habeant; sed tamen utile est, quae de iureiurando dicta sunt, in his etiam servare, atque ad eandem prorsus normam et regulam dirigere.

10. *Quotuplex sit iuramentum.*

Duo autem sunt iurandi genera. Primum quidem, quod assertorium appellatur, nimirum quum aliquid de re praesenti aut praeterita religiose affirmamus, ut Apostolus in epistola ad Galatas: <sup>3</sup> *Ecce coram Deo, quia non mentior*. Alterum vero promissorium dicitur, ad quod etiam comminationes referuntur, futurum tempus spectans, quum aliquid ita fore pro certo pollicemur et



confirmamus; cuiusmodi est illud Davidis, qui Bersabae coniugi iurans per dominum Deum suum, promisit Salomonem, eius filium, regni heredem fore, atque in ipsius locum succesurum.

11. *Quot sint ad legitimum iuramentum requisita.*

Verum enim vero licet ad iusiurandum satis sit, Deum testem adhibere; tamen, ut rectum sanctumque sit, multo plura requiruntur, quae sunt diligenter explicanda. Ea vero breviter, teste divo Hieronymo, Ieremias enumerat, quum inquit: *1 Iurabis: vivit Dominus in veritate, et in iudicio, et in iustitia.* Quibus sane verbis illa breviter summamque complexus est, quibus omnis iurandi perfectio continetur, veritatem, inquam, iudicium et iustitiam.

12. *Quo modo iuramentum praestetur in veritate.*

Primum itaque in iureiurando locum veritas habet, nimirum ut, quod asseritur, et ipsum verum sit, et, qui iurat, id ita esse arbitretur, non quidem temere aut levi coniectura adductus, sed certissimis argumentis. Alterum vero iurandi genus, quo aliquid promittimus, eodem plane modo veritatem requirit. Nam qui aliquid pollicetur, ita animatus esse debet, ut, quum tempus advenerit, id re ipsa praestet, et promissum exsolvat. Neque enim vir probus id unquam se facturum recipiet, quod sanctissimis Dei praeceptis et voluntati adversari putet, sed quidquid promittere et iurare licuerit, id semel promissum numquam mutabit; nisi fortasse, commutata rerum conditione, tale esse inceperit, ut iam, si fidem servare, et promissis stare velit, Dei odium et offensionem subiret. Veritatem autem iureiurando necessariam esse, David quoque indicat illis verbis: *2 Qui iurat proximo suo, et non decipit.*

1) Ierem. 4. 2, D. Hieron. in eundem locum, ut habetur 22. q. 2. animadvertendum, et in 3. la. 39. Vide item c. Etsi Christus de iureiurando, et Thom. in 2. 2. q. 89. art. 3. August. serm. 28. de verb. apost.

Vide 22. q. 3. ubi multa habes sanctorum dicta de iureiurando non servando male praestito, 2) Ps. 14. 4.

13. *Quis dicatur iurare in iudicio, quamque ob causam pueris iuramentum non sit deferendum.*

Sequitur secundo loco iudicium. Neque enim lusiurandum temere et inconsiderate, sed consulto et cogitato adhiberi debet. Itaque iuraturus, primum quidem consideret, utrum necessitate cog-

tur, necne; remque totam accurate expendat, an eiusmodi sit, ut iureiurando indigere videatur. Tempus praeterea spectet, locum attendat, aliaque permulta, quae rebus adiuncta sunt, circumspiciat; non odio, non amore, aut animi perturbatione aliqua impellatur, sed ipsius rei vi et necessitate. Etenim, nisi haec consideratio et diligens animadversio antecesserit, sane iusiurandum praeceptum et temerarium erit; cuiusmodi est illorum irreligiosa affirmatio, qui in re levissima et inani, nulla ratione aut consilio, sed prava quadam consuetudine iurant: id vero passim quotidie a venditoribus et emptoribus fieri videmus. Nam illi, ut quam plurimo vendant, hi rursus, ut quam minimo emant, res venales vel laudare, vel vituperare iureiurando non dubitant. Quum itaque iudicio et prudentia opus sit, pueri vero ita acute perspicere ac distinguere nondum per aetatem possint; idcirco constitutum est \* a sancto Cornelio Pontifice, ne a pueris ante pubertatem, hoc est ante decimum quartum annum, iusiurandum exigatur.

Adversus  
hanc condi-  
tionem pecca-  
vit Iephthe.

\* Can. 22. q.  
5. cap. Hone-  
stum.

14. Quo pacto in iustitia iuretur.

Reliqua est iustitia, quae maxime in promissis requiritur. Quare si quis iniustum aliquid vel inhonestum promittit, et iurando peccat, et promissis faciendis scelus scelere cumulat. Exstat huius rei in evangelio exemplum Herodis regis, <sup>1</sup> qui temerario iureiurando obstrictus, puellae saltatrici caput Ioannis Baptistae, tamquam saltationis praemium, dedit. Tale etiam fuit Iudaeorum iusiurandum, qui seipsos, ut est in actis apostolorum, ea conditione devoverunt, nihil gustaturos, donec Paulum occidissent.

1) Matt. 6, 23.

Act. 23, 12.

Iurare licitum esse tradunt patres in conc. tolet. VIII. cap. 2. ut hab. 23. q. 1. c. 1. Aug. super ep. ad Galat. c. 1. et in ep. 154. et multis aliis, quae habentur ead. q. Item ex cap. Etsi Christus, de iureiurand.

2) Ps. 18, 3.

3) Rom. 7, 12.

15. Quibus praecipue rationibus intelligatur iusiurandum esse aliquando licitum.

His ita explicatis, nulla plane dubitatio relinquitur, quin illi tuto iurare liceat, qui haec omnia servaverit, quique hisce conditionibus, tamquam praesidiis quibusdam, iusiurandum munierit. Sed et multis argumentis id probare facile est: nam lex Domini, quae <sup>2</sup> immaculata est et <sup>3</sup> sancta, hoc praecipit. *Dominum*, inquit,

*Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius iurabis;* et a Davide scriptum est: Deuter. 6, 13.

<sup>1</sup> *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo.* Praeterea <sup>2</sup> sacrae litterae indicant, ipsa ecclesiae lumina, sanctissimos apostolos iureiurando aliquando usos esse; idque ex Apostoli epistolis apparet. Adde, quod et angeli ipsi interdum iurant: nam a sancto Ioanne evangelista in Apocalypsi scriptum est, <sup>3</sup> angelum iurasse per viventem in saecula. Quin etiam et <sup>4</sup> Deus ipse iurat angelorum dominus; et in veteri testamento multis in locis Deus promissiones suas iureiurando confirmat, ut <sup>5</sup> Abrahae et David, qui illud de Dei iureiurando prodidit: <sup>6</sup> *Iuravit, inquit, Dominus, et non poenitebit eum; tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.*

16. *Iusiurandum rite praestitum, esse in laude rependum probatur.*

Neque vero obscura est ratio ad explicandum, cur iusiurandum laudabile sit, si quis attentius totam rem consideret, et ipsius ortum finemque intueatur. Etenim iusiurandum a fide originem ducit, qua homines credunt Deum totius veritatis esse auctorem, qui nec decipi unquam possit, nec alios decipere; cuius <sup>7</sup> *oculis nuda sunt omnia et aperta;* qui <sup>8</sup> denique universis rebus humanis admirabili providentia consulit, mundumque administrat. Hac igitur fide homines imbuti, Deum veritatis testem adhibent; cui fidem non habere, impium ac nefarium erit.

17. *Iurisiurandi finis est controversiarum et litium finis.*

Quod vero ad finem attinet, eo tendit iusiurandum, atque id omnino spectat, ut hominis iustitiam et innocentiam probet, finemque litibus et controversiis imponat; quod etiam <sup>9</sup> Apostolus in epistola ad Hebraeos docet.

18. *Quo modo Christus iuramentum prohibuerit.*

Neque huic sententiae verba illa Salvatoris nostri apud sanctum Matthaeum repugnant: <sup>10</sup> *Audistis, quia dictum est antiquis: Non periurabis; reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque*

1) Ps. 62, 12.

2) Apostoli iurant. Rom. I, 9. et I. Cor. 15, 31. 2. Cor. I, 23.

3) Apoc. 10, 6. Deus ipse iurat.

4) Gen. 22, 16.

5) Ps. 109, 4.

6) Ps. 109, 4.

D. Thom. in I. 2. q. 89. art. I. et 4. Iurisiurandi usurpandi origo.

7) Hebr. 4, 13.

8) Sap. 8, 1.

Thom. in 2. q. 98. art. I.

9) Hebr. 6, 16.

Obiectionis tacitae solutio.

10) Matt. 5, 33. 34. 35. 36. 37.

*per caelum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum eius; neque per Hierosolymam, quia civitas est magni regis; neque per caput tuum iuraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est; non, non; quod autem his abundantius est, a malo est.* His enim verbis iusiurandum generatim univarseque damnari non est dicendum, quum iam supra viderimus, Dominum ipsum apostolosque frequenter iurasse; sed perversum Iudaeorum iudicium redarguere Dominus voluit, quo sibi in animum induxerant, nihil in iureiurando cavendum esse praeter mendacium; itaque de rebus levissimis et nullius momenti ipsi iurabant saepissime, et ab aliis iusiurandum exigebant. Hunc morem Salvator reprehendit atque improbat, docetque, omnino a iureiurando abstinendum esse, nisi id flagitet necessitas.

Falsa iudaeorum de iureiurando opinio.

Quomodo iuramentum permittat Christus.

19. *Quo modo Christus dixerit, illud, quod ad simplicem veritatis assertionem accedit, esse a malo.*

Quomodo iuramentum sit a malo, Aug. Ita interpretatur, lib. I. serm. Dom. c. 30. et habetur 22. q. 1. cap. Ita ergo. 1) Matt. 5, 37.

Nam propter humanam imbecillitatem iusiurandum institutum est, et revera a malo provenit, quandoquidem aut iurantis inconstantiam indicat, aut illius, cuius causa iuramus, contumaciam, qui, ut credat, aliter adduci non potest. Sed tamen iurandi necessitas excusationem habet. Et quidem, dum inquit Salvator: <sup>1</sup> *Sit sermo vester, est, est; non, non;* haec loquendi formula satis declarat, se iurandi consuetudinem in colloquiis familiarium et levium rerum prohibere. Quamobrem illud praecipue a Domino admone-mur, ne faciles nimium et propensi ad iurandum simus; idque sedulo docendum erit, et fidelium auribus inculcandum. Infinita enim fere mala ex nimia iurandi consuetudine emanare, et sacram litterarum auctoritate, et sanctissimorum patrum testimoniis comprobatur. In Ecclesiastico scriptum est: <sup>2</sup> *Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa;* item: <sup>3</sup> *Vir multum iurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga.* Plura hac de re legi possunt apud sanctos Basilium et Augustinum in libris

Quanta mala iurandi consuetudo se-cum trahat.

2) Eccl. 23, 9. et 27, 15.

3) Eccl. 23, 12. S. Basil. in

contra mendacium. Et hactenus de iussis, nunc de vetitis dicatur.

20. *Cur iuramentum falsum et temerarium sit tam grande peccatum.*

Vetatur divinum nomen in vanum assumere; apparet enim, eum gravi peccato se obstringere, qui non consilio, sed temeritate ad iurandum fertur. Gravissimum autem delictum hoc esse; illa etiam verba declarant: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*; quasi rationem afferret, cur hoc facinus scelestum adeo ac nefarium sit; nimirum propterea quod eius maiestas minuitur, quem nos Deum et dominum nostrum esse profitemur. Hoc igitur praecepto prohibetur, ne homines falsum iurent; nam qui a tanto scelere non refugit, ut Deum falso testetur, hic insignem Deo iniuriam facit, quippe qui aut illi inscitiae notam inurit, dum ipsum alicuius rei veritatem latere arbitratur, aut certe improbitatis et pravi affectus, qui mendacium testimonio velit confirmare.

21. *Quo modo peierent illi, qui iurant esse verum, quod verum est.*

Iurat autem falso non is solum, qui, quod falsum scit, verum esse iurando affirmat; sed ille etiam, qui iureiurando id asserit, quod quum verum sit, tamen ipse falsum putat. Nam quum mendacium ea re mendacium sit, quod contra mentem et animi sententiam profertur; perspicuum est, hunc plane mentiri et periurum esse.

22. *Iurans falsum, quod verum esse putat, quo modo peccet.*

Simili quoque ratione peierat, qui id iurat, quod verum existimat, et tamen re vera falsum est; nisi, quantum potuit, curam et diligentiam adhibuerit, ut totam rem compertam atque exploratam haberet. Quamvis enim ipsius oratio menti consentiat, tamen huius praecepti reus est.

23. *Qui non servat, quod iuravit aut vovit se facturum, qualiter peccet.*

Eiusdem vero peccati reus censendus est, qui se aliquid iureiurando facturum promittit, quum tamen aut promissum implere in animo non fue-

illud ps. 54.  
Qui iurat proximo suo; vide de cap. Primum est 22. q. 2. ex lib. de mend. cap. 14.

Peccant graviter adversus hoc praeceptum primum illi, qui falso iurant. Vide Th. in 2. 2. q. 98. art. 2.

Aug. de verb. apost. serm. 28. et hab. 22. q. 2. c. Homines. Quid sit mendacium. Aug. in lib. cont. mend. c. 4. et Thom. in 2. 2. q. 110. art. 1.

Thom. in 2. 2. q. 89. art. 7.

\* Vota sa-  
 uete ser-  
 uanda  
 traditur Lev.  
 37. per tot. et  
 n. 6. per tot.  
 et Deut. 23,  
 22. 22. et seq.  
 Iud. 11, 3. Ps.  
 75, 12. Eccl.  
 5. et multis  
 in aliis scri-  
 pturae locis.  
 Iusiurandum  
 de re mala  
 prohibitum,  
 22. q. 4. in  
 malis, et c.  
 Quisacramen-  
 to, et c. Non  
 semper, et c.  
 Necesses est.

Peccat, qui  
 iurat se non  
 obtemperatu-  
 ram consilii  
 evangelicis,  
 Thom. in 2. 2.  
 89. art. 7. ad 2.

Quarto hic  
 peccant levi-  
 ter verum iu-  
 rantes.

1) Exod. 23, 13.  
 Aug. ep. 154.  
 et innuit Th.  
 in 2. 2. q. 13.  
 art. 1.

2) Levit. 19, 12.

3) Iud. 3, 20.  
 Sexto sacras

rit, aut, si fuit, quod promisit, re ipsa non prae-  
 stat. Quod etiam ad eos pertinet, \* qui quum se  
 voti sponsione Deo obligarunt, non praestant.

24. *Peccatum mortiferum iurans, vel contra consilium  
 evangelicum, ut peccet.*

Praeterea in hoc praeceptum peccatur, si  
 desit iustitia, quae ex tribus iurisiurandi comiti-  
 bus una est. Itaque si quis iuret, se peccatum ali-  
 quod mortiferum commissurum, exempli causa  
 caedem hominis, huius praecepti reus est, licet  
 ille serio atque ex animo dicat, et iusiurandum  
 veritatem habeat, quam primo loco requiri de-  
 claravimus. His adiungi debent illa iurandi ge-  
 nera, quae a contemptu quodam proficiscuntur,  
 quum quis iurat se non obtemperaturum evan-  
 gelicis consiliis: cuiusmodi sunt, quae ad caeli-  
 batum et paupertatem hortantur. Quamvis enim  
 nemo ea necessario sequi debeat; si quis tamen  
 iuret, nolle se illis parere consiliis, is eo iure-  
 iurando divina consilia contemnit et violat.

25. *Levibus coniecturis adductus iurans peccat.*

Praeterea hanc legem is violat, et iudicio  
 peccat, qui, quod verum est, iurat, idque ita se  
 habere existimat, levibus quibusdam coniecturis  
 adductus, et longe petitis. Nam etsi huiusmodi  
 iusiurandum veritas comitatur, subest tamen  
 aliquo modo falsum: nam qui sic negligenter  
 iurat, in magno peierandi periculo versatur.

26. *Qui per falsos deos iurat, graviter peccat.*

Falso praeterea iurat, qui<sup>1</sup> per falsos deos  
 iurat. Quid enim est a veritate alienius, quam  
 mendaces et fictitios deos, tamquam verum Deum,  
 testari?

27. *Dei verbum inhonorans, vel male interpretando,  
 vel ad vana convertendo, peccat.*

Verum quoniam scriptura, quum periurium  
 interdixit, inquit: <sup>2</sup> *Nec pollues nomen Dei tui;*  
 neglectio prohibetur, quae fugienda est in reli-  
 quis, quibus ex huius praecepti auctoritate honor  
 debetur: quale est verbum Dei, cuius maiesta-  
 tem non solum pii, sed interdum etiam impii  
 reverentur, <sup>3</sup> ut in Iudicum historia de Eglon  
 Moabitarum rege memoriae traditum est. Dei

autem verbum summa iniuria afficit, quicumque sacram scripturam a recta et germana eius sententia ad impiorum dogmata et haereses flectit; cuius sceleris admonet nos princeps apostolorum his verbis: <sup>1</sup> *Sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravant, sicut et ceteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Praeterea foedis et inhonestis maculis sacra scriptura contaminatur, quum eius verba et sententias, quae omni veneratione colenda sunt, ad profana quaeque nefarii homines torquent, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, assentationes, detractiones, sortes, libellos famosos, et si quae sunt alia id genus: in quod peccatum sacra Tridentina synodus animadverti iubet.

28. *Qui Deum in suis calamitatibus non invocant, ut peccent.*

Deinde, ut ii Deum honorant, qui eius opem atque auxilium in suis calamitatibus implorant; ita debitum Deo honorem ii negant, qui illius subsidium non invocant, quos redarguit David, quum inquit: <sup>2</sup> *Deum non invocaverunt; illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

29. *Gravissima omnium horum peccatorum est in Deum eiusque sanctos blasphemia.*

At vero longe magis detestabili scelere se ipsos adstringunt, qui sacrosanctum Dei nomen, ab omnibus creaturis benedicendum, et summis laudibus extollendum, aut etiam sanctorum nomen, cum Deo regnantium, impuro et contaminato ore blasphemare atque exsecrari audent. Quod quidem peccatum usque adeo atrox atque immane est, ut interdum sacrae <sup>3</sup> litterae, si de blasphemia sermo incidat, benedictionis nomine utantur.

30. *Cur huic praecepto suae quaedam minae sint subiectae.*

Quoniam vero poenae et supplicii terror peccandi licentiam vehementer coercere solet; idcirco parochus, ut hominum animos magis permoveat, atque ad hoc praeceptum servandum facilius impellat, alteram illius partem, et quasi appendicem diligenter explicabit: <sup>4</sup> *Nec enim ha-*

scripturas ad haeresim inflectentes, et quomocumque deviantes peccant.

1) 2. Pet. 3. 16. et vide item c. Haeresis, 24. q. 3. et Can. syn. trul. c. 19. et c. Exlit. de verb. sign. in 6.

Trid. syn. sess. 4. in fin.

2) Ps. 13. 5.

3) 3. Reg. 21. 13. Iob 1. 11. 2. 9.

D. Thom. in I. q. 100. art. 2. et 3.

4) Exod. 20. 7.

*bebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen domini Dei sui frustra.* Ac primum quidem doceat, summa ratione factum esse, ut huic praecepto minae adiungerentur: quo quidem et peccati gravitas, et in nos Dei benignitas agnoscitur; <sup>1</sup> qui quum hominum perditione non delectetur, ne ipsius iram et offensionem subeamus, hisce salutaribus minis nos deterret, nimirum ut illum benevolum potius, quam iratum experiamur. Urgeat hunc locum pastor, instetque summo studio, ut populus sceleris gravitatem agnoscat, et illud detestetur vehementius, et in eo evitando maiorem diligentiam et cautionem adhibeat.

1) Tob. 3, 22.  
Sap. I, 13.

Hominum  
proclivitas ad  
hoc peccatum.

Ostendat praeterea, quanta sit hominum proclivitas ad hoc peccatum committendum, ut non satis fuerit legem ferre, nisi etiam minae adderentur. Incredible enim est, quantum haec cognitio utilitatis habeat: nam, ut nihil aequae nocet atque incauta quaedam animi securitas, ita propriae imbecillitatis cognitio plurimum prodest. Tum illud etiam declaret, nullum a Deo certum supplicium constitutum fuisse, sed tantum universe minari, quicumque se hoc scelere adstrinxerit, non impune laturum: quapropter diversa supplicia, quibus quotidie affligimur, huius peccati admonere nos debent. Hinc enim facile licet coniecere, homines ea re in maximas calamitates incidere, quod huic praecepto non obtemperent; quibus sibi propositis, cautiores eos in posterum fore, verisimile est. Fideles itaque, sancto timore perterriti, omni studio peccatum hoc fugiant: nam si <sup>2</sup> omnis verbi otiosi in extremo iudicio reddenda ratio est; quid de gravissimis sceleribus dicendum, quae magnam divini nominis despicientiam praeseferunt?

2) Matt. 12, 36.



# DE TERTIO PRAECEPTO

## CAPUT IV.

**Memento, ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, iumentum tuum, et advena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus caelum, et terram, mare, et omnia, quae in eis sunt, et requievit in die septimo: idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum.**

Exod. 20.  
8. seq. Deut.  
5, 12. seq.

### 1. *Quid tertio hoc praecepto fidelibus imperetur.*

Hoc legis praecepto externus ille cultus, qui Deo a nobis debetur, recte atque ordine praescribitur. Est enim hic veluti quidam prioris praecepti fructus; quoniam quem intimis sensibus pie colimus, fide et spe adducti, quam in eo positam habemus, non possumus eum non externo cultu venerari, eidemque gratias agere. Et quoniam haec ab iis, qui humanarum rerum occupationibus detinentur, non facile praestari possunt; certum tempus statutum est, quo ea commode effici queant.

Trid. syn. sub fin. ult. sessionis decr. de ciborum delectu, et festis diebus. Vide item D. Th. in 2. 2. q. 121. art. 4. de cons. dist. 3. c. Pronuntiandum, et c. Irreligiosa, et c. Permovit, et de feriis, c. 1. 2, 3.

### 2. *Cur praecipue danda opera sit parochi, ut, quod hic praescribitur, perpetua fidelium memoria retineatur.*

Itaque quum hoc praeceptum huiusmodi sit, ut fructum utilitatemque admirabilem afferat; maximi interest parochi summam in eo explicando diligentiam adhiberi. Ad eius autem inflammandum studium magnam vim habet primum illud praecepti verbum: *memento*; nam quemadmodum fideles tale praeceptum meminisse debent, sic pastoris est in eorum memoriam illud et monendo, et docendo saepe redigere. Quan-

Festis diebus conciones sacrae sunt audiendae. Conc. carth. 4. cap. 2. et trid. sess. 24. cap. 4. de ref. et potest colligi ex act. 13, 27. 42, 44. et 15, 21. et 18, 4.

tum vero fidelium referat, hoc praeceptum colere, ex eo percipitur, quod, eo diligenter colendo, ad reliqua legis iussa servanda facilius adducuntur. Quum enim inter cetera, quae diebus festis praestare debent, necesse habeant, verbi Dei audiendi causa, ad ecclesiam convenire; quum edocti fuerint<sup>4</sup> divinas iustificationes, illud etiam consequentur, ut ex toto corde custodiant legem Domini. Quamobrem saepissime Sabbati celebritas cultusque praecipitur in sacris litteris, ut in

1) Ps. 118, 33. 34.

2) Exod. 16, 23. et 31, 13. et 35, 2.

3) Levit. 16, 31. et 19, 3, 30. et 26, 2.

4) Deut. 5, 12. 13. 14.

5) Is. 56, 2. 4.

6) Jer. 17, 21.

7) Ezech. 20, 12. 16. 20. et 22, 8. et 23, 38. et 44, 24.

Trid. syn.

sess. ult. decr.

de ref. c. Ead.

vide item 20.

Nos ad fidem,

et c. Cum ad

verum, et c.

fin. et multa

alia dist. 96.

Inde etiam factam est, ut

prii principes

legibus fidem

tutati sint, ut

patet eod. de

sun. trin. et

fid. cath. et

eod. de haeret.

Decalogi omnia praecepta sunt naturalia, excepto praecepto de sabbati observat.

Aug. ep. 119.

ad Januar. c.

12. Thom. in

2, 2. q. 122.

art. 4.

Etiam ante

legem Moysi

3. *Quo modo principes ad ecclesiae praesidibus opitulandum hortandi sint.*

Monendi vero et hortandi sunt principes et magistratus, ut in iis maxime, quae ad hunc cultum Dei retinendum atque augendum pertinent, ecclesiae praesides auctoritate sua iuvent, iubeantque populum sacerdotum praeceptis obtemperare. Quod autem ad huius praecepti explanationem attinet, danda est opera, ut fideles doceantur, quibus rebus hoc praeceptum cum ceteris conveniat, quibusve differat ab eis. Hoc enim pacto causam illi rationemque cognoscent, quare non Sabbatum, sed diem Dominicum colamus, sanctumque habeamus.

4. *Qua ratione hoc praeceptum a ceteris decalogi legibus discrepet.*

Certa igitur illa differentia videtur, quod reliqua decalogi praecepta naturalia sunt et perpetua, neque ulla ratione immutari possunt; quo factum est, ut quamvis lex Moysi abrogata sit, omnia tamen praecepta, quae duabus tabulis continentur, populus christianus servet. Quod ideo fit, non quia Moses ita iusserit, sed quod naturae conveniunt, cuius vi homines ad illa servanda impelluntur. Hoc autem de Sabbati cultu praeceptum, si statutum tempus spectatur, non fixum et constans est, sed mutabile, neque ad mores, sed ad caeremonias pertinet; neque naturale, quoniam non a natura ad id docti aut

instituti sumus, ut illo die potius, quam alio externum cultum Deo tribuamus; sed ex eo tempore, quo populus israeliticus a Pharaonis servitute est liberatus, diem Sabbati coluit.

datam praeceptum colendi sabbatum fuit.

5. *Tempore mortis Christi, legis caeremoniis sublatis, etiam Sabbatum, qua parte fuit caeremoniale, sublatum est.*

Tempus autem, quo Sabbati cultus tollendus erat, illud idem est, quo ceteri hebraici cultus caeremoniaeque antiquandae erant, morte scilicet Christi. Nam, quum illae caeremoniae sint quasi adumbratae imagines lucis et veritatis; illud utique necesse erat, ut <sup>1</sup> lucis ac <sup>2</sup> veritatis, quae Iesus Christus est, adventu removerentur. Qua de re sanctus Paulus ad Galatas ita scripsit, quum mosaici ritus cultores reprehenderet: <sup>3</sup> *Dies observatis, et menses, et tempora, et annos: timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis*; in quam etiam sententiam scripsit ad <sup>4</sup> Colossenses. Et haec de differentia.

1) Ioan. I, 5.  
2) Ioan. I, 17.  
et 14, 6.

3) Gal. 4, 10.  
11.

4) Col. 2, 16.  
17.

6. *Quo pacto tertium hoc praeceptum cum reliquis novem consentiat.*

Convenit autem hoc praeceptum cum reliquis, non ritu et caeremoniis, sed quia aliquid habet, quod ad mores naturaeque ius attineat. Nam Dei cultus ac religio, quae hoc praecepto exprimitur, a naturae iure existit, quum illud natura comparatum sit, ut aliquot horas in iis, quae ad Dei cultum pertinent, versemur; cuius rei argumento est, quod apud omnes nationes statas quasdam ferias, easque publicas fuisse cernimus, quae sacris rebus ac divinis obeundis erant consecratae. Est enim naturale homini, ut is certum quoddam tempus necessariis rerum functionibus det, veluti corporis quieti, somno et aliis huiusmodi rebus, et quemadmodum corpori, ita eadem naturae ratione factum est, ut menti etiam aliquid temporis concederet, quo in Dei contemplatione sese reficeret. Atque ita quum aliqua temporis pars esse debeat, quo res divinae colantur, cultusque Deo debitus tribuatur, hoc sane ad morum praecepta pertinet.

D. Thom. in  
2. 2. q. 122.  
art. 4.

7. *Diem Dominicum pro die Sabbati apostoli colendum ordinaverunt.*

Quam ob causam apostoli ex illis septem diebus, eum, qui primus est, ad divinum cultum consecrare statuerunt, quem et diem Dominicum dixerunt. Nam et sanctus Ioannes in <sup>1</sup> Apocalypsi Dominici diei meminit, <sup>2</sup> Apostolus per *unam Sabbati*, quae est dies Dominicus, ut sanctus Chrysostomus interpretatur, collectas fieri iubet; ut intelligamus, iam tum in ecclesia diem Dominicum sanctum habitum esse. Iam vero ut sciant fideles, quid eo die agere, a quibusve actionibus abstinere debeant; non alienum est, ut parochus totum praeceptum, quod in quatuor partes recte distribui potest, ad verbum diligenter interpretetur.

8. *Quid hoc verbo: memento, hic generatim praescribatur.*

Itaque primum generatim proponat, quid iis verbis praescribatur: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices.* Ob eam vero causam initio praecepti verbum illud: *memento*, apposite additum est, quod huius diei cultus ad caeremonias pertineat. Qua de re populus admonendus esse videbatur, quum naturae lex, etsi aliquo tempore Deum religionis ritu colendum esse doceat, hoc tamen, quo potissimum die fieri deberet, non praescripsit.

Praeterea fideles docendi sunt, ex iis verbis modum et rationem colligi posse, qua in tota hebdomada opus facere conveniat, ita scilicet, ut diem festum semper spectemus: quo die, quum actionum et operum nostrorum Deo quasi reddenda ratio sit; eiusmodi opera efficiamus necesse est, quae neque Dei iudicio repudientur, neque nobis, ut scriptum est, <sup>3</sup> *in singulum sint, et in scrupulum cordis.*

Postremo id docemur, quod certe animadvertere debemus, non defuturas scilicet occasiones, quamobrem nos huius praecepti capiat oblivio, vel aliorum, qui illud negligunt, exemplo adductos, vel spectaculorum ludorumque studio,

1) Apoc. 1, 10.

2) 1. Cor. 16, 2.

Actor. 20, 7.

Chrysost. hom.

13. in 11. Cor.

c. Apoc. csu.

67. Igu. ep.

ad Magnes.

Iust. apol. c.

16. et de cor.

mil. c. 3. et

de idolol. c.

14. Cypr. ep.

33. et 59. Clem.

Alex. lib. 2.

Strom. Orig.

hom. 7. in Ex-

od. et alii.

Thom. in 1, 2.

q. 109. art. 7.

ad 5.

Omnes dies  
piis operibus  
sunt transigen-  
di.

3) 1. Reg. 25,  
31.

Nulla occa-  
sione a sabbati  
sanctificatione  
abstinendum  
est.

quibus plerumque ab huius diei sancto religio-  
soque cultu abducimur. Sed iam ad id venia-  
mus, quod Sabbati significatione demonstratur.

9. *Quid Sabbatum et sabbatizare in sacris litteris  
denotet.*

Sabbatum, hebraicum nomen, si latine inter-  
pretaris, cessatio dicitur. Sabbatizare propterea  
cessare et requiescere latino vocabulo appella-  
tur. Qua significatione factum est, ut Sabbati  
nomine dies septimus diceretur, <sup>1</sup> quoniam, ab-  
soluta perfectaque mundi universitate, Deus ab  
omni opere, quod fecerat, quievit, ita hunc  
diem <sup>2</sup> in Exodo Dominus vocat. Postea vero non  
solum septimus hic dies, sed ob eius dignitatem  
ipsa etiam hebdomada eo nomine appellata est;  
in quem sensum Pharisaeus apud sanctum Lu-  
cam dixit: <sup>3</sup> *Ieiuno bis in Sabbato*. Atque hoc  
quidem de Sabbati significatione.

10. *Quo modo fideles Sabbatum sanctificare dicantur.*

Sanctificatio autem Sabbati sacris in litteris  
cessatio est, quae fit a corporis laboribus, et a  
negotiis, ut aperte ostendunt haec, quae se-  
quuntur, praecepti verba: *Non operaberis*. Ne-  
que vero id solum significat (aliter enim satis  
fuisset dicere in Deuteronomio: <sup>4</sup> *Observa diem  
Sabbati*), sed quum in eodem loco addatur: *ut  
sanctifices eum*, hoc verbo ostenditur, Sabbati  
diem religiosum esse, divinisque actionibus ac  
sanctis rerum officiis consecratum. Itaque diem  
Sabbati tum plene et perfecte celebramus, quum  
pietatis et religionis officia Deo praestamus;  
hocque plane Sabbatum est, quod <sup>5</sup> Isaias *delica-  
tum* appellat, quoniam festi dies sunt veluti deli-  
ciae Domini et piorum hominum. Quare si reli-  
gioso huic sanctoque Sabbati cultui misericordiae  
adiunguntur opera, certe maxima sunt <sup>6</sup> et multa  
praemia, quae eodem capite nobis proponuntur.

11. *Quae sit germana superiorum verborum sententia.*

Itaque verus ac proprius huius praecepti sen-  
sus eo spectat, ut homo et animo et corpore in  
eam curam incumbat, ut statuto aliquo tempore  
a negotiis corporisque laboribus feriat, Deum  
pie colat ac veneretur.

Hier. in in-  
terpret. nom.  
hebr. a verbo  
sabbat, idest,  
quievit, vel  
cessavit.

1) Gen. 2, 3.

2) Exod. 20, 8.

3) Luc. 18, 12.

4) Deut. 5, 12.

5) Isa. 58, 13.

6) Isa. 58, 8.  
11. 12.

Thom. in  
2. 2. q. 112.  
art. 4. ad 3.

12. *Quid altera praecepti parte demonstratur.*

Altera vero praecepti parte demonstratur, diem septimum Dei cultui divinitus dicatum esse. Nam ita scriptum est: *Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua: septimo autem die Sabbatum domini Dei tui est.* Quae verba ad eam sententiam referuntur, ut Sabbatum Domino consecratum interpretemur, eique eo die religionis officia tribuamus, septimumque diem intelligamus signum esse quietis Domini.

13. *Cur Iudaeis expedierit certum diem, eumque septimum ad religionis officia praescribere.*

Hic vero dies divino cultui dicatus est, quia rudi populo minus expediebat habere eam facultatem temporis arbitrato suo deligendi, ne forte Aegyptiorum sacra imitaretur. Itaque e septem diebus ultimus ad Deum colendum delectus est; quae quidem res plena mysterii est. Quare Dominus <sup>1</sup> in Exodo et apud Ezechielem signum vocat: *Videte, ille inquit, ut Sabbatum meum custodiatis; quia signum est inter me et vos in generationibus vestris, ut sciatis quia ego Dominus, qui sanctifico vos.*

14. *Quarum rerum signum fuerit Sabbati celebritas.*

Itaque signum fuit, quod indicabat homines Deo se dedicare oportere, sanctosque idem praebere, quum diem etiam videamus ei dicatum esse: siquidem ille dies sanctus est, quod tum praecipue sanctitatem et religionem homines colere debeant. Deinde signum est et quasi monumentum conditae hulus admirandae universitatis. Signum praeterea fuit israelitarum memoriae traditum, quo admoniti, se Dei auxilio a durissimo aegyptiacae servitutis iugo solutos ac liberatos esse meminissent; id quod Dominus ostendit illis verbis: <sup>2</sup> *Memento quod et ipse servieris in Aegypto, et eduixerit te inde dominus Deus tuus in manu forti et brachio extento: idcirco praecepit tibi, ut observares diem Sabbati.* Est signum item tum spiritualis, tum caelestis Sabbati.

1) Exod. 31, 13.

Vide August. epist. 119. c. 12. Hieron. lib. 15. in Isa. c. 56. et lib. 16. in c. 58. et in Ezech. 13. c. 44. D. Thom. in 1. 2. q. 110. art. 4. ad secundum, et in 2. 2. q. 122. art. 4. Dam. lib. 4. de orth. fid. c. 24.

2) Dent. 5, 15.

15. *Quid sit spirituale populi christiani Sabbatum.*

Spirituale autem Sabbatum in sancta quadam et mystica quiete consistit, nimirum quum <sup>1</sup> vetus homo, <sup>2</sup> Christo consepultus, ad vitam renovatur, atque in iis actionibus, quae christianae pietati conveniunt, studiose se exercet. Debent enim, qui <sup>3</sup> aliquando erant tenebrae, nunc autem lux in Domino sunt, ut filii lucis ambulare in omni bonitate, iustitia, et veritate, <sup>4</sup> neque communicare operibus infructuosis tenebrarum.

Aug. super genes. ad lit. l. 4. c. 12. et ep. 119. cap. 11.  
1) Rom. 6. 6.  
2) Rom. 6. 4.  
3) Ephes. 5. 8.  
4) Ibidem 11.

16. *Quod sit beatis etiam suum Sabbatum.*

Caeleste vero Sabbatum est, ut ait divus Cyrillus, eum locum Apostoli tractans: *Relinquitur ergo sabbatismus populo Dei; illa vita, in qua omnibus bonis cum Christo viventes fruimur, peccato radicitus extirpato, secundum illud: <sup>5</sup> Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam, sed erit ibi semita et via sancta vocabitur: <sup>6</sup> omnia enim bona in visione Dei mens sanctorum adipiscitur: Quare fideles hortandi erunt his verbis, et a pastore incitandi: <sup>7</sup> Festinemus ergo ingredi in illam requiem.*

Cyrril. lib. 4. in Ioannem c. 6.  
Hebr. 4. 9.  
5) Isa. 35. 8. 9.  
6) Sap. 7. 11.  
7) Hebr. 4. 11.

27. *Iudaeis alii dies, quam septimus, fuere festivi.*

Praeter diem septimum habebat populus iudaeus alios etiam festos et sacros dies <sup>8</sup> divina lege constitutos, quibus maximorum beneficiorum memoria renovaretur.

8) Exod. 12. 2. 16.  
Vide Cyrill. lib. 17. de ador. in spir. et verit.

18. *Quare apostoli non septimum hebdomadae diem, sed primum divino cultui consecrarint.*

Placuit autem ecclesiae Dei, ut diei Sabbati cultus et celebritas in Dominicum transferretur diem. Nam ut eo die primum lux orbi terrarum illuxit, sic Redemptoris nostri, qui ad vitam aeternam nobis aditum patefecit, resurrectione, quae eo die fuit, e tenebris ad lucem vita nostra revocata est; unde et Dominicum diem apostoli dici voluerunt. Solemnem praeterea hunc diem esse in sacris litteris animadvertimus, quod eo die mundi creatio initium habuit, quodque <sup>9</sup> Spiritus sanctus discipulis datus sit.

Greg. Naz. orat. 43.  
Dam. lib. 4. cap. 24.  
Leo ep. 81. ad Dioscor.

9) Act. 2. 2.

19. *Quamobrem ad diem Dominicum alia festa christianis accesserint.*

Vide c. Pronuntiandum de const. dist. 3, et c. Conquestus de feriis. Quomodo autem haec festa a traditione apostolica emanarint, colligi potest ex act. 20, 16, et 2. Cor. 10, ean. 7.

Alios autem dies festos ab ecclesiae initio, et consequentibus deinde temporibus apostoli et sancti patres nostri instituerunt, ut pie et sancte Dei beneficiorum memoriam coleremus. Inter eos autem celeberrimi habentur illi dies, qui ob redemptionis nostrae mysteria religioni consecrati sunt; deinde, qui sanctissimae Virgini Matri, tum vero apostolis ac martyribus, ceterisque sanctis cum Christo regnantibus dicantur: in quorum victoria Dei bonitas et potentia laudatur, ipsi debiti honores tribuuntur, atque ad eorum imitationem fidelis populus incitatur.

20. *Quo modo ex hoc praecepto ad otium fugiendum fideles incitentur.*

Et quoniam ad hoc praeceptum servandum magnam vim ea ipsius pars habet, quae illis verbis expressa est: *Sex diebus operaberis; septimus autem dies Sabbatum domini Dei est;* parcius debet illam partem diligenter explicare. Etenim ex his verbis colligi potest, fideles hortandos esse, ne otiosi et desides vitam traducant, sed potius apostolicae vocis memores, <sup>1</sup> negotium suum quisque agat, <sup>2</sup> et operetur manibus suis, sicut ab eo praeceptum fuerat. Praeterea hoc praecepto illud Dominus iubet, ut sex ipsis diebus opera nostra efficiamus; ne aliquid eorum, quae aliis hebdomadae diebus fieri agive oporteat, in diem festum reiiciatur, atque ita animus a rerum divinarum cura studioque avocetur.

21. *Quid maxime diebus festis agere sit prohibitum.*

Tertia deinde praecepti pars explicanda est, quae quodammodo describit, qua ratione Sabbati diem colere debeamus; praecipue autem explicat, quid illo die facere prohibemur. Quare inquit Dominus: *Non facies omne opus in eo tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, iumentum tuum, et advena, qui est intra portas tuas.* Quibus verbis ad id primum instituimur, ut quaecumque divinum cultum im-

Aug. tract. 3, in Ioan. et in ps. 37. Th. 2. 2. q. 122. art. 4. Vide supra sect. 11.

1) 1. Thess. 4. 11.  
2) Ephes. 4, 28.



pedire possunt, omnino vitemus. Facile enim perspicitur potest, omne servilis operis genus prohiberi, non quidem ea re, quod sua natura aut turpe aut malum sit, sed quoniam mentem nostram a divino cultu, qui finis praecepti est, abstrahit. Quo magis peccata a fidelibus vitanda sunt, quae non solum animum a divinarum rerum studio avocant, sed nos a Dei amore prorsus seiungunt.

22. *Externae actiones, quae ad Dei cultum referuntur, Sabbato non interduntur.*

Non tamen eae actiones, neque ea opera ventantur, quae ad divinum cultum attinent, etiamsi servilia sint, ut altare instruere, templa alicuius festi diei causa ornare, et reliqua huius generis. Ideoque a Domino dictum est, <sup>1</sup> *Sacerdotes in templo Sabbatum violare, et sine crimine esse.*

Thom. loc. supra citato.

1) Matt. 12, 5.

23. *Quaedam etiam servilia opera ob necessitatem diebus festis conceduntur.*

Sed neque earum rerum opera hac lege prohiberi existimandum est, quarum iactura facienda sit, si die festo praetermittantur, quemadmodum sacris etiam canonibus permissum est. Multa alia Dominus in Evangelio festis diebus fieri posse declaravit, quae facile parochus apud sanctos <sup>2</sup> Matthaeum et <sup>3</sup> Ioannem observabit.

Multa licent in diebus festis, vide c. Licet de feriis, et cap. Conquestus eodem in fine.

2) Matt. 12, 3.

4. 5.

3) Ioan. 5, 8.

24. *Cur iumenta quiescere Dominus voluerit.*

Sed ut nulla res praetermitteretur, cuius actione hic Sabbati cultus impediretur, facta est iumentis mentio; quo animalium genere impediuntur homines, quominus Sabbatum diem colant. Si enim die Sabbati alicui operis actioni iumentis usus destinatur, necessaria est etiam ad id hominis opera, qui iumentum agat: itaque solum per se opus facere non potest, sed hominem, qui illud molitur, adiuvat. Eo autem die nemini opus facere licet; ergo neque iumentis, quorum opera ad id homines utuntur. Itaque huius praecepti lex eo etiam spectat, ut, si iumentorum laboribus homines parcere Deus vult, eo certe magis ipsi cavere debeant, ne inhumani sint in eos, quorum opera atque industria utuntur.

Servi, et ancillae die festo non sunt a cultu Dei avocandi.

25. *Quibus praecipue in operibus christiani diebus festis se exercere debeant.*

Missa die festo integre audienda. Concil. agathen. c. 47. et de const. dist. I. cap. Missas: item conc. aulic. can. 28. ibi capit. Cum ad celebrandas.

Neque vero parochus illud praetermittere debet, ut diligenter doceat, quibus in operibus atque actionibus christiani homines diebus festis exercere se debeant. Illae vero eiusmodi sunt, ut ad Dei templum accedamus, eoque loco pia sinceraque animi attentione sacrosanctae missae sacrificio intersimus; divina ecclesiae sacramenta, quae ad salutem nostram instituta sunt, ad animae vulnerum curationem crebro adhibeamus.

Poenitentiae et eucharistiae sacramentum diebus festis frequentandum.

August. de eccl. dogm. cap. 53. et habetur de cons. dist. 7. cap. Quotidie.

Nihil vero est, quod opportunius aut melius a christianis hominibus fieri possit, quam si peccata sua sacerdotibus saepe confiteantur. Ad quam rem perficiendam poterit parochus populum adhortari, sumpta huius probandae rei ratione et copia ex iis, quae de poenitentiae sacramento suo loco tradita ac praecepta sunt. Neque solum ad hoc sacramentum populum excitabit, sed sedulo etiam atque etiam ad illud adhortabitur, ut sacrosanctum eucharistiae sacramentum crebro percipiant.

Concio frequentanda. Iustin. Apol. 2. ex actis 20.

Indignum Christi verba contemnere. Aug. lib. 50. homil. et habetur in q. 2. c. Interroga.

Pietatis opera diebus potissimum festis exercenda. Sic faciebant veteres christiani, ut colligi potest ex Apost. Cor. 16. 1. 2.

1) Iacob. 1. 27.

Attente praeterea diligenterque sacra concio fidelibus audienda est. Nihil enim minus ferendum est, neque tam profecto indignum, quam Christi verba contemnere, aut negligenter audire. Exercitatio item atque studium fidelium in precibus divinisque laudibus frequens esse debet, praecipuaque eorundem cura, ut quae ad christianae vitae institutionem pertinent, ea diligenter addiscant, seduloque se exercent in iis officiis, quae pietatem continent, pauperibus et egenis eleemosynamtribuendo, aegros homines visitando, moerentes, quique dolore afflicti iacent, pie consolando. Nam, ut est apud sanctum Iacobum: *Religio munda, et immaculata apud Deum et patrem haec est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum.* Ex iis, quae dicta sunt, facile erit colligere, quae contra huius praecepti regulam committuntur.

26. *Cur necesse fuerit certos quosdam dies divino cultui deputare.*

Parochi vero officium in eo item esse debet, ut certos quosdam locos in promptu habeat, unde rationes atque argumenta sumat, quibus populo illud maxime persuadeatur, ut huius praecepti legem summo studio, accurataque diligentia servet. Ad hoc plurimum valet, ut populus scilicet intelligat ac plane perspiciat, quam iustum et rationi consentaneum sit, nos certos quosdam dies habere, quos totos divino cultui tribuamus, Dominumque nostrum, a quo summa et innumerabilia beneficia accepimus, agnoscamus, colamus et veneremur. Si enim iussisset nos quotidie sibi religionis cultum tribuere, nonne pro suis erga nos beneficiis, quae maxima et infinita sunt, omnis opera danda esset, ut prompto alacrique animo eius dicto audientes essemus? Nunc vero paucis ad eius cultum institutis diebus, non est cur nos negligentes atque difficiles in eius officii functiones simus, quod sine gravissima culpa praetermittere non possumus.

27. *Quae utilitas ad eos redeat, qui sedulo huic praecepto obtemperaverint.*

Demonstret deinde parochus, quanta huius praecepti virtus sit, ut ii, qui illud recte servaverint, in conspectu Dei esse, cum eoque colloqui videantur. Nam et precibus faciendis Dei maiestatem contemplamur, et cum eo colloquimur; et, concionatoribus audiendis, Dei vocem accipimus, quae ad aures nostras eorum opera pervenit, qui de rebus divinis pie sancteque concionantur; tum in altaris sacrificio praesentem Christum dominum adoramus. Et his quidem bonis illi maxime fruuntur, qui hoc praeceptum servant diligenter.

28. *Quid contra de illis sentiendum sit, qui hanc legem omnino neglexerint.*

Qui vero hanc legem omnino negligunt, ii, quum Deo<sup>1</sup> et ecclesiae non obediunt, neque eius praeceptum audiunt, et Dei et sanctarum legum hostes sunt. Quod animadverti potest ex

Legant ad hoc argumentum de const. dist. 2. et titulum de feriis in decreto. Ignat. in epist. ad Philippens. Leo serm. 3. de quadrages. August. serm. 25. de tempore.

Sic, qui festa mosaicae legis Hierosolymis legitime observabant, in conspectum Domini venire dicebantur. Exod. 23. 17. et Deut. 16. 16.

1) Matt. 18. 17. Lucae 10. 16. Ioan. 20. 21. Hebr. 13. 17.

eo, quod praeceptum hoc eiusmodi est, ut nullo labore servari queat. Quum enim Deus non labores nobis imponat, quos vel difficillimos eius causa suscipere deberemus, sed quietos illis diebus festis a terrenis curis liberos esse iubeat; magnae temeritatis indicium est, huius praecepti legem recusare. Exemplo nobis esse debent supplicia, quae de illis Deus sumpsit, qui illud violarunt, ut ex libro Numerorum licet intelligere. Ne igitur in hanc Dei offensionem incidamus, operae pretium erit, saepe illud verbum: *memento*, cogitatione repetere, magnasque illas utilitates et commoda sibi ante oculos proponere, quae ex festorum dierum cultu percipi supra declaratum est; et multa alia ad id genus pertinentia, quae bonus et diligens pastor, ut occasionis ratio postulabit, copiose lateque persequi poterit.

## DE QUARTO PRAECEPTO

### CAPUT V.

**Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.**

*1. Quae sit huius praecepti dignitas, et quo modo cum superioribus conveniat.*

In praeceptis primae tabulae magna dignitas, sed in secundae tabulae praeceptis est magna necessitas, vide August. in ps. 32. 32. cont. I.  
1) I. Tim. I. 5.  
2) Aug. l. 3. de doctrina Christi c. 10. et lib. 50. hom. 38. 39.  
3) Matt. 22. 39. Marc. 12. 31.

Quum in superioribus praeceptis summa sit vis et dignitas, merito, quae nunc persequimur, quia maxime necessaria sunt, proximum locum obtinent. Nam illa <sup>1</sup> finem, qui Deus est, continuo spectant; haec nos ad proximi charitatem erudiunt: etsi longius progressa, ad Deum, id est illud extremum, <sup>2</sup> cuius gratia proximum ipsum diligimus, perducunt. Quamobrem <sup>3</sup> Christus dominus praecepta illa duo de diligendo Deo et proximo similia inter se esse dixit. Hic autem locus, dici vix potest, quantas habeat utilitates, quum et suos fructus ferat, uberes illos quidem ac praestantes, et sit tamquam signum, ex quo

primi praecepti obedientia et cultus elucet. <sup>1</sup> *Qui non diligit*, inquit divus Ioannes, *fratrem suum, quem videt; Deum quem non videt, quo modo potest diligere?* Ad eundem modum si parentes, quos secundum Deum diligere debemus, non veneramur et colimus, quum in conspectu nobis fere semper sint; Deo, <sup>2</sup> summo parenti et optimo, qui nullum sub aspectum cadit, quem honorem, quem cultum tribuemus? Ex quo perspicuum est, utraque praecepta inter se congruere.

2. *Quam late pateat huius praecepti vis, et quantum parentes ex hoc praecepto adiuventur.*

Huius autem praecepti usus latissime patet: nam praeter eos, qui nos genuerunt, multi praeterea sunt, quos in parentum loco colere debemus, <sup>3</sup> vel potestatis, vel <sup>4</sup> dignitatis, vel <sup>5</sup> utilitatis, vel praestantis alicuius muneris et officii nomine. Parentum praeterea maiorumque omnium laborem levat: quum enim id in primis curent, ut quos habent in sua potestate, ii recte et divinae legi convenienter vivant, erit haec cura perfacilis, si omnes intelligant, Deo auctore et monitore, summum honorem parentibus tribui oportere. Quod ut praestare possimus, necesse est nosse quandam differentiam, quae est inter praecepta primae et secundae tabulae.

3. *Praeceptorum legis in duas tabulas quorsum facta sit distinctio.*

Ergo haec primum a parcho sunt explicanda, idque in primis moneat, <sup>6</sup> divina decalogi praecepta fuisse in duabus tabulis incisa; in quarum altera, quemadmodum a sanctis <sup>7</sup> patribus accepimus, tria illa continebantur, quae iam sunt exposita; reliqua vero in alteram tabulam erant inclusa. Atque haec nobis perapposita fuit descriptio, ut praeceptorum rationem ordo ipse distingueret. Nam quidquid in sacris litteris divina lege iubetur aut vetatur, id duorum generum oritur ex altero: aut enim erga Deum, aut erga homines charitas in omni officio spectatur. Et quidem charitatem in Deum superiora tria praecepta docent; quod vero ad hominum coniunctionem et societatem pertinet, id reliquis se-

1) 1. Ioan. 4, 20. Signum dilectionis Dei ex dilectione parentum elucet.

2) Malac. 1, 6.

Parentis nomen cum late pateat, fit ut istud praeceptum ad plures extendatur.

3) 4. Reg. 5, 13.

4) 1. Cor. 4, 15.

5) Eccl. 4, 10.

Primae, et secundae tabulae differentia latius exponitur.

6) Exod. 24, 12.

et 31, 18. Deut.

4, 13. et 5, 22.

et 9, 10.

7) Clem. Alex.

lib. 6. Stromatum.

Mag. in 3. dist. 37. Alex.

de Ales. 3. part. q. 29.

mem. 2. art. 3.

ptem praeceptis continetur. Quocirca non sine causa eiusmodi facta est distinctio, ut alia ad priorem, alia ad alteram tabulam praecepta referantur.

4. *Quo modo charitas erga Deum tribus primis praeceptis, et charitas erga proximum ceteris continetur: et quae sit inter utraque differentia.*

Vide Aug. in psalm. 32. contr. I. et Th. in 2. 2. q. 112. art. 1. et 2.

Deus per se amandus. Bernard. in lib. de diligendo Deo. Quomodo amnes homines propter Deum diligendi. Aug. lib. 3. de doctr. Christi cap. 129. et lib. 4. conf. c. 9. 10. 11. 12.

Nam superioribus tribus praeceptis, de quibus dictum est, quasi subiecta materies, quam tractent, est Deus, id est summum bonum; ceteris vero proximi bonum: illis summus, his proximus amor est propositus; illa finem, haec autem ea, quae ad finem referuntur, spectant.

Praeterea charitas Dei ex ipso pendet: Deus enim per se, non alterius rei causa, summe diligendus est; charitas autem proximi a charitate Dei ortum habet, atque ad eam tamquam ad certam regulam dirigenda est. Nam si parentes caros habemus, si dominis paremus, si dignitate antecessentes reveremur; id ea re maxime faciendum est, quod eorum procreator est Deus, eosque aliis praesesse voluit, quorum opera ceteros homines regit ac tuetur: qui quum nobis auctor sit, ut huiusmodi personas vereamur, idcirco id praestare debemus, quia a Deo hoc ipso honore dignantur. Ex quo fit, ut honor quem parentibus habemus, Deo potius, quam hominibus haberi videatur. Sic enim apud sanctum Matthaeum est, quum de observantia in superiores agit: <sup>1</sup> *Qui recipit vos, me recipit;* et Apostolus in epistola ad Ephesios, servos instituens, <sup>2</sup> *Servi, inquit, obedite dominis carnalibus cum timore, et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo; non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi.*

1) Matt. 10, 40.

2) Ephes. 6, 5. Idem habetur I. Pet. 2, 18.

Augeri charitas in infinitum potest Aug. super ps. 62. et Thom. in 2. 2. q. 24. art. 7. et 8. et confirmatur ex Apost. Phil. 3.

3) Deut. 4, 5.

5. *Quo modo charitas Dei nullo fine, charitas vero proximi suis finibus circumscribatur.*

Accedit, quod Deo nullus honor, nulla pietas, nullus cultus satis digne tribuitur, in quem amor augeri infinite potest; proptereaque nostra erga illum charitas in dies fiat ardentior necesse est, quem eius iussu, <sup>3</sup> *ex toto corde, ex tota anima,*

*ex omnibus viribus amare debemus. At charitas, qua proximum complectimur, suis finibus circumscribitur.* <sup>1</sup> *Iubet enim Dominus proximos diligere, sicut nos ipsos: quod si quis hos fines egressus fuerit, ita ut parem Deo et proximis amorem tribuat, is maximum scelus admittit.*

<sup>2</sup> *Si quis venit ad me, inquit Dominus, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.*

In quam sententiam item dictum est: <sup>3</sup> *Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos; quum quidam primum humare patrem vellet, postea Christum sequi. Cuius rei dilucidior illa apud sanctum Matthaeum explicatio est: <sup>4</sup> Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus.*

<sup>6</sup> *Quo modo parentes sint amandi, quaque ex causa illis subinde non obtemperandum sit.*

Nec tamen ulla dubitatio est, quin parentes vehementer amandi observandique sint: sed ad pietatem in primis necessarium est, Deo <sup>5</sup> qui parens et effector est omnium, praecipuum honorem et cultum tribui; ideoque mortales parentes amari, ut ad caelestem sempiternumque patrem tota amoris vis referatur. Quod si interdum parentum iussa Dei praeceptis repugnent, non dubium est, quin liberi parentum cupiditati Dei voluntatem anteferre debeant, divinae illius sententiae memores: <sup>6</sup> *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

<sup>7</sup> *Quid in huius praecepti sententia proprie honorandi vox denotet.*

Quibus rebus expositis, parochus verba praecepti interpretabitur, atque illud primum: *honorare*, quid sit: est enim de aliquo honorifice sentire, et, quae illius sunt, maximi putare omnia. Huic autem honori haec omnia coniuncta sunt: amor, observantia, obedientia et cultus. Scite autem in lege posita est *honoris vox*, non amoris aut metus, etiamsi valde amandi ac metuendi parentes sint. Etenim qui amat, non semper observat et veneratur; qui metuit, non semper diligit: quem vero aliquis ex animo honorat, item

<sup>1</sup>) Lev. 19, 18.  
Matt. 22, 39.  
Deus et proximus nequam pari amore diligendi, vid. Thom. in 2. 2. q. 26. art. 2.

<sup>2</sup>) Luc. 14, 26.

<sup>3</sup>) Matt. 8, 22.

<sup>4</sup>) Matt. 10, 37.

Secundum Deum parentes diligendi, et colendi sunt. Vide Th. in 2. 2. q. 101. art. 4.

<sup>5</sup>) Deut. 32, 6. Isa. 63, 16. et 64, 8.

Ier. 31, 9. Mach. 2, 10.

Parentibus filii quoad teoantur non obedire.

<sup>6</sup>) Act. 5, 29.

Honorare quid sit. Vide Thom. in 1. 2. q. 122. art. 5. et in 2. 2. q. 63. art. 3. et Arist. in 1. eth. l. cap. 6. Cur hic honorandi verbum positum sit, Thom. in 1. 2. q. 122. art. 5. ad 3.

amat et veretur. Haec quum parochus explicaverit, tum aget de patribus, quique sint ii, qui vocentur hoc nomine.

8. *Quinam patris nomine hic intelligantur.*

Primo dicuntur patres secundum carnem.

Secundo ecclesiae praesides, et sacerdotes.

1) I. Cor. 4, 14, 15.

2) Eccl. 44, 1.

Tertio magistratus.

3) 4. Reg. 5, 13.

Quarto tutores, paedagogi, et magistri.

4) Mach. 2, 65.

Quinto grandaevi. Lev. 19, 32. Sap. 2, 10. et 4, 8.

Patres secundum carnem sunt Dei simulacra, quod nostri sint al-

Nam etsi de iis praecipue patribus lex loquitur, ex quibus generati sumus; tamen ad alios quoque pertinet hoc nomen, quos etiam complecti lex videtur, quemadmodum ex pluribus divinae scripturae locis facile colligimus. Praeter illos igitur, qui nos procrearunt, patrum genera item alia sunt in sacris litteris, quod antea attigimus, quibus singulis suus honor debetur. Ac primum ecclesiae praesides, et pastores, et sacerdotes, patres dicuntur; quemadmodum ex Apostolo constat, qui ad Corinthios scribens: <sup>1</sup> *Non, inquit, ut confundam vos, haec scribo, sed ut filios meos carissimos moneo. Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: nam in Christo Iesu per evangelium ego vos genui.* Et in Ecclesiastico scriptum est: <sup>2</sup> *Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua.*

Deinde ii, quibus aut imperium, aut magistratus, aut potestas commissa est, qui rempublicam gubernant, patres appellantur. Sic <sup>3</sup> Naaman a famulis pater vocabatur.

Praeterea patres eos dicimus, quorum procurrationi, fidei, probitati sapientiaeque alii commendantur: cuiusmodi sunt tutores et curatores, paedagogi et magistri. Quare <sup>4</sup> Eliam et Eliseum filii prophetarum patrem vocabant.

Postremo patres dicimus senes et aetate confectos, quos etiam vereri debemus. Atque hoc in parochi praeceptis maximum sit, ut doceat, patres, cuiuscumque sint generis, praesertim vero eos, ex quibus nati sumus, a nobis honorandos, de quibus divina lex praecipue loquitur.

9. *Cur parentibus secundum carnem christianorum filii praecipuum honorem impendere debeant.*

Sunt enim immortalis Dei quasi quaedam simulacra, in iisque ortus nostri imaginem intuemur; ab iis nobis vita data est; iis Deus usus est, uti nobis animum mentemque impertiret;



ab iis ad sacramenta deducti, ad religionem, ad humanum cultum civilemque instituti, ad morum integritatem et sanctitatem eruditi sumus. Doceat vero parochus, merito nomen matris in hoc praecepto expressum, ut eius beneficia et merita erga nos consideremus, quanta cura et sollicitudine nos in utero gesserit, quanto cum labore et dolore pepererit et educarit.

10. *Quibus rationibus honore afficiantur carnales parentes.*

Porro ita observandi parentes sunt, ut, quem eis tribuimus, honor ex amore atque intimo animi sensu depromptus videatur; quibus hoc officium debetur maxime, quum erga nos sint ita affecti, ut nullum laborem, nullam contentionem, nulla pericula nostri causa refugiant, nihilque illis accidere possit iucundius, quam ut filiis se caros esse sentiant, quos maxime diligunt. Ioseph<sup>1</sup> quum in Aegypto honore et amplitudine regi esset proximus, <sup>2</sup> patrem, qui in Aegyptum venerat, honorifice excepit; et Salomon<sup>3</sup> matri adveniēti assurrexit, eamque veneratus, regio in solio ad dexteram collocavit.

Alia praeterea sunt honoris officia, quae in parentes conferri debent. Nam eos tum etiam honoramus, quum a Deo suppliciter petimus, ut eisdem bene et feliciter omnia eveniant, ut in maxima gratia et honore sint apud homines, ut ipsi Deo ac sanctis, qui in caelis sunt, commendatissimi sint.

Item parentes honoramus, quum nostras rationes ad eorum arbitrium voluntatemque conferimus. Cuius rei suator Salomon,<sup>4</sup> *Audi, inquit, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuae; ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo;* cuiusmodi sunt etiam divi Pauli cohortationes: <sup>5</sup> *Filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est;* item: <sup>6</sup> *Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino;* et sanctissimorum hominum exemplis confirmatur: etenim <sup>7</sup> Isaac, quum a patre ad sacrificium vinciretur, modeste ac sine recusatione paruit; et <sup>8</sup> Rechabtae, ne

terum principium.  
Thom. in 2. 2. q. 101. art. 2.  
Matribus quanta filii debeant vide Tob. 4, 3. et Eccl. 3, 5. et 7. 29. sqq. Malach. 2, 27.

Primus modus, quo parentes debent honorari. Tangit instantiam Deuter. 33. Qui dicit patri suo, et matri suae, nescio vos etc. Solve id ex Matth. 10. in fine.

1) Gen. 42, 43.

2) Gen. 46, 29.

3) 2. Reg. 2, 29.

Pro eis Deus orandus.

Eorum voluntati standum est.

4) Prov. 1, 8. vide item Eccl. 3. fere per totum.

5) Ephes. 6, 1.

6) Col. 3, 20.

7) Gen. 22, 8.

8) 1er. 35, 6. 7. 8.

a patris consilio umquam discreparent, vino se in perpetuum abstinuerunt.

Parentes studiosè imitandi.

Item parentes honoramus, quum eorum recte facta moresque imitamur; iis enim plurimum tribuere videmur, quorum esse volumus quam simillimi. Item parentes honoramus, quorum consilia non modo exquirimus, verum etiam sequimur.

11. *Quo modo parentibus in necessitate constitutis sit subveniendum, et maxime in mortis periculo.*

Quomodo subveniendum parentibus, vide apud Basil. in hom. de honore parentum, et de hexam. Hom. 9. Item Ambr. lib. 5. hexam. c. 16. Concil. gang. can. 16. et cap. Est probanda, et cap. Ceterum, et cap. Pasce, dist. 86. Vide item Thom. in 2. 2. q. 101. artic. 2. et 4. 1) Matt. 15, 3. 4. 5. 6. Hier. in lib. 2. comm. in Matth. Aug. lib. 1. q. cv. cap. 14.

Item, quibus subvenimus ea impertientes, quae victus cultusque desiderat. Quod Christi testimonio comprobatur, qui Pharisaeorum impietatem redarguens, <sup>1</sup> *Quare et vos, ait, transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem, et matrem; et: Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri, munus quodcumque est ex me, tibi proderit; et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam; et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*

Et honoris quidem officia parentibus tribuere semper debemus, sed tum maxime, quum periculose aegrotant. Danda enim opera est, ne quid praetermittant, quod vel ad peccatorum confessionem attinet, vel ad reliqua sacramenta, quae a christianis hominibus percipi debent, quum mors appropinquat; idque nobis curae sit, ut pii religiosique homines eos crebro intervisant, qui vel imbecillos confirment, et consilio iuvent, vel optime animatos ad spem immortalitatis erigant, ut quum mentem a rebus humanis excitarint, totam coniciant in Deum. Sic fiet, ut fidei, spei et charitatis beatissimo comitatu, ac religionis praesidio muniti, mortem non modo non pertimescendam, quum necessaria sit, sed quum aditum ad aeternitatem expediat, etiam appetendam censeant.

12. *Quo modo mortuis parentibus honorem exhibeamus.*

Vide Gen. cap. 25. et 35. et 50. per totum.

Postremo vel mortuis parentibus honor tribuitur, si iis funus facimus; si exsequias coonestamus; si honorem sepulturae impertimus;

si iusta et sacrificia anniversaria curamus; si, quae ab iis legata sunt, diligenter persolvimus.

13. *Quo pacto episcopi et sacerdotes sint honorandi.*

Honorandi autem sunt non modo ii, ex quibus nati sumus, verum etiam alii, qui patres appellantur, ut episcopi et sacerdotes, ut reges, ut principes, ut magistratus, ut tutores, ut curatores, ut magistri, ut paedagogi, ut senes, et ceteri eiusmodi. Digni enim sunt, qui ex charitate, ex obedientia<sup>1</sup>, ex ope nostra fructus percipiant, sed alius alio magis. De episcopis et aliis pastoribus ita scriptum est: <sup>1</sup> *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur; maxime, qui laborant in verbo, et doctrina.* Iam vero, quanti erga Apostolum amoris documenta Galatae dederunt? Quibus is praeclarum illud benevolentiae testimonium tribuit: <sup>2</sup> *Testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi.*

14. *Quo modo sacerdotibus necessaria ad victum suppeditari debeant.*

Quin etiam sacerdotibus ea suppeditanda sunt, quae ad vitae usus necessarios requiruntur. Quare Apostolus: <sup>3</sup> *Quis, inquit, militat suis stipendiis unquam?* Et in Ecclesiastico scriptum est: <sup>4</sup> *Honorifica sacerdotes, et propurga te cum brachiis: da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum, et purgationis.* Illis etiam obtemperandum esse, docet Apostolus: <sup>5</sup> *Obedite, inquit, praepositis vestris, et subiaccete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Quin potius a Christo domino praeceptum est, ut vel improbis pastoribus obtemperemus, quum dicat: <sup>6</sup> *Super cathedram Moisis sederunt scribae et pharisaei: omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate, et facite; secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, et non faciunt.*

15. *Magistratibus politicis honor deferendus ostenditur.*

Idem de regibus, de principibus, de magistratibus, et reliquis, quorum potestati subiicimur, dicendum est. Iis vero quod honoris, cultus,

Patres honore, et officio qui sint. Episcopi, pastores, et sacerdotes.

1) I. Tim. 5, 17. vide Ambr. in conc. in eum locum.

2) Gal. 4, 15. Sacerdotibus suppeditanda sunt ad victum necessaria.

3) I. Cor. 9, 7. 4) Eccles. 7. 33. 34.

5) Hebr. 13, 17.

Conc. avel. l. c. 17. Later. mag. c. 53. trid. syn. sess. 25. c. 13. 6) Matt. 23, 2. 3.

Magistratus politici.

- observantiae genus tribuendum sit, Apostolus ad <sup>1</sup> Romanos late explicat, <sup>2</sup> pro quibus etiam orandum esse monet; et divus Petrus, <sup>3</sup> *Subiecti*, inquit, *estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi quasi prae excellenti; sive ducibus tamquam ab eo missis*. Nam si quem eis cultum tribuimus, is ad Deum refertur: habet enim venerationem hominum excellens dignitatis gradus, quia divinae potestatis est instar: in quo etiam Dei providentiam veneramus, qui publici muneris procuracionem iis attribuit, <sup>4</sup> quibusque utitur tamquam potestatis suae ministris.
- 1) Rom. 13.  
2) I. Tim. 2. 2.  
3) I. Petr. 2, 13.  
4) Vide Isa. 10, 5. 6. et 45. r. 2. Ier. 27, 6. 7. Ezech. 29, 18. 19.
16. *Cur magistratibus politicis, etiam improbis, sit obtemperandum, et quando non sit.*

- Nec enim hominum improbitatem aut nequitiam, si tales sunt magistratus, sed divinam auctoritatem, quae in illis est, reveremur: ut, quod permirum fortasse videtur, quamvis in nos sint inimico infensoque animo, quamvis implacabiles, tamen non satis digna causa sit, cur eos non perofficiose observemus. Nam et <sup>5</sup> Davidis magna in Saule officia exstiterunt, quum ei tamen esset offensior; quod innuit illis verbis: <sup>6</sup> *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus*.
- 5) I. Reg. 24, 8.  
6) Ps. 119, 7.

At vero, si quid improbe, si quid inique impere, quum id non ex potestate, sed ex iniustitia atque animi perversitate agant, omnino non sunt audiendi. Ubi haec parochus singillatim exposuerit, deinceps consideret, quodnam praemium, quamque consentaneum iis propositum sit, qui divino huic praecepto obediunt.

17. *Quod praemium obedientiae in parentes divinitus sit propositum.*

Cur filii parentibus morigeri diu vivant.  
Thom. in 2. 2. q. 122, art. 5, ad 4.

Utriusque vitae felix usus promittitur.

Nam in eo fructus est maximus, ut diu vivant; propterea quod digni sunt, qui beneficio quam diutissime perfruantur, cuius memoriam perpetuo conservant. Quum igitur, qui parentes colunt, iis gratiam referant, a quibus lucis et vitae usuram habent, iure et merito vitam ad summam senectutem perducunt. Tum adiungenda est divinae promissionis illustris explanatio; neque enim solum sempiternae ac beatae, sed huius etiam, quam in terris agimus, vitae usus promit-

titur. Cuius sententiae interpretis est divus Paulus, quum inquit: <sup>1)</sup> *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae.* 1) I. Tim. 4. 8.

18. *Diuturnae vitae promissio quanti hic facienda sit.*

Nec vero haec merces aut exigua est, aut contemnenda, etiamsi sanctissimis viris, ut <sup>2)</sup> Iob, <sup>3)</sup> ut <sup>4)</sup> Davidi, ut <sup>5)</sup> Paulo, mors fuerit optabilis, et aerumnosis ac miseris hominibus vitae propagatio sit iniucunda. Nam illorum verborum adiunctio: *quam dominus Deus tuus dabit tibi*, non modo temporis diuturnitatem ad vivendum, sed otium, quietem, incolumitatem ad bene vivendum pollicetur. Nam in Deuteronomio non solum inquit: <sup>6)</sup> *Ut longo vivas tempore*; sed illud etiam addit: *Ut bene sit tibi*; quod deinde ab <sup>7)</sup> Apostolo repetitum est. 2) Iob 3, 3, 7. 3) Ps. 119. 5. 4) Philipp. I. 23. 5) Deut. 5, 16. 6) Ephes. 6, 3.

19. *Quo modo, qui parentes honorant, etiamsi cito moriuntur, huius praecepti praemium capiant.*

Haec autem bona iis suppetere dicimus, quorum pietati Deus gratiam referat. Aliter enim divini promissi fides et constantia non erit; quum interdum, qui maiorem pietatem parentibus praestiterunt, iis vita brevior sit. Quibus id quidem contingit, vel quod iis optime consulitur, qui prius e vita excedunt, quam a virtutis et officii religione discedant (<sup>1)</sup> rapiuntur enim, *ne malitia mutet intellectum eorum, aut ne fictio decipiat animam* illorum), vel quia, dum pernicies et rerum omnium perturbatio impendet, e corporibus evocantur, ut communium temporum acerbitatem evadant. <sup>2)</sup> *A facie enim malitiae, collectus est iustus.* Quod fit, ne eorum aut virtus, aut salus periclitetur, quum a mortalibus flagitiorum poenas repetit Deus; vel ne tristissimis temporibus ex propinquorum amicorumque calamitatibus acerbissimos luctus sentiant. Quare metuendum est maiorem in modum, quum viris bonis immatura mors accidit.

20. *Quibus poenis ii afficiantur, qui huius praecepti praeparatores existunt.*

Ac, quemadmodum iis, qui grati in parentes sunt, officii merces et fructus est a Deo propo-

Praemium hic promissum non tam in diuturnitate, quam incolumitate vitae est repositum.

7) Sap. 4. 12.

8) Isa. 57. 1.

Cum boni viri immatura morte tolluntur, superstitionibus supervenire solent plagae.

Ingrati filii graviter puniendi.

- situs; sic ingrati et impii filii gravissimis poenis  
 1) Exod. 21, 17. reservantur; scriptum est enim: <sup>1</sup> *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur; et:*  
 2) Prov. 19, 26. <sup>2</sup> *Qui affligit patrem, et fugit matrem, ignominiosus est et infelix; et:*  
 3) Prov. 20, 20. <sup>3</sup> *Qui maledicit patri suo, vel matri, exstinguetur lucerna eius in mediis tenebris; et:*  
 4) Prov. 30, 17. <sup>4</sup> *Oculum, qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suae, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilae.* Qui parentibus iniuriam intulerunt, <sup>5</sup> multos fuisse legimus, in quibus ulciscendis Dei iracundia exarsit. Non enim Davidem inultum reliquit, sed sceleri debitas poenas dedit <sup>6</sup> Absalon, quem, ob eius scelus, tribus hastis transfixum punivit.

- De iis vero, qui sacerdotibus non obtemperant, scriptum est: <sup>7</sup> *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille.*
- 7) Deut. 17, 12.

21. *Quibus potissimum rationibus parentes se dignos honore illo, divinitus praescripto, reddere possint.*

Quod sit parentum in filios officium, colligi potest ex Gen. 20, 19. Exod. 12, 26. et 13, 18. Job 1, 5. Prov. 19, 17. Eccl. 7, 26. Prov. 3, 11. Eccl. 30, fere per totum. 8) Dan. 13, 3.

Et quemadmodum divina lege sancitum est, ut parentibus filii honorem habeant, ut pareant, ut obsequantur; sic parentum propria officia sunt atque munera, ut sanctissimis disciplinis ac moribus filios imbuant, iisque optima dent vivendi praecepta, ut ad religionem instructi et parati, Deum sancte inviolateque venerentur; <sup>8</sup> quod a parentibus Susannae factum esse legimus.

Itaque sacerdos parentes commoneat, ut se liberis magistros praebeant virtutis, aequitatis, continentiae, modestiae et sanctitatis, triaque praesertim declinent, in quibus saepe offendere consueverunt: primum, ne quid acerbius in liberos aut loquantur, aut statuunt; quod Apostolus in epistola ad Colossenses ita praecipit:

9) Coloss. 3, 21. Tria parentibus in educatione liberorum vitanda.

<sup>9</sup> *Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Nam periculum est, ne fracto abiectoque animo sint, dum omnia timent. Quare illud praecipiat, ut nimiam severitatem effugiant, malintque liberos corrigere, quam ulcisci.

22. *Quo modo parentes erga liberos remissi esse non debeant, nec eis ut nimis amplum patrimonium relinquunt, nimis laborare.*

Deinde, si qua culpa commissa est, quum necessaria sit castigatio et obiurgatio, ne quid liberis per indulgentiam dissolute remittant: saepe enim filii parentum nimia lenitate et facilitate depravantur. Quamobrem a dissoluta indulgentia deterreat exemplo Heli summi sacerdotis, qui, quod in liberos indulgentior fuerat, <sup>1</sup> maximo supplicio est affectus.

Secundum.

Postremo, ne, quod foedissimum est, in filiorum educatione ac doctrina, praepostera consilia ineant. Etenim permulti in hac una cogitatione curaque versantur, ut opes, ut pecunias, ut lautum et amplum patrimonium liberis relinquunt; quos non ad religionem, non ad pietatem, non ad bonarum artium disciplinam, sed ad avaritiam, et ad rem familiarem augendam cohortantur, nec de filiorum existimatione aut salute sunt solliciti, dummodo pecuniosi sint et praedivites: quo quid dici aut cogitari turpius potest? Ita fit, ut ad illos non tam rerum copias, quam sua scelera et flagitia transferant; quibus tandem non ad caelum se duces praebent, sed ad inferorum supplicia sempiterna. Sacerdos igitur optimis praeceptis parentes instituat, eosque ad <sup>2</sup> Tobiae exemplum ac similem virtutem excitet; ut, quum filios ad Dei cultum et sanctimoniam probe erudierint, ab iis etiam amoris, et observantiae, et obsequii uberrimos fructus capiant.

Heli exemplum nimiae parentum indulgentiae.

1) 1. Reg. 4. 18.

Tertium.

Item mater filiorum Zebadai.

Matth. 20.

Vide Ambr. lib. 5. de fide ad Gratianum c. 3.

Huc referri possunt, quae habentur Eccles. 2. 18. 19. et 5. 12. 14. et 6. 2. 3.

2) Tob. 4. per totum.

# DE QUINTO PRAECEPTO

## CAPUT VI.

### Non occides.

#### 1. Quis sit eius doctrinae, quae hoc praecepto includitur, fructus et utilitas.

Magna illa, quae pacificis hominibus proposita est, felicitas, <sup>1</sup> quoniam filii Dei vocabuntur, pastores maxime commovere debet, ut praecepti huius disciplinam fidelibus diligenter accurateque tradant. Nam ad conciliandas hominum voluntates nulla melior ratio iniri potest, quam si huiusmodi praecepti lex recte explicata, ab omnibus ita, ut oportet, sancte servetur; quoniam tum sperare licet, ut summa animi consensione coniuncti homines concordiam et pacem maxime colant.

1) Matt. 5, 9.  
Homines  
quantum ex  
hoc praecepto  
commodi ca-  
pian.

Deus etiam  
ante legem ho-  
micideum in-  
terdixit.  
2) De quo Gen.  
6. et 7. per  
totum.  
3) Gen. 9, 5.

Sed quam necesse sit praeceptum hoc expli-  
cari, ex eo perspicitur, quod, <sup>2</sup> immensa illa uni-  
versae terrae inundatione facta, hoc unum in  
primis est, quod Deus hominibus interdixit: <sup>3</sup> *San-*  
*guinem, inquit, requiram animarum vestrarum*  
*de manu cunctorum bestiarum, et de manu ho-*  
*minis.* In evangelio etiam, quo primum veteres  
leges a Domino explicatae sunt, in iis haec prima  
est, de qua apud sanctum Matthaeum ita scri-  
ptum est: <sup>4</sup> *Dictum est enim: Non occides, et*  
*reliqua, quae hac de re eo ipso loco deinceps*  
*commemorantur.*

4) Matt. 5, 21.

Deus vitae  
nostrae hoc  
praecepto con-  
sult.

Fideles praeterea attente libenterque prae-  
ceptum hoc audire debent. Si enim eius vis spe-  
ctatur, ad vitam cuiusque tuendam valet; quo-  
niam iis verbis: *Non occides*, homicidium omnino  
interdictum est. Itaque singuli homines tanta  
cum voluptate animi illud accipere debent, per-  
inde ac si, ira Dei proposita aliisque gravissimis  
poenis, nominatim prohibitum sit, ne quis eorum  
laedatur. Ergo ut praeceptum hoc auditu iucun-  
dum est, ita eius peccati cautio, quod praecepto  
prohibetur, iucunditatem habere debet.



2. *Quid hoc praecepto quum vetetur, tum iubeatur.*

Quum autem huius legis vim <sup>1</sup> Dominus explicaret, in eo duo contineri ostendit: alterum, ne occidamus, quod a nobis fieri vetitum est; alterum, <sup>2</sup> quod facere iubemur, ut concordia amicitia charitateque inimicos complectamur, pacem habeamus cum omnibus, cuncta denique incommoda patienter feramus.

3. *Licet bestiis vesci, et animalia occidere.*

In eo autem, quod caedes prohibetur, illud primum docendum est, quae caedes sint eiusmodi, quae hac praecepti lege non vetentur. Nam <sup>3</sup> bestias occidi prohibitum non est; quoniam si illis vesci a Deo hominibus est concessum, fas item est illas occidi. Qua de re ita sanctus Augustinus: *Quum audimus, inquit, Non occides, non accipimus hoc dictum esse de fructetis, quia nullus est eis sensus: nec de irrationabilibus animalibus, quia nulla nobis ratione sociantur.*

4. *Licet homines in iudicio vel morti adiudicare, vel interimere.*

Alterum permissum caedis genus est, quod ad eos magistratus pertinet, quibus data est necis potestas, qua, ex legum praescripto iudicioque, in facinorosos homines animadvertunt, et innocentes defendunt. Quo in munere dum iuste versantur, non modo ii caedis non sunt rei, sed huic divinae legi, qua caedes vetatur, maxime obediunt. Quum enim legi huic finis is propositus sit, ut hominum vitae salutique consulatur; magistratum item, qui legitimi sunt scelerum vindices, animadversiones eodem spectant, ut, audacia et iniuria supplicii repressa, tuta sit hominum vita. Quare David, <sup>4</sup> *In matutino, inquit, interficiebam omnes peccatores terrae, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.*

5. *Quo modo etiam, qui in bello iusto occidunt, rei caedis non sint.*

Qua ratione ne illi quidem peccant, qui iusto bello, non cupiditate aut crudelitate impulsii, sed solo publicae utilitatis studio, vitam hostibus

<sup>1</sup>) Matt. 5, 22.  
<sup>23</sup>.

<sup>2</sup>) Coloss. 3, 8.  
<sup>12</sup>.

Bestiarum caedes non est prohibita. D. Thom. in 2. 2. q. 64. artic. 1.  
<sup>3</sup>) Gen. 9, 2.

Exod. 12. per totum, et passim.

Aug. lib. 1. de civ. Dei c. 20. Vide eundem de moribus inauich. lib. 2. c. 13.  
<sup>14</sup>. <sup>15</sup>.

Aug. ep. 154. ad publicol. et habetur 23. q. 5. c. De occidendo, et in ep. 54. ad Maced. et habetur ead. q. c. Non est iniquitatis; et multa alia ibid. Vide item Thom. in 2. 2. q. 74. art. 2.

<sup>4</sup>) Ps. 100, 8.

Bello iusto licere homines occidere, colligitur ex

adimunt. Sunt praeterea eiusmodi caedes, quae nominatim iussu Dei fiunt. <sup>1</sup> Levi filii non peccaverunt, qui uno die tot millia hominum occiderunt: qua caede facta, sic ad eos loquutus est Moses: <sup>2</sup> *Consecratis manus vestras hodie Domino.*

6. *Huius praecepti reus non est, qui hominem fortuito casu interimit.*

Neque vero huius praecepti reus est, qui non sponte neque meditato, sed fortuito hominem occidit. Qua de re in Deuteronomii libro ita est:

3) *Qui percusserit proximum suum nesciens, et qui heri et nudius tertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur; sed abiisse cum eo simpliciter in silvam ad ligna caedenda, et in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum eius percusserit, et occiderit.* Hae caedes eiusmodi sunt, quae, quia non voluntate neque de industria inferuntur, propterea non omnino in peccatis numerantur. Quod sancti Augustini sententia comprobatur: *Absit enim, inquit, ut ea, quae aut propter bonum aut licitum facimus, si quidem praeter nostram voluntatem quidquam mali acciderit, nobis imputentur.*

August. ep. 154. ad Publ. col.

7. *Quo modo homicidii reus sit, qui casu caedem fecit.*

Videatur Trident. synod. sess. 14. de re. de reform. c. 7.

In quo tamen duabus de causis peccari potest: altera, si quis in re iniusta occupatus hominem occiderit; exempli causa, si quis gravidam mulierem pugno vel calce percuteret, ex quo abortus sequeretur, fuisset quidem illud praeter percussoris voluntatem, non tamen praeter culpam, quum illi non liceret ullo modo gravidam mulierem percutere: altera, si non omnibus circumspectis, negligenter et incaute aliquem occiderit.

8. *Licet etiam salutis suae tuendae causa alterum occidere.*

Qua etiam ratione, si quis salutis suae defendendae causa, omni adhibita cautione, alterum interemerit, hac lege non teneri satis apparet. Atque hae quidem, quas modo commemoravimus, caedes sunt, quae hoc legis praecepto non continentur; quibus exceptis, reliquae omnes prohi-

bentur, sive homicidam quis spectet, sive qui occiditur, sive modos, quibus caedes fit.

9. *Nemini licet privata auctoritate caedem facere.*

Nam, quod ad eos pertinet, qui caedem faciunt, nemo plane excipitur, non divites, non potentes homines, non domini, non parentes, sed, delectu omni et discrimine remoto, occidere vetitum est omnibus.

10. *Nemo prorsus est, qui hac lege tutus esse non possit.*

Sin vero ii spectantur, qui interficiuntur, ad omnes haec lex pertinet; nec quisquam est tam humilis et abiectae conditionis homo, quin legis huius vi defendatur. Neque vero seipsum interficere cuiquam fas est, quum vitae suae nemo ita potestatem habeat, ut suo arbitrato mortem sibi consciscere liceat; ideoque legis huius verbis non ita praescriptum est: *Ne alium occidas*; sed simpliciter: *Ne occidas*.

11. *Quot modis hoc praeceptum violari contingat.*

Si autem multiplicem caedis faciendae modum attendimus, nemo est, qui excipiatur. Non solum enim suis cuiquam manibus, aut ferro, aut lapide, aut baculo, aut laqueo, aut veneno vitam homini eripere non licet; sed consilio, ope, auxilio, vel alia quacumque ratione id fieri prorsus vetitum est. In quo summa tarditas stuporque Iudaeorum fuit, qui crederent se hoc praeceptum servare, si manus tantum a caede abstinerent. Sed homini christiano, qui, interprete Christo, didicit hanc legem spiritualem esse, nempe quae non manus solum puras, sed animum etiam castum sincerumque nos habere iubet, illud non satis omnino est, quod illi satis cupulate se praestare arbitrabantur. Nam ne irasci quidem cuiquam licere in evangelio traditum est, quum dicat Dominus: <sup>1</sup> *Ego autem dico vobis: Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio; qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennae ignis.*

Iudaeorum  
quam stupi-  
dum fuerit de  
homicidio iu-  
dicium.

<sup>1</sup> Matth, c.5,

<sup>22</sup>.

12. *Quo modo quis irascendo peccare, vel non peccare possit.*

Interpretatio verborum Christi ex August. 1. 1. de serm. Domini in monte. Iusta ira.

Ex quibus verbis perspicuum est, eum culpa non carere, qui fratri succenseat, quamvis iram animo inclusam contineat; qui vero eius irae significationem aliquam dederit, graviter peccare; at multo gravius, qui non vereatur dure fratrem accipere, et ei convicium facere. Et quidem hoc verum est, si nulla subsit irascendi causa; nam irae causa, quae a <sup>1</sup> Deo <sup>2</sup> legibusque conceditur, ea est, quum in eos animadvertimus, qui nostro imperio potestatique parent, si in eis sit culpa: christiani enim hominis ira non a carnis sensibus, sed a Spiritu sancto proficisci debet, <sup>3</sup> quum templa sancti Spiritus, <sup>4</sup> in quibus Iesus Christus habitet, nos esse conveniat.

13. *Quo modo homines perfecte hanc legem observent, et quam multi in eam peccent.*

Multa praeterea sunt a Domino tradita, quae ad perfectam huius legis rationem pertinent; qualia illa sunt: <sup>5</sup> *Non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram; et ei, qui vult tecum in iudicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium; et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.* Ex his, quae iam commemorata sunt, animadverti licet, quam proclives sint homines ad ea peccata, quae hoc praecepto vetita sunt, quamve multi reperiantur, qui si minus manu, animo saltem caedis scelus committunt.

14. *Quantum in sacris litteris homicidium detestetur.*

Et quoniam huic tam periculoso morbo remedia in sacris litteris adhibita sunt, parochi est officium ea diligenter fidelibus tradere. Praecipuum autem illud est, ut intelligant, quam nefarium sit peccatum hominis caedes, idque vel <sup>6</sup> plurimis maximisque sanctorum litterarum testimoniis perspicui potest: usque enim adeo homicidium detestatur Deus in sanctis litteris, <sup>7</sup> ut a bestiis hominum caedis poenam se repetiturum dicat, <sup>8</sup> ac belluam, quae hominem laeserit, oc-

1) Ps. 4, 5.

Ephes. 4, 26.

2) Videtur al-

ludere ad id

quod ait lex

ff. ad leg. lu-

liam de adul.

3) I. Cor. 6, 19.

4) Ephes. 3, 17.

5) Matt. 5, 39.

Luc. 6. ubi

non habetur,

in dexteram,

sed in maxil-

lam. Aug. ep.

5. ad Marcel-

linum.

Quam grave

peccatum sit

homicidium.

6) Genes. 4, 10.

Exod. 21, 12.

Lev. 24, 17.

7) Gen. 9, 5.

8) Exod. 21, 28.

cidi iubeat. Neque aliam ob causam a sanguine hominem abhorrere voluit, nisi ut omni ratione a nefaria hominis caede et animum et manus abstineret.

15. *Quantum sit scelus hominis caedes, ratione demonstratur.*

Sunt enim homicidae humani generis, atque adeo naturae hostes acerbissimi, qui, quantum in eis est, universum Dei opus evertunt, quum hominem tollant, cuius causa is omnia, <sup>1</sup> quaecumque procreata sunt, se fecisse testatur. Immo vero in Genesi, <sup>2</sup> quum prohibitum sit hominem occidi, quia illum Deus ad imaginem suam et similitudinem creavit; insignem Deo iniuriam is facit, quasique violentas illi manus inferre videtur, qui eius imaginem e medio tollit. Hoc divina animi cogitatione meditatus David, gravissime de sanguinariis hominibus conquestus est illis verbis: <sup>3</sup> *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*; neque simpliciter dixit *occidunt, sed effundunt sanguinem*; quae verba ad detestabilis illius sceleris amplificationem, immanemque illorum crudelitatem ostendendam, protulit; utque declararet in primis, quam praecipites illi diabolico quodam impulsu ad id facinus ferantur, dixit: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.*

16. *Quid in hoc praeecepto Deus faciendum imperet.*

Iam vero, quae in hoc praeecepto servanda esse Christus dominus iubet, eo spectant, ut <sup>4</sup> pacem cum omnibus habeamus. Ait enim, quum hunc locum interpretaretur: <sup>5</sup> *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum*; et quae sequuntur. Quae ita a parcho explicabuntur, ut doceat, sine ulla exceptione omnes charitate complectendos esse; ad quam in huius praeepti explicatione fideles, quam maxime poterit, incitabit, quod in eo proximi diligendi virtus maxime elucet. Quum enim odium hoc praeecepto aperte vetetur, quoniam qui <sup>6</sup> *fratrem suum*

Hanc rationem tangit D. Thom. in 2. 2. q. 64. artic. 5.

1) Gen. I. 26. Vide Thom. in 1. p. q. 69. art. 1. et 2.

2) Gen. 9. 6.

3) Ps. 13. 3.

Pax, et dilectio mutua servanda.

4) Rom. 12. 18.

5) Matt. 5. 23.

24. Ambr. lib. I. offic. c. 48.

6) 1. Ioan. 3. 15.

*odit, homicida est; certe illud consequitur, ut amoris et charitatis praeceptum detur.*

*17. Quae officia sint charitatis, quae hoc praecepto continentur.*

Quumque hac lege de charitate et amore praeceptum sit, tum omnium etiam illorum officiorum atque actionum, quae charitatem ipsam consequi solent, praecepta traduntur. <sup>1</sup> *Charitas patiens est*, inquit divus Paulus; patientia igitur nobis praecipitur, <sup>2</sup> in qua nos animas nostras possessuros esse Salvator docet. Beneficentia deinde charitatis comes est et socia; quoniam <sup>3</sup> *charitas benigna est*. Benignitatis autem atque beneficentiae virtus late patet, eiusque officium in iis rebus maxime versatur, ut pauperibus suppeditemus res necessarias, cibum esurientibus, sitientibus potum demus, nudos vestiamus; et quo quisque opis nostrae magis indiget, eo in illum plus liberalitatis conferamus.

*18. Quo modo omnium charitatis officiorum perfectissimum sit inimicorum dilectio.*

Haec beneficentiae et bonitatis officia, quae per se sunt illustria, eo fiunt illustriora, si inimicis praestentur. Ait enim Salvator: <sup>4</sup> *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos; quod etiam Apostolus monet illis verbis: <sup>5</sup> Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Deinde, si charitatis legem spectemus, quae benigna est, omnia, quaecumque ad mansuetudinem, lenitatem, aliasque id generis virtutes pertinent, officia colere, ea lege praescribi intelligemus.

*19. Qua praecipue re charitas proximi, quae hic imperatur, elucescat.*

At vero longe omnium praestantissimum officium, quod charitatis plenissimum est, in quo maxime nos exercere convenit, illud est, ut iniurias, quas accepimus, aequo animo remittamus atque condonemus. Quod ut plane efficiamus, saepe nos divinae litterae, ut antea dictum est, monent atque hortantur; quum non beatos solum

1) I. Cor. 13, 4.

Quomodo  
charitas haec  
omnia sit, vi-  
de Thom. in  
2. 2. q. 23.  
art. 4. ad 2.

2) Luc. 21, 19.

Beneficentia  
et eius offi-  
cium. Vide Th.  
in 2. 2. q. 3.  
art. 1.

3) I. Cor. 13, 4.

Thom. in 2.

2. q. 26. art.

8. 9.

4) Matt. 5. 44.

5) Rom. 12, 20.

Condonan-  
das esse iniu-  
rias haec loca  
scripturae de-  
monstrant.

Deut. 32, 35.

I. Reg. 25, 32.

33. et 24, 5.

7. 8.

eos dicant, qui ita prorsus faciunt, sed errorum etiam veniam iisdem a Deo datam affirmant: qui vero hoc ipsum facere negligunt, aut omnino recusant, illam non consequuntur. Sed quoniam ulciscendi libido hominum mentibus fere insita est, parochus maximam in eo diligentiam ponat necesse est, ut iniuriarum oblivisci, easque remittere christianum hominem oportere, non doceat solum, sed penitus etiam fidelibus persuadeat. Quumque hac ipsa de re apud sacros scriptores multa fiat mentio, eos consulat ad refellendam illorum pertinaciam, qui in ulciscendi cupiditate animo obstinato sunt atque obfirmato. Argumenta in promptu habeat, quae illi patres gravissima, et ad eam rem maxime accommodata, pie adhibuerunt.

2. Reg. 19, 20.  
Ps. 7, 5.  
Ecl. 28. per tot.  
Isa. 59, 6.  
Matt. 6, 14, 15.  
Marc. 11, 25, 26.  
Lucae 6, 38.  
Act. 7, 59.

Vide Tert. in apoc. 31. et 37. August. tract. 81. in Ioann. et lib. 50. hom. 6. et serm. 61. de temp.

20. *Quibus praesertim rationibus odium reprimendum sit, inducendique sint fideles ad iniuriarum oblivionem.*

Verum haec potissimum tria explicanda sunt. Primum est, ut, qui se iniuriam accepisse putat, ei maxime persuadeatur, illum detrimenti aut iniuriae praecipuam causam non fuisse, quem ipse ulcisci cupit. Sic admirabilis ille Iob fecit, qui a Sabaeis hominibus, a Chaldaeis, et a daemone graviter laesus, nulla tamen habita eorum ratione, ut vir rectus; et homo admodum pius, recte pieque iis verbis usus est: <sup>1</sup> *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Itaque patientissimi illius viri oratione et exemplo, christiani homines sibi persuadeant, quod verissimum est, omnia quaecumque in hac vita patimur, a Domino, qui iustitiae omnis misericordiaeque parens est et auctor, proficisci.

Prima ratio reprimendi odii. Non potest habere concordiam cum Christo, cum discors voluerit esse eum christiano.

1) Iob I, 21.

21. *Homines nos persequentes Dei ministri ac satellites sunt, quamvis id ex mala voluntate faciant.*

Neque vero ille nos, cuius est immensa benignitas, ut inimicos punit, sed ut filios corrigit ac castigat. Nec profecto, si recte animadvertimus, in hisce rebus homines aliud omnino sunt, nisi ministri et quasi satellites Dei: et quamquam homo potest male aliquem odisse pessimeque illi cupere; tamen ei, nisi permissu

Omnes et afflictiones divinitus hominibus immittit ad certam aliquam utilitatem omnibus debet esse persuasissimum.  
Amos 3, 6.

- 1) Gen. 45. Dei, nocere nullo modo potest. Hac ratione <sup>1</sup> adductus Ioseph fratrum impia consilia, sic <sup>2</sup> David iniurias sibi a Semei illatas aequo animo tulit. Ad hanc item rem illud argumenti genus valde pertinet, quod sanctus Chrysostomus graviter atque erudite pertractavit, neminem scilicet, nisi a seipso laedi. Nam qui se iniuriöse tractatos esse opinantur, si rem recta secum via reputent, comperient profecto, nullam se ab aliis iniuriam aut damnum accepisse: etsi enim, quibus ipsi laeduntur, ea extrinsecus eveniunt; tamen se maxime ipsi offendunt, quum animum odio, cupiditate, invidia nefarie contaminant.
22. *Quae ad eos commoda proveniant, qui iniurias libenter condonant.*

Secunda ratio inducens ad iniuriarum oblivionem.  
3) Matth. 6, 14.

- Alterum est, quod duo praecipua commoda complectitur, quae ad illos pertinent, qui pio erga Deum studio adducti, iniurias libenter remittunt. Quorum primum illud est, <sup>3</sup> quod aliena debita remittentibus promisit Deus fore, ut ipsi etiam peccatorum veniam impetrent: ex quo promisso, quam gratum illi sit hoc pietatis officium, facile apparet. Alterum commodum est, quod nobilitatem quandam et perfectionem assequimur, quoniam, condonandis iniuriis, quodammodo Dei similes efficimur, <sup>4</sup> *qui solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super iustos, et iniustos.*

23. *Quae et quot incommoda ex odio inimicorum proveniant.*

- Tertia ratio. Postremo explicanda sunt incommoda illa, in quae nos tum incidimus, quum iniurias, quae nobis illatae sunt, condonare nolumus. Itaque parochus illis, qui sibi in animum inducere non possunt, ut inimicis ignoscant, ob oculos ponat, odium non solum peccatum grave esse, sed etiam diuturnitate peccandi gravius inhaerere. Quum enim is, in cuius animo hic affectus insederit, inimici sui sanguinem sitiatur; illius ulciscendi spe plenus, dies noctesque in perenni quadam mala mentis agitatione ita versatur, ut numquam a caedis aut nefariae alicuius rei cogitatione cessare videatur. Quo fit, ut is vel num-

Odii perversitas. Vide Th. in 2. 2. q. 34. art. 3. et 4.



quam, vel maximo negotio ad id impellatur, ut aut prorsus ignoscat, aut aliqua saltem ex parte iniurias remittat: quare merito vulnere comparatur, cui telum infixum haeret.

24. *Multa peccata ex odio nasci demonstratur.*

Multa praeterea incommoda et peccata sunt, quae hoc uno odii peccato, tamquam vinculo quodam, coniuncta tenentur; ideoque divus Ioannes in hanc sententiam ita dixit: <sup>1</sup> *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit, quo eat; quia tenebrae obcaecaverunt oculos eius; itaque saepius labatur, necesse est. Etenim quo pacto fieri potest, ut dicta aliquis aut facta illius probet, quem oderit? Hinc temeraria et iniqua iudicia existunt, irae, invidiae, obtreptiones, et alia eiusmodi, quibus illi quoque implicari solent, qui aut cognatione, aut amicitia iuncti sunt. Itaque saepe fit, ut ex uno peccato multa existant. Neque iniuria dicitur <sup>2</sup> hoc peccatum esse diaboli; quandoquidem <sup>3</sup> ipse ab initio homicida fuit. Quamobrem Dei filius dominus noster Iesus Christus, quum sibi mortem Pharisaei afferre cuperent, <sup>4</sup> illos a patre diabolo genitos esse dixit.*

1) Ioann. 2, 11.

2) 1. Ioan. 3,

10. 11.

3) Ioan. 8, 44.

Diabolus homicidii et odii verus patrens.

4) Ioan. 8, 44.

25. *Remedia adversus peccatum odii.*

Sed praeter haec, quae dicta sunt, unde sceleris huius detestandi rationes peti possunt, alia quoque remedia, et ea profecto maxime opportuna, sanctarum litterarum monumentis tradita sunt. Ac primum omnium remedium et maximum est Salvatoris nostri exemplum, quod ad imitandum nobis proponere debemus. Is enim, quum <sup>5</sup> ne minima quidem peccati suspicio in eum cadere posset, virgis caesus, spinis coronatus, et cruci denique affixus, eam habuit orationem plenissimam pietatis: <sup>6</sup> *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Cuius sanguinis adspersionem, testatur <sup>7</sup> Apostolus, melius loquentem, quam Abel.

Christi exemplum valet ad reprimendum odium.

5) Isa. 53, 9.

6) Luc. 23, 34.

7) Hebr. 12, 24.

Alterum autem remedium ab Ecclesiastico propositum est, ut mortem atque illum iudicii diem recordemur. <sup>8</sup> *Memorare, inquit ille, novissima tua, et in aeternum non peccabis.* Quae

Novissimum memoria valet ad odium reprimendum.

8) Eccl. 7, 40.

sententia eodem spectat, ac si dicat: Illud saepe etiam atque etiam cogita, brevi fore, ut mortem obeas: proinde quia tali tempore tibi optatissimum erit, et maxime necessarium, summam Dei misericordiam impetrare, eam tibi ob oculos iam nunc perpetuoque proponas, necesse est: ita enim fiet, ut immanis illa ulciscendi cupiditas tibi exhauriatur, quum ad misericordiam Dei implorandam nullum aptius maiusve remedium invenias, quam oblivionem iniuriarum, et amorem in eos, qui te aut tuos re aut oratione violarint.

## DE SEXTO PRAECEPTO

### CAPUT VII.

#### Non moechaberis.

*1. Quo pertineat istud praeceptum, quaque ratione a parochis tractandum sit.*

Quare post praeceptum de homicidio illud ponatur quod ad adulterium spectat.

De adulterio recte et moderate est loquendum.

Quoniam viri et uxoris vinculum arctissimum est, et nihil utrique iucundius accidere potest, quam intelligere se mutuo quodam et singulari amore diligi; contra nihil molestius, quam sentire a se debitum et legitimum amorem alio transferri; recte quidem atque ordine illam, quae hominis vitam a caede tuetur, legem haec, quae de moechia sive adulterio est, consequitur, ut sanctam illam et honorabilem matrimonii conjunctionem, unde magna charitatis vis existere solet, nemo ullo adulterii scelere violare aut dirimere audeat. Sed tamen in hac ipsa re explicanda cautus admodum sit parochus et prudens, et tectis verbis rem commemoret, quae moderationem potius desiderat, quam orationis copiam. Verendum est enim, ne, dum is late atque copiose nimis explicare studet, quibus modis homines ab huius legis praescripto discedant, in illarum rerum sermonem forte incidat, unde excitandae potius libidinis materia, quam restinguendae illius ratio, emanare solet.

2. *Quae in hoc praecepto iussa comprehendantur.*

Sed quoniam hoc praecepto multa continentur, quae praetermittenda non sunt, ea suo loco explicabuntur a parochis. Eius igitur duplex vis est: altera, qua disertis verbis adulterium vetatur; altera, quae eam sententiam inclusam habet, ut animi corporisque castitatem colamus.

3. *Quid sub nomine moechiae seu adulterii hic prohibeatur.*

Ut autem ab eo, quod prohibitum est, docendi initium sumatur, adulterium est legitimi tori iniuria, sive alienus sive proprius ille sit. Etenim si maritus cum muliere soluta rem habet, suum ipse torum violat; si vero solutus vir alienam uxorem cognoscat, adulterii labe torus alienus inquinatur. Hoc vero adulterii interdicto omnia prohiberi, divi Ambrosius et Augustinus auctores sunt, quaecumque inhonesta sunt et impudica. In hanc sententiam haec verba accipienda esse, ex sacris litteris tum veteris tum novi testamenti licet colligere: nam praeter adulterium alia libidinis genera apud Mosen puniuntur.

4. *Variae libidinum species, quae in scripturis numerantur.*

Est Iudae in <sup>1</sup> Genesi iudicium in nulum suam: est praeclara illa in <sup>2</sup> Deuteronomio Moisis lex, ne de filiabus Israel ulla esset meretrix: exstat praeterea Tobiae ad filium eiusmodi adhortatio: <sup>3</sup> *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione.* Ecclesiasticus item, <sup>4</sup> *Erubescite, inquit, a respectu mulieris fornicariae.* In evangelio etiam Christus dominus inquit, <sup>5</sup> *de corde exire adulteria, et fornicationes, quae coinquinant hominem.* Apostolus vero Paulus hoc vitium saepe multis gravissimisque verbis detestatur: <sup>6</sup> *Haec est, ait, voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione; et: <sup>7</sup> Fugite fornicationem; et: <sup>8</sup> Ne commisceamini fornicariis.* <sup>9</sup> *Fornicatio autem, inquit, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis; et: <sup>10</sup> Neque fornicarii, neque adulteri, neque mol-*

Quid sit adulterium: Grat. 36. q. 1. c. 2. Cum vero.

Hoc praecepto omnem impuram libidinem prohiberi.

D. Ambr. lib. 1. of6c. cap. 50. in fine. D. August. q. 73. super Exod.

Thom. in 2. 2. q. 154. art. 1. 1) Gen. 38. 24. 2) Deut. 23. 16.

3) Tob. 4. 13.

4) Eccl. 41. 25.

5) Matt. 15. 19.

6) 1. Thess. 4. 3.

7) 1. Cor. 6. 18.

8) 1. Cor. 5. 9.

9) Ephes. 5. 3.

10) 1. Cor. 6. 9. 10.

*les, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.*

5. *Cur praecipue in hoc praecepto adulterii sit facta mentio.*

Cur legisla-  
tor omnem  
impuram libi-  
dinem probi-  
biturus pecu-  
liariter adul-  
terii memine-  
rit.

Voluntas pro  
facto hic ha-  
betur.

1) Matt. 5, 27.  
28.

Trid. syn.  
sess. 24. c. 8.  
de reform.

Castitas uni-  
cuique pro  
diversitate sta-  
tus necessario  
servanda.

2) II. Cor. 7, 1.

Castitas in  
triplici homi-  
num genere  
invenitur, vide  
trid. synod.  
sess. 24. de  
matrim. can.

Praecipue vero ob eam rem adulterium di-  
serte vetitum est, quia praeter turpitudinem,  
quae illi cum aliis intemperantiae generibus  
communis est, iniustitiae quoque peccatum non  
solum in proximum, sed etiam in civilem so-  
cietatem adiunctum habet. Est illud item cer-  
tum, qui se a ceterarum libidinum intemperan-  
tia non abstinere, eum ad hanc, quae adulterii  
est, incontinentiam facile labi. Quare hoc adul-  
terii interdicto facile intelligimus, omne impu-  
ritatis et impudicitiae genus, quo polluitur cor-  
pus, prohiberi. Immo vero omnem intimam ani-  
mi libidinem hoc praecepto vetitam esse, tum  
ipsius legis vis significat, quam spiritualem esse  
constat, tum Christus dominus docuit illis ver-  
bis: <sup>1</sup> *Audistis, quia dictum est antiquis: Non  
moechaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis,  
qui viderit mulierem ad concupiscendum eam,  
iam moechatus est eam in corde suo.* Haec sunt,  
quae fidelibus publice tradenda duximus; si tamen  
ea addantur, quae a sancta Tridentina synodo  
in adulteros et eos, qui scorta et pellices alunt,  
decreta sunt, praetermissis multis aliis ac variis  
impudicitiae et libidinis generibus, de quibus  
privatim unusquisque a parochio admonendus  
erit, ut temporis et personarum ratio postula-  
bit. Sequitur nunc, ut ea explicentur, quae iu-  
bendi vim habent.

6. *Quid praeter ea, quae prohibentur, hic necessarium observandum praescribatur.*

Docendi igitur sunt fideles ac vehementer  
hortandi, ut pudicitiam et continentiam omni  
studio colant, <sup>2</sup> mundentque se *ab omni iniqui-  
namento carnis et spiritus, perficientes sancti-  
ficationem in timore Dei.* In primis autem ad-  
monendi sunt, quamvis castitatis virtus in eo-  
rum hominum genere magis eluceat, qui pul-  
cherrimum illud ac plane divinum virginitatis  
propositum sancte et religiose colunt; tamen

iis etiam convenire, qui vel caelibem vitam agunt, vel matrimonio iuncti, à vetita libidine puros se et integros servant.

7. *Quae sint potissimum cogitanda volenti libidines suas edomare.*

Quoniam vero multa a sanctis patribus tradita sunt, quibus docemur domitas habere libidines, et coercere voluptates; ea parochus studeat populo accurate exponere, atque in hac tractatione diligentissime versetur. Haec autem eiusmodi sunt, partim quae in cogitatione consistunt, partim quae in actione. Quod in cogitatione remedium positum est, id in eo maxime versatur, ut intelligamus, quanta sit huius peccati turpitudine et perniciis; qua cognita, facilius fiet eius detestandi ratio. Perniciosum vero scelus esse, intelligi ex eo potest, quoniam propter hoc<sup>1</sup> peccatum e Dei regno pelluntur atque exterminantur homines, quod malorum omnium ultimum est. Et haec quidem calamitas omnium scelerum communis est.

Illud autem huius peccati proprium, quod qui fornicantur, in sua ipsi corpora peccare dicuntur, ex sententia Apostoli ita scribentis: <sup>2</sup> *Fugite fornicationem. Omne enim peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Quod ob eam causam dictum est, quoniam illud iniuriose tractat, quum eius violat sanctitatem. Qua de re ad Thessalonicenses ita divus Paulus: <sup>3</sup> *Haec est enim, inquit, voluntas Dei, sanctificatio vestra; ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes, quae ignorant Deum.*

Deinde, id quod scelestius est, si homo christianus meretrici se turpiter dedat, membra, quae Christi sunt, ea meretricis facit; ita enim divus Paulus ait: <sup>4</sup> *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis, quoniam, qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur? Est praeterea homo chri-*

Castitatis ratio in eo consistit, ut quis a vetita libidine se purum et integrum servet. Quibus cogitationibus remedium adversus libidines sit querendum, quoniamque perniciosa sit libido.

Prima ratio.

<sup>1</sup>) Apoc. 22, 15.  
<sup>2</sup>) Gal. 5, 19, 20.

Secunda ratio.

<sup>2</sup>) 1. Cor. 6, 18.

<sup>3</sup>) 1. Thes. 4.  
<sup>3</sup>. 4. 5.

Tertia ratio.

<sup>4</sup>) 1. Cor. 6, 15.  
<sup>16</sup>.

Quarta ratio.

1) 4. Cor. 6, 19. stianus, ut idem testatur, <sup>1</sup> *templum Spiritus sancti*; quod violare nihil aliud est, nisi ab eo Spiritum sanctum eicere.

8. *Quibus rationibus adulterii enormitatem intelligere liceat.*

In adulterii autem scelere magna inest iniquitas. Si enim, ut vult Apostolus, <sup>2</sup> qui matrimonio iuncti sunt, ita eorum alter alterius potestati mancipatus est, ut neuter sui corporis potestatem iusque habeat, sed mutuo quodam sint inter se quasi servitutis vinculo ita devincti, ut vir ad uxoris voluntatem, contraque

2) I. Cor. 7, 4. Quod suum non est, alteri tradit adulter.

Turpitudinis notam inurit adulterium.

uxor ad viri nutum voluntatemque se accommodare debeat; certe si alteruter corpus suum, quod est alieni iuris, ab eo, cui illud adstrictum est, disiungit, is admodum iniquus est et nefarius. Et quoniam infamiae metus et ad ea, quae iussa sunt, vehementer incitat homines, et a vetitis magnopere deterret; docebit parochus, adulterium hominibus insignem turpitudinis notam inurere. Nam sacris litteris ita pro-

3) Prov. 6, 32. 33.

Lapidibus obruendi, trid. syn. sess. 24. decret. de reform. matrim. c. 8.

4) Levit. 20, 10.

ditum est: <sup>3</sup> *Qui adulter est, propter cordis inopiam, perdet animam suam: turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur.* Verum huius sceleris magnitudo ex supplicii severitate facile perspicui potest. Adulteri enim, <sup>4</sup> lege a Domino in veteri testamento praescripta, obruebantur lapidibus.

9. *Cuiusmodi poenae impuras libidines fere consequi soleant.*

Ob libidinem integra civitas deletur.

5) Gen. 34, 25. 26. 27.

Pentapoleos regia absorbetur.

6) Gen. 19, 24.

7) Num. 25, 4. 8) Iudic. 20. per totum.

Israelitae in deserto trucidantur.

Beniamitae prope delentur

Quin etiam ob unius libidinem, non solum qui scelus admisit, sed universa interdum civitas, <sup>5</sup> ut de Sichimitis legimus, deleta est. Multa divinae animadversionis exempla in sacris litteris prodita sunt, quae ad deterrendos a nefaria libidine homines parochus colligere poterit, <sup>6</sup> ut Sodomae et reliquarum finitimarum urbium interitus; <sup>7</sup> Israelitarum, qui fornicati sunt cum filiabus Moab in deserto, supplicium; <sup>8</sup> Beniamitarum delitio. Qui vero mortem effugiunt, intolerabiles tamen dolores ac poenarum cruciatus, quibus saepe plectuntur, non effugiunt. Nam mente caeci, quae poena gravissima est,

ita fiunt, ut neque Dei, neque famae, neque dignitatis, neque filiorum denique vitaeque suae rationem habeant: hocque pacto adeo nequam et inutiles fiunt, ut nihil grave committi eis debeat, et ad nullum fere officii munus idonei sint. Huius rei exempla a Davide et Salomone petere nobis licet: <sup>1</sup> quorum alter, postquam adulteratus est, repente sui dissimillimus, ex mitissimo crudelis exstitit, ut Uriam optime de se meritum morti obtulerit; <sup>2</sup> alter quum se totum in mulierum libidinem profudisset, ita a vera Dei religione sese avertit, ut alienos deos sequeretur. <sup>3</sup> Aufert igitur, ut Oseas dixit, hoc peccatum cor hominis, saepeque obcaecat. Nunc ad ea remedia veniamus, quae in actione consistunt.

10. *Quibus modis homines ad libidinem incitentur, quos illi evitare praecipue debeant.*

Quorum primum illud est, ut otium maxime fugiamus, in quo Sodomitae homines, <sup>4</sup> ut est apud Ezechielem, quum hebescerent, in spurcissimum illud nefariae libidinis scelus praecipites lapsi sunt.

Deinde crapula magnopere est vitanda: <sup>5</sup> *Saturavi eos, inquit Propheta, et moechati sunt;* quoniam venter expletus et saturatus libidinem parit. Hoc ipsum illis verbis Dominus significavit: <sup>6</sup> *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate;* hoc item Apostolus: <sup>7</sup> *Nolite, inquit, inebriari vino, in quo est luxuria.*

Sed maxime animus ad libidinem oculis inflammari solet; quo pertinet illa Christi domini sententia: <sup>8</sup> *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et proiice abs te.* Multa praeterea sunt prophetarum de eadem re voces, ut est apud Iob: <sup>9</sup> *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Sunt multa denique ac paene innumerabilia exempla malorum, quae ex oculorum aspectu ortum habuerunt. Sic <sup>10</sup> David, sic <sup>11</sup> rex Sichem peccavit; <sup>12</sup> hocque item pacto senes illi Susannae calumniatores deliquerunt.

Homines mente obcaecantur, et ad omnia inepti efficiuntur.

<sup>1</sup>) 2. Reg. XI, 12. per tot.

<sup>2</sup>) 3. Reg. XI, per tot.

<sup>3</sup>) Ose. 4, 11.

De remediis libidinis in actione consistentibus: otia fugenda: crapula vitanda. <sup>4</sup>) Ezeec. 16, 49.

<sup>5</sup>) Ier. 5, 7. Vide Hier. de custodia virg. ep. 22, 34.

<sup>6</sup>) Luc. 21, 34.

<sup>7</sup>) Ephes. 5, 28. Obtutus.

<sup>8</sup>) Matt. 5, 30.

<sup>9</sup>) Iob 31, 1.

<sup>10</sup>) 2. Reg. XI.

<sup>11</sup>) Gen. 34, 2.

<sup>12</sup>) Dan. 13, 8.

11. *Mulierum exquisitus ornatus sermonesque obsceni, et alia luxuriae incitamenta fugienda.*

Ornatus elegans et exquisitus.

1) Eccl. 9, 8.

2) 1. Petr. 3, 3.

3) 1. Tim. 2, 9.

Obscenus sermo.

4) 1. Cor. 15, 33.

Saltationes, et cantus molles.

Libri obsceni. Imagines foedae.

Trid. syn. sess. 25. in decret. de sanctis imaginibus.

Elegantior item ornatus, quo oculorum sensus valde excitatur, occasionem libidini non parvam saepe praebet; ideoque Ecclesiasticus monet: <sup>1</sup> *Averte faciem tuam a muliere compta.* Quum igitur mulieres in nimio ornatus studio versentur, non alienum erit, si parochus aliquam in eo diligentiam adhibeat, ut eas interdum moneat obiurgetque verbis, quae hoc de genere gravissima apostolus Petrus ita protulit: <sup>2</sup> *Mulierum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* Divus Paulus item: <sup>3</sup> *Non in tortis, inquit, crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa.* Multae enim, auro et margaritis adornatae, ornamenta mentis et corporis perderunt.

Hoc autem libidinis incitamentum, quod e vestium exquisito ornatu exsistere solet, alterum sequitur, quod est turpis obscenique sermonis. Nam verborum obscenitate, quasi face quadam subiecta, adolescentum accenduntur animi.

<sup>4</sup> *Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala,* inquit Apostolus: hocque ipsum quum maxime efficiant delicatiores et molliores cantus ac saltationes, ab iis quoque diligenter cavendum est. Quo in genere numerantur item libri obscene et amatorie scripti; qui ita vitandi sunt, ut imagines, quae aliquam turpitudinis speciem praeseferunt, quum ad turpes rerum illecebras, inflammandosque adolescentum animos, vis in illis sit maxima. Sed parochus in primis curet, ut, quae de iis a sacrosancto Tridentino concilio pie religioseque constituta sunt, ea sanctissime serventur. Haec vero omnia, quae commemorata iam sunt, si magno adhibito studio curaque vitentur, omnis fere libidinis materia tollitur.

12. *Confessionis et eucharistiae, et piarum precum usus ad castitatem consequendam est necessarius.*

Castitas re-

Sed ad illius vim opprimendam maxime va-



let frequens confessionis et eucharistiae usus; tam assiduae ac piaae quidem ad Deum preces, cum eleemosynis atque ieiunio coniunctae. Est enim castitas donum Dei, quod recte petentibus non denegat, nec patitur nos tentari supra id, quod possumus.

etc petentibus non negatur. Matth. 19, 12. Gregor. Naz. orat. 31. c. 8. in fine.

13. *Corpus castitatem sectanti domandum.*

Corpus autem non ieiuniis modo, et iis praesertim, quae sancta ecclesia instituit, sed vigiliis etiam, piis peregrinationibus, atque aliis afflictationum generibus exercendum est, sensuumque appetitiones reprimendae. In his enim atque aliis eiusmodi rebus maxime cernitur temperantiae virtus; in quam sententiam ad Corinthios divus Paulus scribit: <sup>1</sup> *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere; et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Et paulo post: *Castigo, inquit, corpus meum, et in servitutem redigo; ne forte quum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Et alio loco: <sup>2</sup> *Carnis curam ne feceritis in desideritiis.*

<sup>1</sup> 1. Cor. 9, 25.

Ibid. 27.

<sup>2</sup> Rom. 13, 14.

## DE SEPTIMO PRAECEPTO

### CAPUT VIII.

#### Non furtum facies.

1. *Quanta sit huius praecepti commendatio, et cum duobus praecedentibus connexio.*

Veterem hunc ecclesiae morem fuisse, ut huius praecepti vis et ratio inculcarentur auditoribus, indicat illa apud Apostolum obiurgatio eorum, qui ceteros ab iis vitiis maxime detererent, quibus ipsi cumulati reperiebantur. <sup>3</sup> *Qui ergo, inquit, alium doces, te ipsum non doces: qui praedicas non furandum furaris.* Quo doctrinae bono non solum frequens illorum temporum peccatum corrigebat, sed etiam turbas ac lites sedabat, aliasque malorum causas, quae furto commoveri solent. In iis et delictis, et de-

<sup>3</sup> Rom. 2, 21.

Utilitas huius doctrinae.

licitorum incommodis atque calamitatibus quum nostra etiam haec aetas misere versetur, ad exemplum sanctorum patrum et christianae disciplinae magistrorum, parochi hunc urgebunt locum, et assidue ac diligenter huius praecepti vim ac sententiam explicabunt. Ac primum officium et diligentiam suam conferent ad declarandum infinitum Dei amorem erga genus humanum; qui non modo illis duobus interdictis: *non occides, non moechaberis*, quasi praesidiis, et vitam corpusque nostrum, et famam existimationemque nostram tueatur; sed etiam hoc praecepto: *non furtum facies*, tamquam custodia quadam externa, res ac facultates munit ac defendat.

2. *Quae sit huic praecepto subiecta sententia.*

Thom. in 1.  
2. q. 100. art.  
5. et in 2. 2.  
q. 122. art. 6.

Hoc praeceptum, ut alia, in duas partes dividitur.

Quam enim haec verba subiectam habent notionem, nisi eam, quam supra diximus, quum de aliis praeceptis loqueremur? vetare videlicet Deum, bona haec nostra, quae in eius tutela sint, a quoquam auferri aut violari. Quod divinae legis beneficium quo maius est, eo nos in ipsius beneficii auctorem Deum gratiores esse oportet. Et quoniam et habendae et referendae gratiae nobis optima ratio proposita est, ut non tantum praecepta libenter auribus accipiamus, sed etiam re ipsa probemus; ad hoc colendum praecepti officium fideles excitandi et inflammandi sunt. Est autem hoc praeceptum, quemadmodum superiora, divisum in duas partes: quarum altera, quae furtum vetat, aperte est enuntiata; alterius sententia et vis, qua iubemur benigni et liberales esse in proximos, in priore occulta est et involuta. De priore igitur prius dicetur: *non furtum facies*.

3. *Quid furti vocabulo hic legislator significatum velit.*

Aug. q. 71,  
in Exod. et 22.  
q. 4. c. Meretrices.

In quo illud animadvertendum est, furti nomine non id modo intelligi, quum occulte ab invito domino aliquid auferatur, sed etiam quum aliquid alienum contra voluntatem scientis domini possidetur: nisi forte existimandum est, eum, qui furtum prohibeat, rapinas factas per

vim et iniuriam non improbare, quum exstet illud Apostoli: <sup>1</sup> *Rapaces regnum Dei non possidebunt*; quorum omnem rationem et consuetudinem fugiendam esse, idem scribit Apostolus. Quamquam vero maius peccatum rapinae sint, quam furtum, quae praeter rem, quam alicui adimunt, praeterea vim afferunt, et maiorem imponunt ignominiam.

<sup>1</sup> 1. Cor. 6, 10.  
Rapina furto est deterior, vide Th. in 2. 2. q. 66. art. 4. et 9.

4. *Quum omnem iniustam rei alienae usurpationem Deus hic prohibere velit, cur potius furti, quam rapinae meminerit.*

Mirandum tamen non est, quod leviori hoc furti nomine notatum sit divinae legis praeceptum, non rapinae. Id enim summá ratione factum est; quia furtum latius patet, et ad plura pertinet, quam rapinae, quas tantummodo illi facere possunt, qui potentia et viribus praestant. Quamquam nemo non videt, exclusis eiusdem generis levioribus peccatis, graviora etiam facinora prohiberi.

Furtum latinis patet, quam rapina. Vide ff. I. et instit. de furtis l. de obligationibus, quae ex delict. nasc. Qui leviora prohibet procul dubio graviora non admittit.

5. *Enumerantur furti latius sumpti species.*

Variis autem nominibus notatur iniusta possessio et usus rerum alienarum, ex varietate eorum, quae et invitis et insciis dominis auferuntur. Nam si privatum quid privato adimitur, furtum dicitur; si surripitur publico, peculatus appellatur; plagiatum vocant, si homo liber vel servus alienus in servitutem abducitur; si vero sacra res eripitur, nominatur sacrilegium. Quod facinus maxime nefarium ac scelestum adeo in mores inductum est, ut bona, quae necessario et sacrorum cultui, et ecclesiae ministris, et pauperum usui pie ac sapienter fuerant attributa, in privatas cupiditates perniciosasque libidines convertantur.

6. *Non illi dumtaxat hoc praeceptum transgrediuntur, qui re ipsa aliena possident, sed etiam animo.*

Sed praeter ipsum furtum, idest externam actionem, furandi etiam animus et voluntas Dei lege prohibetur. Est enim spiritualis lex, quae animum fontem cogitationum et consiliorum inspicit. <sup>2</sup> *De corde enim, inquit Dominus apud sanctum Matthaeum, exeunt cogitationes malae,*

Furandi voluntas etiam prohibetur. Lex, quae christianis est proposita, etiam cogitationum rationem habet.  
<sup>2</sup> Matt. 15, 19.

*homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia.*

7. *Unde potissimum furti gravitatem metiri possimus.*

Bonorum distributio iure gentium introducta est, dist. I. cap. Ius gentium.

Sed quam grave scelus furtum sit, ipsa naturae vis et ratio satis ostendit: est enim iustitiae contrarium, quae suum cuique tribuit. Nam bonorum distributiones et assignationes iam inde ab initio iure gentium constitutas, divinis etiam et humanis legibus confirmatas, ratas esse oportet; ut unusquisque, nisi humanam societatem tollere velimus, ea teneat, quae ei iure obtigerunt. Nam, ut Apostolus ait, <sup>1</sup> *Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Etsi huius sceleris importunitatem et immanitatem permulta declarant, quae furtum consequuntur. Fiunt enim iudicia temere et inconsulto multa de multis; erumpunt odia, suscitantur inimicitiae, existunt interdum acerbissimae innocentium hominum damnationes.

1) I. Cor. 6, 10.

Mala, quae furtum consequuntur.

8. *Quo modo sint ablata necessario restituenda.*

S. Aug. ep. 54. ad Maced. et habetur 14. q. 6. c. 1. et in 6. de usuris cap. Cum et eo, et de reg. iur. c. Peccatum.

Quid dicemus de necessitate, quae divinitus imposita est omnibus, satisfaciendi ei, cui aliquid ademptum sit? *Non enim*, inquit Augustinus, *remitteretur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Quae restitutio, quum quis assueverit ex alienis locupletari, quantam habeat difficultatem, praeter id, quod unusquisque et ex aliorum consuetudine, et de suo sensu iudicare potest, ex testimonio Habacuc prophetae licet intelligere. Ait enim: <sup>2</sup> *Vae ei, qui multiplicat non sua; usquequo et aggravat contra se densum lutum?* Lutum appellat densum, rerum alienarum possessionem, unde emergere et expedit se homines difficile possint. Furtorum autem tam multa sunt genera, ut ea dinumerare sit difficillimum. Quare de his duobus, furto et rapinis, dixisse satis erit; ad quae, tamquam ad caput, reliqua, quae dicemus, referuntur. Ad ea igitur detestanda, et ad fidelem populum a scelesto facinore deterrendum, conferent omnem curam ac diligentiam parochi. Verum huius generis partes persequamur.

2) Habac. 2, 6.

9. *Quae sint praecipua furtorum genera, quique furibus sint adnumerandi.*

Sunt igitur fures etiam, qui furto sublatas res emunt, vel aliquo modo inventas, occupatas aut ademptas retinent. Ait enim sanctus Augustinus: *Si invenisti, et non reddidisti, rapuisti.* Quod si rerum dominus nulla ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda; quae ut restituat, qui adduci non potest, ea re facile probat se undique ablatum omnia, si possit.

Eodem se alligant scelere, qui in emendis vendendisque rebus fraudes adhibent et vanitatem orationis; horum fraudes vindicabit Dominus. Graviorum et iniquiorum in hoc furtorum genere sunt ii, qui fallaces et corruptas merces vendunt pro veris et integris, quive pondere, mensura, numero et regula decipiunt emptores. Est enim in Deuteronomio: <sup>1</sup> *Non habebis in sacco diversa pondera;* et in Levitico: <sup>2</sup> *Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura: statera iusta, et aequa sint pondera, iustus modius, aequisque sextarius.* Est et alio loco: <sup>3</sup> *Abominatio est apud Dominum pondus, et pondus; statera dolosa non est bona.*

Furtum etiam apertum est operariorum et artificum, qui totam et integram mercedem exigunt ab iis, quibus ipsi iustam ac debitam operam non dederunt. Nec vero distinguuntur a furibus servi dominorum, rerumque custodes infidi; quin etiam eo sunt detestabiliores, quam reliqui fures, qui clavibus excluduntur, quod furaci servo nihil domi obsignatum aut oclusum esse potest.

Furtum praeterea facere videntur, qui fictis simulatisque verbis, quive fallaci mendacitate pecuniam extorquent; quorum eo gravius est peccatum, quod furtum mendacio cumulant. Illi quoque in furum numero reponendi sunt, qui, quum ad privatum aliquod vel publicum officium conducti sunt, nullam vel parvam operam

Res furto sublatas emere non licet, nec inventas retinere.

Aug. lib. 50. hom. 9. et de verbis apost. serm. 19. Inventa merito pauperibus dauda c. Cum tu, de usuris.

Mercatores, qui fraude et dolo utuntur, sunt fures.

<sup>1</sup>) Deut. 25, 13.

<sup>2</sup>) Levit. 19, 35.

<sup>3</sup>) Prov. 20, 23.

Operarii, qui non operantur quantum debent, sunt fures, et servi infidi.

Fures etiam sunt ficti mendaci.

Qui muneri suo non satisfaciunt.

navantes, munus negligunt, mercede tantum ac pretio fruuntur. Reliquam furtorum multitudinem a solerti avaritia, quae omnes pecuniae vias novit, excogitatam persequi longum est, et, ut diximus, difficillimum.

10. *Quae sint rapinarum genera, quique raptores dicendi.*

Itaque de rapinis, quod est alterum horum scelerum caput, dicendum videtur, si prius monuerit parochus christianum populum, ut meminerit illius Apostoli sententiae: <sup>1</sup> *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et laqueum diaboli; nec ullo sibi loco patiatur excidere praecipuum hoc:* <sup>2</sup> *Quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Et illud cogitet perpetuo:* <sup>3</sup> *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.*

1) L. Tim. 6, 9.

2) Matt. 7, 12.

3) Tob. 4, 16.

De rapinarum et raptorum generibus.

Primum genus.

4) Iacob. 5, 1.

5) Ibid. 4.

6) Levit. 19, 13.

7) Deut. 24, 14.

8) Malach. 3, 5.

9) Tob. 4, 15.

Rapinae igitur patent latius; nam qui debitam operariis mercedem non persolvunt, sunt rapaces. Quos sanctus Iacobus ad poenitentiam invitat his verbis: <sup>4</sup> *Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseris vestris, quae advenient vobis; cuius poenitentiae causam subiungit:* <sup>5</sup> *Ecce enim merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quae fraudata est a vobis, clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. Quod genus rapinarum in <sup>6</sup> Levitico, <sup>7</sup> Deuteronomio, apud <sup>8</sup> Malachiam, et apud <sup>9</sup> Tobiam vehementer improbatur. In hoc crimine rapacitatis includuntur, qui, quae ecclesiae praesidibus et magistratibus debentur, vectigalia, tributa, decimas, et reliqua huius generis non dissolvunt vel intervertunt, et ad se transferunt.*

11. *Foenerari est rapinam committere, et quam grave scelus illud sit.*

Quid usura, vide c. Plerique etc. Usura 14. q. 3. et tot. q. et sequent.

Huc etiam referuntur foeneratores in rapinis acerrimi et acerbissimi, qui miseram plebem compiland ac trucidant usuris. Est autem usura, quidquid praeter sortem et caput illud, quod datum est, accipitur, sive pecunia sit, sive aliquid aliud, quod emi aut aestimari possit pecunia. Sic enim apud Ezechielem scriptum est:

<sup>1</sup> *Ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit.* Et Dominus apud Lucam: <sup>2</sup> *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Gravissimum semper fuit hoc facinus, etiam apud gentes, et maxime odiosum. Hinc illud: *Quid foenerari? Quid hominem, inquit, occidere?* Nam qui foenerantur, bis idem vendunt, aut id vendunt quod non est.

12. *Iudices venales, et creditorum fraudatores rapinas committunt.*

Item rapinas faciunt nummarii iudices, qui venalia habent iudicia, et, pretio muneribusque deliniti, optimas tenuiorum et egentium causas evertunt. Fraudatores creditorum et inficiatores, quique, sumpto temporis spatio ad solvendum, sua vel aliena fide merces emunt, neque fidem liberant, damnabuntur eodem crimine rapinarum. Quorum etiam delictum gravius est, quod mercatores, illorum destitutionis et fraudationis occasione, magno detrimento civitatis, vendunt omnia carius; in quos illa <sup>3</sup> Davidis sententia videtur convenire: *Mutuabitur peccator, et non solvet.*

13. *Locupletes, qui ablati pignoribus pauperes comprimunt, inter raptores numerantur.*

Quid de locupletibus dicemus iis, qui ab illis, qui solvendo non sunt, quod commodarunt, exigunt acerbius, et pignora etiam ea auferunt contra Dei interdictum, quae ad eorum corpus tuendum sunt necessaria? Deus enim inquit: <sup>4</sup> *Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis eius, nec habet aliud, in quo dormiat: si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.* Horum exactionis acerbiter iure rapacitatem atque adeo rapinas appellabimus.

14. *Fruumenta necessitatis tempore comprimentes sunt raptores.*

Ex numero eorum, qui raptores dicuntur a sanctis patribus, sunt qui in frugum inopia comprimunt frumentum, faciuntque ut sua culpa carior ac durior sit annona; quod etiam valet

Catonis Censoris sententia, quam refert M. T. in 2. offic. extremo. Vide item D. Ambr. lib. de Tobia c. 14.

<sup>3</sup> Ps. 36, 21.

<sup>4</sup> Exod. 22, 26, 27.

De pignoribus multa habes in decret. tit. de pignoribus, et aliis canonibus. Ambr. lib. 3. offic. cap. 6.

1) Prov. 11, 26.  
 Quae lubet  
 hoc praec-  
 eptom, De re-  
 stitutione, et  
 qui ad illam  
 tenentur.  
 Aog. epist.  
 54. ad Maced.

in rebus omnibus ad victum et ad vitam neces-  
 sariis. Ad quos illa Salomonis pertinet exsecra-  
 tio: *Qui abscondit frumenta, maledicetur in  
 populis.* Quos suorum scelerum admonitos pa-  
 rochi liberius accusabunt, ac propositas illis  
 peccatis poenas explicabunt uberius. Haec de ve-  
 titis: nunc ad iussa veniamus, in quibus satisfa-  
 ctio, vel restitutio primum locum habet; pec-  
 catum enim non dimittitur, nisi restituatur abla-  
 tum.

15. *Quoniam ad restitutionem obligari iudicandum sit.*

De restitu-  
 tione vide Th.  
 in 2. 2. q. 62.  
 per tot.

Sed quoniam non is solum, qui furtum fecit,  
 ei, cui furatus est, id debet restituere, sed omnes  
 praeterea, qui furti participes fuerunt, hac lege  
 restitutionis tenentur; aperiendum est, qui sint  
 illi, qui hanc satisfaciendi vel restituendi ne-  
 cessitatem effugere non possint.

Imperantes.

Sunt autem plura hominum genera. Ac pri-  
 mum est eorum, qui furari imperant, qui non  
 modo ipsi sunt furtorum socii et auctores, sed  
 etiam in illo furum genere deterrimi.

Suasentes.

Alterum genus, par voluntate primis, po-  
 testate dispar, in eodem tamen furum gradu  
 ponendum, est eorum, qui quum iubere non pos-  
 sint, suasores sunt atque impulsores furtorum.

Consentientes.

Tertium genus est eorum, qui cum furibus  
 consentiunt.

Participantes.

Quartum genus est eorum, qui participes fur-  
 torum, inde ipsi etiam lucrum faciunt; si lucrum  
 dicendum est, quod, nisi respuerint, eos addicit  
 aeternis cruciatibus, de quibus sic loquitur Da-  
 vid: *Si videbas furem, currebas cum eo.*

Non obstan-  
 tes.

Quintum genus est furum, qui quum furta  
 possint prohibere, tantum abest, ut illis occur-  
 rant et obstant, ut eorum licentiam permit-  
 tant atque concedant.

Non mani-  
 festantes.

Sextum genus est eorum, qui, quum et fur-  
 tum factum, et ubi factum sit, certo sciant,  
 non indicant rem, sed eam se scire dissimulant.

Recipientes,  
 et alli.

Postremum genus est, quod omnes comple-  
 ctitur furtorum adiutores, custodes, patronos,  
 quique illis receptaculum praebent ac domici-  
 lium: qui omnes et satisfacere debent iis, qui



bus aliquid detractum est, et ad illud necessarium officium vehementer cohortandi sunt.

Ne huius quidem sceleris omnino sunt expertes approbatores furtorum et laudatores. Nec vero etiam ab eadem culpa sunt alieni filii familias et uxores, qui pecunias a patribus et viris surripiunt.

Laudantes  
et probantes.

16. *Quid de eleemosynis, quae involute hic etiam praescribuntur, sentiendum.*

Iam vero huic praecepto et illa subiecta sententia est, ut pauperum et inopum misereamur, eorumque difficultates et angustias nostris facultatibus et officiis sublevemus. Quod argumentum quia saepissime et copiosissime tractandum est, petent ea parochi ex virorum sanctissimorum <sup>1</sup> Cypriani, <sup>2</sup> Ioannis Chrysostomi, <sup>3</sup> Gregorii Nazianzeni, et aliorum libris, qui de eleemosyna praeclare scripserunt, quibus huic muneri satisfaciant. Sunt enim inflammandi fideles ad studium et alacritatem opitulandi iis, quibus aliena misericordia vivendum est. Sunt vero etiam docendi, quantam habeat necessitatem eleemosyna, ut videlicet re et opera nostra in egeutes simus liberales, verissimo illo argumento, <sup>4</sup> quod summo illo iudicii die detestaturus sit eos Deus, et sempiternis ignibus addicturus, qui eleemosynae officia praetermiserint ac neglexerint; illos autem collaudatos in caelestem patriam introducturus, qui benigne fecerint indigentibus. Est utraque Christi domini ore pronuntiata sententia: <sup>5</sup> *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum; et: Discedite a me maledicti in ignem aeternum.*

De operibus  
misericordiae  
per eleemosy-  
nas in paupe-  
res.  
Eleemosynae  
necessitas.

<sup>1</sup>) Cyp. in lib.  
de opere et  
elem.

<sup>2</sup>) Chrysostom.  
hom. 22. ad  
pop. antio-  
chen.

<sup>3</sup>) Greg. Naz.  
in orat. 16. de  
pauperum a-  
more.

<sup>4</sup>) Matt. 25. 42.  
43. 46.

<sup>5</sup>) Ibid. 34.

17. *Quibus modis populi ad eleemosynam excitandi.*

Utentur praeterea sacerdotes accommodatis illis ad persuadendum locis: <sup>6</sup> *Date, et dabitur vobis; proferent Dei promissum, quo nihil uberius, nihil magnificentius ne cogitari quidem potest: <sup>7</sup> Nemo est, qui reliquerit domum, etc. qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc, et in saeculo futuro vitam aeternam.* Adiicient illud, quod a Christo domino dictum est: <sup>8</sup> *Facite vobis amicos de mammona ini-*

<sup>6</sup>) Luc. 6. 28.

<sup>7</sup>) Marc. 10. 29.

<sup>8</sup>) Luc. 16. 9.

Variae sunt rationes eleemosynae excendendae.

1) Luc. 6, 35.

2) Ps. CXI. 5.

*quitatis; ut, quum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Huius vero necessarii muneris partes exponent, ut qui largiri non possunt egentibus, quo vitam sustentent, saltem commodent pauperi, iuxta Christi domini praescriptum: <sup>1</sup> *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Atque huius rei felicitatem beatus David expressit: <sup>2</sup> *Iucundus homo, qui miseretur et commodat.*

18. *Ad largiendas eleemosynas, otiique vitandi causa, laborandum est.*

Pium est laborare, ut habeas, unde tribuas necessitatem patienti.

3) 2. Thes. 3, 7.

4) 1. Thes. 4, 11.

5) Ephes. 4, 28.

Est autem christianae pietatis, nisi sit aliunde facultas bene merendi de iis, quibus ad vitium aliena misericordia opus est, vitandi etiam otii causa, labore, opera ac manibus ea quaerere, quibus inopum indigentiam levare possit. Ad id omnes suo exemplo hortatur in epistola ad Thessalonicenses Apostolus illis verbis: <sup>3</sup> *Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos.* Item ad eosdem: <sup>4</sup> *Operam detis, ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut praecepimus vobis.* Et ad Ephesios: <sup>5</sup> *Qui furabatur, iam non furetur; magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.*

19. *Parce vivendum est ad aliorum sublevandam inopiam.*

Nimio sumptu aliis non oportet esse graves.

6) 1. Thes. 2, 9.

7) 2. Thes. 3, 8.

Est etiam frugalitati consulendum, parcendumque bonis alienis, ne ceteris graves aut molesti simus. Quae temperantia saepe quam elucet in omnibus apostolis, sed maxime eminet in divo Paulo, cuius illud est ad Thessalonicenses: <sup>6</sup> *Memores enim estis, fratres, laboris nostri et fatigationis; nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, praedicavimus in vobis evangelium Dei.* Atque idem alio in loco Apostolus: <sup>7</sup> *In labore et in fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus.*

20. *Quibus rationibus populus christianus in detestationem furtorum, et studium benignitatis adducendus sit.*

Sed ut ab universo hoc genere nefariorum

facinorum abhorreat fidelis populus, parochis a prophetis petere, et a reliquis divinis libris sumere par erit detestationem furtorum et rapinarum, et horribiles minas a Deo propositas iis, qui illa scelera committunt. Clamat Amos propheta: <sup>1</sup> *Audite hoc, qui conteritis pauperem, et deficere facitis egenos terrae, dicentes: Quando transibit mensis, et venundabimus merces, et sabbatum, et aperiemus frumentum, ut imminuamus mensuram, et augeamus siclum, et supponamus stateras dolosas?* Sunt in eadem sententia multa apud <sup>2</sup> Ieremiam, in <sup>3</sup> Proverbiis, et apud <sup>4</sup> Ecclesiasticum.

<sup>1</sup>) Amos 8, 4, 5.

<sup>2</sup>) Jer. 5, 21, etc.

<sup>3</sup>) Prov. 21, 6.  
et 22, 16.

<sup>4</sup>) Eccl. 10, 9,  
10. 31 et 35.

17. 18.

Nec vero dubitandum est, quin haec malorum semina, quibus malis opprimatur haec aetas, magna ex parte in his inclusa sint causis. Verum ut assuescant christiani homines prosequi omni liberalitatis ac benignitatis officio egentes et mendicos, quod ad alteram huius praecepti partem pertinet, proferent parochi maxima praemia, quae beneficis et largis, et in hac et in futura vita daturum se Deus pollicetur.

21. *Quid de illis sentiendum sit, qui vano praetextu sua furta et sacrilegia excusant.*

Sed quia non desunt, qui etiam se in furtis excusent, admonendi sunt fore, ut nullam eorum peccati excusationem accipiat Deus; immo vero futurum, ut illa purgatione non modo non levetur peccatum, sed mirum in modum augeatur. Ecce, nobilium hominum non ferendae deliciae, qui culpam extenuare sibi videntur, si se affirmarint, non cupiditate aut avaritia ad detrahendum alteri sua descendere, sed tuendae causa amplitudinis familiae et maiorum suorum, quorum existimatio et dignitas rueret, nisi rerum alienarum accessione fulciretur. Quibus perniciosus error eripiendus est, simulque demonstrandum, unam esse rationem conservandi et amplificandi copias et opes, maiorumque gloriam, si Dei voluntati paruerint, si eius praecepta servarint: quibus contemptis, fundatae et optime constitutae opes evertuntur, reges ex regio solio, et summo gradu honoris praecipites

Primum genus est nobilium quorundam sua furta inani excusatione sui splendoris tegentium, trid. synod. sess. 22. decret. de reform. c. 11.

Mandatorum divinorum observatione opes conservantur et augentur; neglectu habitae etiam evertuntur.

exturbantur; in quorum locum infimi interdum homines, et qui summo in odio illis fuerunt, divinitus vocantur. Incredibile est quantopere his succenseat Deus; cuius rei testis est Isaias, apud quem sunt illa Dei verba: <sup>1</sup> *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Propter hoc ait dominus Deus exercituum, fortis Israel: Eheu, consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis: et convertam manum ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam.*

1) Ioan. I, 23.  
24. 25.

22. *Quo modo iis respondendum, qui commoditate se ad aliena rapienda adigi affirmant.*

Non desunt, qui non iam illam afferant causam splendoris et gloriae, sed victus et vitae commodiorem facultatem et elegantiam. Qui refellendi sunt, docendique quam impia sit eorum et actio et oratio, qui ullam commoditatem anteferant Dei voluntati et gloriae, quam, negligendo eius praecepta, offendimus mirandum in modum. Etsi quae potest esse in furto commoditas, quod summa incommoda consequantur?

2) Ecl. 5, 17.

<sup>2</sup> *Super furem enim, inquit Ecclesiasticus, et confusio, et poenitentia.* Sed fac esse, ut cum illis non agatur incommode: dedecorat fur divinum nomen; repugnat eius sanctissimae voluntati; salutaria ipsius praecepta contemnit; quo ex fonte omnis error, omnis improbitas, omnis fluit impietas.

23. *Quid dicendum sit iis, qui locupletibus spoliandis, vel consuetudine sua furta obtegunt.*

Quid, quod audire licet interdum fures, qui nihil se eo peccare contendunt, quod detrahant aliquid locupletibus et copiosis hominibus, qui ea detractioe nihil damni faciant, ne sentiant quidem? Misera sane et pestifera defensio. Putat alius, satisfactionem suam accipi debere, quod eam furandi consuetudinem cepit, ut non facile possit ab illa mente et actione desistere: qui nisi audierit Apostolum dicentem: <sup>3</sup> *Qui furabatur, iam non furetur, velit, nolit, etiam consuetudinem capiet aeternorum suppliciorum.*

3) Ephes. 4, 28.

24. *Quid rureus illis dicendum sit, qui vel occasione, vel ulciscendi libidine ad furandum induci causantur.*

Nonnulli sunt, qui excusant se, occasione data, alteri aliquid ademisse. Est enim illud tritum sermone proverbium, fures, qui non sint, fieri occasione. Qui hac ratione sunt de nefaria sententia deducendi: resistendum esse pravis cupiditatibus. Nam si continuo est re perficiendum id, quod libido persuaserit; quis modus, quis finis erit scelerum ac flagitiorum? Turpissima igitur est illa defensio, vel summae potius intemperantiae et iniustitiae confessio. Nam qui dicit, se non ideo peccare, quia nullam habet peccandi occasionem; idem propemodum fatetur, se semper, oblata occasione, peccaturum. Sunt, qui furari se dicant ulciscendi causa, quod ab aliis eadem iniuria sint affecti. Quibus ita respondendum est: primum nemini licere iniurias persequi; deinde non posse quemquam rei suae iudicem esse; tum multo minus concedi, ut poenas ab aliis repetant eorum, quae alii in eum peccaverunt.

25. *Quid illis dicendum, qui, ut aere alieno liberentur, furantur.*

Postremo, quidam furtum satis illa ratione defensum tectumque arbitrantur, quod, quum sint aere alieno oppressi, aliter eo liberari non possint, nisi illud furto dissolvant. Quibuscum ita agendum est: nullum esse gravius aes alienum, et quo magis prematur humanum genus, quam debitum illud, cuius in divina precatione quotidie meminimus: <sup>1</sup> *Dimitte nobis debita nostra;* <sup>2</sup> Matt. 6, 12. quare illud insanissimi hominis esse, plus velle Deo debere, idest plus peccare, ut, quod debet hominibus, dissolvat; multoque praestare conici in carcerem, quam mandari suppliciis inferorum sempiternis; longe etiam esse gravius Dei, quam hominum iudicio condemnari; porro autem supplices ipsos ad Dei opem ac pietatem confugere debere, a quo, quod opus sit, possint impetrare. Sunt alia excusationum genera, quibus parochi

- prudentes ac sui officii diligentissimi facile poterunt occurrere, ut aliquando habeant <sup>1</sup> *populum sectatorem bonorum operum.*
- 1) Tit. 2, 14.

## DE OCTAVO PRAECEPTO

### CAPUT IX.

#### Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

##### 1. *Quam utilitatem hoc praeceptum comprehendat.*

- Quantam non modo utilitatem, sed etiam necessitatem habeat assidua huius et praecepti explicatio, et officii admonitio, nos divi Iacobi monet auctoritas illis verbis: <sup>2</sup> *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Et idem: <sup>3</sup> *Lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit;* et quae sequuntur in eandem sententiam. Quibus duo monemur. Primum latissime patere hoc linguae vitium, quod etiam illa Prophetæ sententia confirmatur: <sup>4</sup> *Omnis homo mendax;* ut propemodum sit unum hoc peccatum, quod ad omnes homines pertinere videatur. Alterum, inde proficisci mala innumerabilia, quum saepe, maledici hominis culpa, facultates, fama, vita, animæ salus amittatur, vel eius, qui laeditur, quod contumelias patienter ferre non possit, sed eas impotenti animo persequatur; vel eius, qui laedit, quod pravo pudore, et falsa cuiusdam existimationis opinione deterritus, adduci non possit, ut illi, qui offensus sit, satisfaciat. Quare hoc loco monendi fideles erunt, ut quantas possunt maximas Deo gratias agant de hoc salutari praecepto non dicendi falsi testimonii; quo non solum ipsi aliis iniuriam facere vetamur, sed etiam hac obedientia ab aliorum iniuria prohibemur.
- 2) Iac. 3, 2.  
3) Ibid. 5.
- Linguae vitium quam late pateat, et perniciosum sit.  
4) Ps. 115, 11.

##### 2. *Quae sit huic praecepto subiecta sententia.*

Verum in hoc praecepto eadem ratione et via progrediendum est, qua in ceteris progressi su-

mus, ut videlicet animadvertantur in eo duae leges: altera prohibens, ne falsum dicatur testimonium; iubens altera, ut, simulatione fallaciisque sublatis, dicta et facta nostra simplici veritate metiamur. Cuius officii Apostolus Ephesios illis verbis admonuit: <sup>1</sup> *Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia.*

3. *Quid maxime hoc praecepto caveatur.*

Sed prior huius praecepti pars habet hanc rationem, ut, quamvis nomine falsi testimonii significetur, quidquid in bonam vel in malam partem de altero constanter dicitur sive in iudicio, sive extra iudicium; tamen praecipue prohibeatur illud testimonium, quod in iudicio, falso dicitur a iurato. Iurat enim per Deum testis, quod ita testificantis, et divinum nomen interponentis oratio plurimum fidei habet et ponderis. Itaque quia periculosum est hoc testimonium, idcirco praecipue prohibetur. Iuratos enim testes, nisi exceptionibus legitimis excludantur, aut eorum aperta sit improbitas et perversitas, ne iudex quidem ipse potest reiicere, praesertim quum exstet iussum divinae legis, <sup>2</sup> ut in ore duorum vel trium stet omne verbum. Sed ut praeceptum fideles plane intelligant, docendi erunt, quid significet hoc *proximi* vocabulum, in quem falsum testimonium dicere minime licet.

4. *Quis proximi nomine hic designetur.*

Est autem proximus, ut ex Christi domini doctrina colligitur, <sup>3</sup> quicumque eget opera nostra, sive ille propinquus sit, sive alienus, sive civis, sive advena, sive amicus, sive inimicus. Nefas enim est existimare, contra hostes licere falsum aliquid dicere pro testimonio, <sup>4</sup> quos iussu Dei ac domini nostri diligere oporteat. Quin etiam, quia sibi quisque quadam ratione proximus est, nemini fas est falsum in se testimonium dicere; quod qui committant, sibi ipsi notam inurentes ignominiae ac turpitudinis, et seipsos et ecclesiam laedunt, cuius sunt membra; quo modo etiam, qui sibi mortem consciscunt, nocent civitati; ita enim est apud sanctum Augustinum: *Nec recte intelligentibus poterat videri, non*

Duae leges una hoc praeceptum, ut in illis, comprehenduntur. 1) Ephes. 4, 15.

Vide Thom. in 1. 2. q. 10. art. 5. et 2. 2. q. 1. 2. art. 6.

Testis iurandi religione interpositus testatur c. De testib. leg. iurisiurandi etc. Quoties de testibus, et attestatiis, iurati testes non possunt in iudicio reprobari. 1) Deut. 19, 15. Matt. 18, 16. 2. Cor 13, 1.

3) Luc. 10, 36. 37. Vide August. ep 51. ad Maced et lib. 1. de doctrina christiana c. 30.

4) Matt. 5, 44.

S. Aug. lib. 8. de civ. Dei c.

20. et habetur  
22. q. 5. c. Si  
non licet.

Vide Thom.  
in 2. 2. q. 7.  
art. 1. et 110.  
art. 2. et 3.

S. Aug. lib.  
de mendacio  
c. 12. et 13.

1) 1. Cor. 15,  
15.

Iudex falsis te-  
stibus addu-  
ctus contra ius  
iudicare com-  
pellitur, cap.  
Pastoralis de  
offic. et pot-  
est. iud. deleg.  
Thom. 2. 2.  
q. 67. art. 2.

Pilatus scie-  
bat quod per  
invidiam etc.  
Vide Nico-  
laum de Lira  
cum omnibus  
Scotistis.

*esse prohibitum, ut adversus seipsum quisquam falsus testis assisteret, eo quod in praecepto additum fuit: contra proximum tuum. Sed non ideo, si adversus seipsum quisque falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se putet alienum; quando regulam diligendi proximi a semetipso dilector accepit.*

*5. In utilitatem proximi falsum testari aut mentiri non licet.*

Verum quia prohibemur proximum laedere falso testimonio, nemo propterea contrarium permitti nobis arbitretur, ut peierando liceat conciliare ei, qui nobiscum natura ac religione coniunctus sit, aliquid utilitatis aut commodi. Nemini enim mendacio et vanitate, multo minus periurio studendum est. Quare sanctus Augustinus de mendacio ad Crescentium docet ex Apostoli sententia, mendacium in falsis testimoniis numerandum esse, *etiamsi in cuiusquam falsa laude dicatur.* Nam locum illum tractans: *Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt; Falsum, inquit, testimonium vocat Apostolus, si quis de Christo, et quod ad eius laudem videtur pertinere, mentiatur.*

*6. Quot mala falsum testimonium in gratiam alterius prolatum consequantur.*

Saepe vero etiam contingit, ut, qui alteri favet, obsit alteri. Certe errandi causa affertur iudici, qui interdum falsis testibus adductus, contra ius secundum iniuriam statuit et iudicare cogitur. Nonnumquam etiam fit, ut, qui ob falsum alicuius testimonium causam iudicio vicerit, idque impune tulerit, exultans iniqua victoria, assuescat corrumpere et adhibere falsos testes; quorum opera sperat se posse ad id, quodcumque concupierit, pervenire. Est vero id et ipsi testi gravissimum, quod et ab eo, quem iureiurando sublevarit et adiuverit, falsus et periurus agnoscitur; et ipse, quod ei e sententia succedit scelus, quotidie maiorem exercitationem et consuetudinem capit impietatis et audaciae.



7. *Peccata eorum omnium, qui iudicia tractant, et in universum omne mendacium hoc praecepto prohibetur.*

Ut igitur testium vanitas, mendacia et per-  
iuria prohibentur, sic et accusatorum, et reorum,  
et patronorum, cognitorum, et procuratorum,  
advocatorum, et omnium denique, qui iudicia  
constituunt. Postremo vetat Deus omne testimo-  
nium non modo in iudicio, sed etiam extra iu-  
dicium, quod alteri incommodum aut detrimen-  
tum possit afferre. Est enim in Levitico, quo  
loco haec praecepta iterantur, his verbis: <sup>1</sup> *Non  
facietis furtum; non mentiemini, nec decipiet  
unusquisque proximum suum: ut nemini dubium  
esse possit, quin a Deo omne mendacium hoc  
praecepto eiectum condemnetur; quod apertis-  
sime testatur David in hunc modum: <sup>2</sup> *Perdes  
omnes, qui loquuntur mendacium.**

Advocatorum  
et procurato-  
rum iniqua  
actio prohibe-  
tur.

Levit. 19, 11.

Omne men-  
dacium hoc  
praecepto ve-  
tatur.

<sup>1</sup>) Ps. 5, 7.

8. *Hoc praeceptum ad detractionis vitium etiam exten-  
ditur.*

Prohibetur autem hoc praecepto non modo  
falsum testimonium, sed detestabilis etiam libido  
et consuetudo detrahendi alteri; qua ex peste  
incredibile est, quam multa et quam gravia et  
incommoda et mala nascantur. Hoc vitium ma-  
ledice et contumeliose dicendi occulte in alte-  
rum, passim improbant divinae litterae. <sup>2</sup> *Cum  
hoc, inquit David, non edebam; et sanctus Ia-  
cobus: <sup>3</sup> *Nolite detrahere alterutrum, fratres mei.*  
Nec vero praecepta solum sacrae litterae, sed  
etiam exempla suppeditant, quibus sceleris ma-  
gnitudo declaratur. Nam et <sup>4</sup> *Aman, confictis cri-  
minibus, adeo incendit in Iudaeos Assuerum, ut  
is omnes eius gentis homines imperarit occidi.*  
Referta est huiusmodi exemplis sacra historia;  
quorum commemoratione sacerdotes operam da-  
bunt, ut fideles a rei improbitate deterreant.*

Detractionis  
vitium  
quam detesta-  
bile, vide Th.  
in 2. 2. q. 73.  
art. 1. et 2.

<sup>2</sup>) Ps. 100, 5.

<sup>3</sup>) Iacob. 4, 11.

<sup>4</sup>) Esther. 13.  
per totum.

9. *Quinam in obtrectatorum numerum sint referendi.*

Ut autem peccati huius vis, quo de altero  
detrahitur, omnino perspiciatur, sciendum est,  
non tantum adhibenda calumnia offendi hominum  
existimationem, sed et augendis amplificandisque

Detractores  
sunt qui pec-  
cata aliorum  
vel augent,  
vel publicant.

Haeretici  
obtrectatorum  
genus pessimum.

criminibus. Et si quid occultius ab aliquo commissum sit, quod ubi rescitum fuerit, grave aut turpe sit ad famam; eam rem qui, ubi, quando, quibus necesse non sit, pervulgarit, is obtrectator et maledicus iure dicitur. Verum totius obtrectationis nulla capitalior est, quam eorum, qui catholicae doctrinae eiusque praedicatoribus obtrectant. In simili culpa sunt, qui malorum doctrinarum et errorum magistros extollunt laudibus.

10. *Qui audiunt detrahentes, vel inter amicos dissidia serunt, sunt detractores.*

S. Hier. in ep. ad Nep. circa finem. S. Bern. l. 1. de consid. ad Ed. Eugen. in fin.

Hac parte nostri temporis haeretici excellunt.

Nec vero ab horum hominum numero et culpa seiunguntur, qui detrahentibus et maledicentibus hominibus patefacientes aures, non reprehendunt obtrectatores, sed illis libenter assentiuntur. *Detrahere enim, vel detrahentem audire*, scribunt sancti Hieronymus et Bernardus, *utrum damnabilius sit, non facile constat*: non enim essent, qui detraherent, si non adessent, qui detrahentes audirent. In eodem genere sunt, qui suis artificiosis distrahunt homines, et inter se committunt, magnopereque serendis discordiis delectantur; ut summas coniunctiones ac societates fictis sermonibus dirimentes, amicissimos viros ad immortales inimicitias et ad arma compellant. Hanc pestem sic detestatur Dominus: <sup>1</sup> *Non eris criminator, neque susurro in populo*: Tales erant multi ex consiliariis Saulis <sup>2</sup>, qui eius voluntatem a Davide alienare, et in illum regem incitare conabantur.

1) Levit. 19, 16.

2) 1. Reg. 12, 6.7. etc. 24, 10.

11. *Assentatio hac lege etiam interdicta est.*

Assentatores quam sint reprehendendi ac fugiendi.

Peccant denique in hanc partem blandi homines et assentatores, qui blanditiis et simulatis laudibus influunt in aures et in animos eorum, quorum gratiam, pecuniam et honores aucupantur, dicentes, ut est apud Prophetam, <sup>3</sup> *malum bonum, et bonum malum*. Quos ut arceamus et pellamus a consuetudine nostra, monuit nos David illa oratione: <sup>4</sup> *Corripiet me iustus in misericordia, et increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*. Quamquam enim isti proximo minime maledicunt; tamen ei

3) Isa 5, 20.

4) Ps. 140. 5.

maxime nocent, qui, vel laudandis eius peccatis, afferunt ipsi causam perseverandi in vitiis, quamdiu vixerit. Et quidem in hoc genere illa est assentatio deterior, quae ad proximi calamitatem et perniciem adhibetur. Sic Saul, quum Davidem furori et ferro Philistaeorum obicere cuperet, ut occideretur, ei blandiebatur illis verbis: <sup>1</sup> *Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi uxorem; tantummodo esto vir fortis, et proeliare bella Domini*. Sic Iudaei insidiosa oratione Christum dominum sunt affati: <sup>2</sup> *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces*.

Genus assentationis perniciosissimum.

<sup>1</sup>) 1. Reg. 18. 17.

<sup>2</sup>) Matt. 22, 16.

19. *Amici quo modo amico periculose aegrotanti perniciosae assententur.*

Longe autem perniciosior est oratio amicorum, affinium et cognatorum, qua ad eos interdum utuntur assentatorie, qui mortifero morbo affecti iam sint extremo spiritu, dum affirmant nullum esse tum ei a morte periculum; dum laetum et hilarem esse iubent, eumque a peccatorum confessione, tamquam a tristissima cogitatione, deterrent; dum denique eius animum avertunt ab omni cura et meditatione extremorum periculorum, in quibus maxime versatur. Quare fugiendum est omne mendaciorum genus, sed illud in primis, quo gravi damno quisquam affici possit. Plenissimum vero impietatis est mendacium, quum quis in religionem vel de religione mentitur.

Mentiri de religionis rebus perniciosissimum. Thom. in 2. 2. quæst. 100. art. 4.

13. *Impingunt etiam in hoc praeceptum libellorum famosorum auctores, ioco vel officii causa mentientes, et hypocritae.*

Sed illis etiam maledictis et probris graviter offenditur Deus, quae committuntur libellis, quos famosos vocant, et aliis huius generis contumeliis.

Libelli famosi prohibiti, vide Bullam Pii V. quae incipit, Romani; et Gregorii XIII. quae incipit, Ea est rerum.

Praeterea ioco vel officii causa fallere mendacio, etsi nemo in illo vel damnum vel lucrum fecerit, tamen omnino indignum est. Ita enim nos Apostolus admonet: <sup>3</sup> *Deponentes mendacium, loquimini veritatem*. Nam in eo est ad frequens graviusque mendacium magna proclivitas, et ex iocosus mendacii capiunt homines men-

Mendacium iocosum et officiosum prohibetur. Vide Thom. in 2. q. 110. cap. 3. et 4. <sup>3</sup>) 1. Ephes. 4. 25.

tiendi consuetudinem, unde veniunt in opinionem, non esse veraces: quamobrem, ut fidem faciat eorum oratio, necesse habent iurare perpetuo.

De simulatione, seu hypocrisis, vide Thom. in 2. q. 111. per totum.

Arist. lib. I. Per. cap. I.

1) Matt. 23, 7. et alibi saepe.

Postremo, priore parte huius praecepti simulatio repudiatur, nec modo quae simulate dicuntur, sed quae ita fiunt, cum scelere coniuncta sunt. Tam enim verba, quam facta, notae ac signa quaedam sunt eorum, quae sunt in animo cuiusque; ob eamque causam Dominus saepe Pharisaeos arguens, <sup>1</sup> hypocritas appellat. Et haec de priore praecepti lege, quae ad vetandum spectat. Nunc explicemus, quid in altera iubeat Dominus.

14. *Quidnam in altera legis huius parte verbis involuta de iudiciis forensibus praescribatur.*

2) Rom. 14, 4. Forensia iudicia, iuste, et secundum praescriptas leges exercenda.

3) Act. 6, 9.

4) Act. 16, 38.

5) Exod. 23, 7. Indices non debent moveri pravis ad iudicandum affectibus.

6) Dent. 1, 16. 17.

Pertinet autem haec praecepti vis et ratio ad id, ut iuste et ex legibus forensia iudicia exercentur, neve occupent homines et usurpent iudicia. <sup>2</sup> Non enim fas esse alienum servum iudicare, scribit Apostolus; ne, re et causa incognita, sententiam ferant. Quo in vitio fuit sacerdotum et scribarum consilium, <sup>3</sup> qui de sancto Stephano iudicarunt; quod item peccatum fuit magistratus Philippensium, de quibus inquit Apostolus: <sup>4</sup> *Caesos nos publice, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem, et nunc occulte nos eiiciunt.* Ne <sup>5</sup> condemnent innocentes, aut nocentes absolvant; ne pretio aut gratia, ne odio aut amore moveantur. Sic enim Moses seniores admonet, quos populi iudices constituerat: <sup>6</sup> *Quod iustum est, iudicate; sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum: nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.*

15. *Rei, per legitimum magistratum interrogati, non possunt mentiri.*

Thom. in 2. q. 60, art. 2. 7) Ios. 7, 19.

De reis autem et sontibus, vult eos Deus verum confiteri, quum ex iudicii formula interrogantur. Est enim testimonium ac praedicatio quaedam, illa confessio laudis et gloriae Dei, ex ipsius Iosue sententia, qui Achan ad veri confessionem adhortatus inquit: <sup>7</sup> *Fili mi, da gloriam*

*domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi, quid feceris; ne abscondas.*

16. *Quodnam sit testium officium.*

Sed quoniam hoc praeceptum testes potissimum attingit, de his etiam a parochio diligenter agendum erit. Nam praecepti vis ea est, ut non solum prohibeat falsum testimonium, sed verum etiam dici imperet. Est enim in humanis rebus maximus usus veri testimonii, quod sunt innumerabiles res, quas a nobis ignorari necesse sit, nisi eas ex testium fide cognoscamus. Quare nihil tam necessarium est, quam testimoniorum veritas in iis rebus, quas nec ipsi scimus, neque tamen licet ignorare. De quo exstat illa sancti Augustini sententia: *Qui veritatem occultat, et qui prodit mendacium, uterque reus est: ille, quia prodesse non vult; hic, quia nocere desiderat.* Licet vero interdum verum tacere, sed extra iudicium; nam in iudicio, ubi testis legitime interrogatur a iudice, vera omnino patefacienda sunt. Quo loco cavendum tamen est testibus, ne suae memoriae nimium confisi, quod exploratum non habent, id pro certo affirmant. Reliqui sunt patroni causarum et advocati, actores deinceps et petitores.

Testimonia  
falsa prohibenda.  
Testimonii  
veri maximus  
usus.

S. Aug. in  
ep. ad Casulanum, et habet,  
11. q. 5. cap.  
Quisquis. Vide  
Thom. in 2. 2.  
q. 70. art. 1.  
Extra iudicium licet interdum tacere  
verum.

17. *Qua ratione advocati et causarum procuratores suum officium explere poterunt.*

Illi igitur opera ac patrocinio suo non deerunt necessariis hominum temporibus, et egentibus benigne subvenient: tum iniustas causas defendendas non suscipient, neque calumnia lites protrahent, nec alent avaritia. Quod ad mercedem attinet laboris et operae suae, illam iure et aequo metiantur.

Advocatus  
tempore necessitatis pauperi debet patrocinari 36.  
d. cap. Pasce.  
Thom. 2. 2.  
q. 71. art. 1.

18. *Petitores et accusatores quo pacto suo officio non recte fungantur.*

Petitores vero et accusatores monendi sunt, ne cuiquam, amore, aut odio, aut cupiditate aliqua adducti, periculum iniquis criminationibus creent. Iussum hoc denique divinitus descriptum est piis omnibus, ut in congressibus et colloquiis vere semper et ex animo loquantur; nihil dicant, quod alterius existimationi possit officere, ne de

Petitores non  
debent malo  
animo reum in  
ius vocare c.  
Cum minister  
23. q. 5.

illis quidem, a quibus laedi se et exagitari intelligunt; quum illud propositum habere debeant, sibi cum illis eam necessitudinem et societatem intercedere, ut membra sint eiusdem corporis.

19. *Quibus rationibus christiani ad agnitionem foeditatis, quae mendacio inest, perducī poterunt.*

Ut autem libentius hoc mendacii vitium caveant fideles, proponet eis parochus summam huius sceleris miseriam ac turpitudinem. Nam in sacris litteris *mendacii pater* daemon dicitur:

1) Ioan. 8, 44. <sup>1</sup> quod enim daemon *in veritate non stetit, mendax est, et mendacii parens.*  
Vide Aug. tr. 43. in Ioan.

Adiunget ad eiiciendum tantum flagitium ea mala, quae mendacium consequuntur; et, quoniam sunt innumerabilia, fontes et capita incommodorum et calamitatum demonstrabit. Ac primum, in quantam cadat Dei offensionem, quantumve eius odium incurrat homo vanus et mendax, Salomonis auctoritate declarabit eo loco:

Deus odit mendacium.  
2) Prov. 6, 16. seqq.

<sup>2</sup> *Sex sunt, quae odit Dominus, et septimum detestatur anima eius: oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, profertentem mendacia, et testem fallacem, et quae sequuntur. Quis igitur ei praestet incolumitatem, qui in insigni odio sit apud Deum, quominus gravissimis afficiatur suppliciis?*

20. *Quae incommoda mendacia humanas societati inferant.*

Deinde, quid impurius aut foedius, ut sanctus inquit Iacobus, <sup>3</sup> quam in eadem lingua, qua benedicimus Deum, et Patrem, maledicere homines, qui ad imaginem et similitudinem Dei facti, ita ut fons de eodem foramine emanet dulcem et amaram aquam? Quae enim lingua prius laudem et gloriam Deo tribuebat, postea, quantum in ea est, eum ignominia afficit ac dedecore mentiundo.

Chrysost. hom. 14. epist. ad epbes.

Mendaces caelesti beatitudine excluduntur.

4) Ps. 14, 1. 3.

Quare fit, ut a caelestis beatitudinis possessione mendaces excludantur. Quum enim in hunc modum quaereret a Deo David: <sup>4</sup> *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* respondit Spiritus

sanctus: *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolium in lingua sua.*

Maximum vero etiam illud in mendacio incommodum est, quod fere est insanabilis is animi morbus. Quum enim peccatum, quod, inferendo falso crimine, aut proximi famae et existimationi obtrectando, commissum sit, non remittatur, nisi calumniator ei, quem criminatus fuerit, satisfaciat iniuriarum; id autem difficile fiat ab hominibus, primo, ut antea monuimus, pudore, et inani quadam dignitatis opinione deteritis: qui in eo peccato sit, hunc addictum esse aeternis infernorum poenis, dubitare non possumus. Neque enim quisquam speret, se calumniarum vel obtrectationis veniam consequi posse, nisi prius ei satisfaciat, de cuius dignitate et fama, aut publice in iudicio, aut etiam in privatis et familiaribus congressibus aliquid detraxerit.

Mendacium morbus insanabilis.

Restituenda est fama, quae per detractum diminuta est. Greg. lib. 5. ep. 3a.

Praeterea, latissime patet hoc detrimentum, et in ceteros diffunditur: quia vanitate et mendacio fides ac veritas tolluntur, arctissima vincula societatis humanae; quibus sublatis, sequitur summa vitae confusio, ut homines nihil a daemouibus differre videantur.

Mendacia rebus humanis magnum detrimentum afferunt.

Docebit porro, vitandam esse loquacitatem, parochus; cuius vitiatione et reliqua peccata fugiuntur, et est magna cautio mendacii: a quo vitio loquaces sibi haud facile temperare possunt.

Loquacitas fugienda.

21. *Vanae mendaciorum excusationes diluuntur.*

Postremo iis illum errorem eripiet parochus, qui se in vanitate orationis excusant, et mendacium, prudentium exemplo, defendunt; quorum esse aiunt, mentiri in tempore. Dicit id, quod verisimum est, <sup>1</sup> *prudentiam carnis mortem esse*. Hortabitur auditores, ut in difficultatibus et angustiis Deo confidant, neque ad artificium mentiendi confugiant: nam illo qui utuntur perfugio, facile declarant, se sua magis niti prudentia, quam in Dei providentia spem ponere.

Ob nullam mentiendum est commoditatem.

1) Rom. 8, 6.

Qui causam sui mendacii conferunt in eos, a quibus sunt mendacio decepti, ii docendi sunt non licere hominibus se ipsos ulcisci, <sup>2</sup> neque

2) Rom. 12, 17. et 1. Petr. 3, 9.

1) Rom. 12, 21. malum malo compensandum esse, <sup>1</sup> sed potius vincendum in bono malum; quod si etiam fas esset, hanc referre gratiam, nemini tamen utile, se suo ulcisci detrimento; esse autem id gravissimum detrimentum, quod mendacio dicendo facimus.

Contra eos, qui humanam fragilitatem opponunt vel consuetudinem.

Qui consuetudine peccant, gravius delinquant, quam ceteri. Vide Aug. lib. I. de sermon. Domini in monte cap. 13.

Iis, qui afferunt humanae naturae imbecillitatem et fragilitatem, tradendum erit hoc officii praeceptum, ut divinum auxilium implerent, nec infirmitati humanitatis obtemperent.

Qui consuetudinem opponunt, admonendi sunt, si mentiri assueverunt, ut dent operam, ut contrariam consuetudinem capiant vere loquendi; praesertim quum, qui usu et consuetudine peccant, gravius delinquant, quam ceteri.

22. *Propter aliorum mendacium non est mentiendum.*

Et quoniam non desunt, qui se tegant excusatione ceterorum hominum, quos passim mentiri et peierare contendunt; hac ratione illi ab ea opinione deducendi sunt, non esse imitandos malos, sed reprehendendos et corrigendos: quum autem ipsi mentimur, minus auctoritatis in reprehensione et correctione alterius nostram habere orationem. Alios se ita defendentes, quod vera dicendo, saepe incommodo sint affecti, sic refellent sacerdotes, esse illam accusationem, non defensionem; quum sit officium christiani hominis, quamvis potius facere iacturam, quam mentiri.

23. *Mendacium neque iocosum, neque utile admitendum.*

Vide Thom. in 2. 2. q. 110. art. 2. et 3.

Restant duo genera eorum, qui se in mendacio excusent: alteri, qui dicant se ioci causa mentiri; alteri, se idem facere utilitatis gratia, quippe qui bene nec emerent, nec venderent, nisi mendacium adhiberent: utrosque a suo errore parochi avertere studebunt. Ac superiores quidem illos a vitio abducent, et docendo quantum eo in genere peccandi consuetudinem augeat usus mentiendi, et illud inculcando, <sup>2</sup> omnis otiosi verbi reddendam esse rationem; proximos autem hos acerbius etiam obiurgabunt, quorum in excusatione gravior insit illorum ipsorum accusa-

2) Matt. 12, 36.



tio, qui praeseferant, se minime illis Dei verbis fidem et auctoritatem tribuere. <sup>1</sup> *Quaerite primum regnum Dei, et iustitiam eius; haec omnia adiicientur vobis.* <sup>1) Matt. 6, 33.</sup>

## DE IX. ET X. PRAECEPTO

## CAPUT X.

**Non concupisces domum proximi tui: non desiderabis uxorem eius, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quae illius sunt.**

1. *Quo pacto nonum hoc et decimum praeceptum octo reliqua comprehendere videantur.*

In his duobus praeceptis, quae postremo loco tradita sunt, illud in primis sciendum est, rationem fere constitui, qua cetera praecepta servantur. Nam quod his verbis praescriptum est, eo spectat, ut, si quis studet superiora legis iussa servare, hoc maxime faciat, *ne concupiscat*; quoniam qui non concupiscet, suis contentus, aliena non appetet, aliorum commodis gaudebit, Deo immortalis gloriam tribuet, gratias eidem maximas aget, sabbatum colet, id est quiete perpetua fructur, maioresque venerabitur; neminem denique neque re, neque verbis, neque ullo alio modo laedet. Nam <sup>2</sup> stirps ac semen malorum omnium est prava concupiscentia; qua qui incensi sunt, praecipites feruntur in omne flagitiorum et scelerum genus. His animadversis, et parochus in his, quae sequuntur, tradendis diligentior, et fideles ad audiendum erunt attentiores.

2. *Quo pacto duo illa praecepta inter se differant.*

Sed quamquam haec duo praecepta coniunxerimus, propterea quod, quum non dissimile sit eorum argumentum, eandem docendi viam habent; parochus tamen et cohortando et monendo poterit communiter vel separatim, ut commodius ei videbitur, ea tractare. Sin autem

Quomodo ex concupiscentia oriatur transgressio omnium mandatorum, indicat Paulus Rom. 7, 7. 8. 9. Non licet videre, quod non licet concupiscere: non licet concupiscere quod non licet habere. Gregor. lib. 21. Marc. c. 4, 19. 1) I. Tim. 6, 10. Iacob. 4. I. seqq.

Semen omnium scelerum est prava concupiscentia.

Nono praecepto cupiditas inordinata lucri prohibetur.

Decimo autem cupiditas impurae voluptatis vetatur.

decalogi interpretandi munus suscepit, demonstrabit quae sit horum duorum praeceptorum dissimilitudo, quidve una concupiscentia ab altera differat; quam differentiam libro quaestionum in Exodum divus Augustinus declarat. Nam ex iis altera solum spectat, quid utile sit, quid fructuosum; alteri propositae sunt libidines et voluptates. Si quis igitur fundum aut domum concupiscit, is lucrum potius, et quod utile est, consecratur, quam voluptatem; si vero alienam uxorem appetit, non utilitatis, sed voluptatis cupiditate ardet.

Aug. q. 77.  
in Exod.  
Vide Item  
D. Thom. in  
2. 2. q. 132.  
art. 6. ad 3.  
at 4.

3. Num sexto et septimo praecepto satis fuerit explicatum, quod his duobus postremis comprehenditur.

Nonum et decimum praeceptum illustrant sextum et septimum.

Legis Moysis quidam interpretes sexti praecepti sententiam perverterunt.

Matt. 5, 27. 28.

Novo et decimo praecepto quaedam explicitè vetantur, quae sexto et septimo a parte non vetantur. Vide aliam rationem apud D. Thom. in 1. 2. q. 10, art. 5, ad 5. 6.

Verum horum praeceptorum duplex fuit necessitas. Altera, ut sexti septimique praecepti sententia explicaretur; nam etsi quodam naturae lumine intellectum est, alienae uxoris potiundae cupiditatem prohiberi, vetito adulterio; nam si concupiscere liceret, fas item esset potiri; tamen plerique ex Iudaeis, peccato obcaecati, in eam opinionem adduci non poterant, ut crederent, id a Deo prohibitum esse; immo vero, lata et cognita hac Dei lege, multi, qui se legis esse interpretes profitebantur, in eo errore versati sunt: id, quod animadvertere licet ex illo Domini sermone apud sanctum Matthaeum: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non moechaberis: ego autem dico vobis, et quae sequuntur.* Altera est horum praeceptorum necessitas, quod aliqua distincte explicataque vetantur, quae sexto et septimo explicata non prohibebantur. Nam, exempli causa, septimum praeceptum prohibuit, ne quis iniuste concupiscat aliena, aut eripere conetur; hoc autem vetat, ne ullo modo quis concupiscat, etsi iure legeque assequi id possit, ex cuius adeptione proximo damnum importari videat.

4. Quale quantumque sit Dei beneficium, quod nobis legis huius mandato, est collatum.

Quomodo concupiscentia sit infinita, declarat

Sed illud in primis, antequam ad praecepti explicationem veniamus, fideles docendi erunt, nos hac lege non ad id solum institui, ut cupi-

ditates nostras cohibeamus, sed etiam Dei erga nos pietatem, quae immensa est, cognoscamus. Nam quum superioribus legis praeceptis nos quibusdam quasi praesidiis muniisset, ne quis nos ipsos aut nostra violaret; hoc adiuncto praecepto, illud maxime providere voluit, ne appetitionibus nostris nos ipsi laederemus: quod facile futurum fuit, si omnia cupere atque optare liberum nobis atque integrum esset. Hac igitur non concupiscendi lege praescripta, illud a Deo provisum est, ut cupiditatum aculei, quibus ad pernicioosa quaeque incitari solemus, huius legis vi quodam modo excussi, nos minus urgeant; maiusque propterea temporis spatium nos, molesta illa cupiditatum sollicitudine liberati, ad ea praestanda pietatis et religionis officia habeamus, quae ipsi Deo multa maximaque debemus.

Thom. in I.  
2. q. 30. art. 4.

5. *Quod discrimen haec duo praecepta inter leges divinas et humanas esse insinuent.*

Neque id solum haec lex nos docet, verum etiam illud ostendit, legem Dei eiusmodi esse, quae non externis solum munerum functionibus, sed etiam intimo animi sensu servanda sit: hocque inter divinas et humanas leges interest, quod hae rebus tantum externis contentae sunt; illae vero, <sup>1</sup> quoniam animum Deus intuetur, ipsius animi puram sinceramque castitatem atque integritatem requirunt. Est igitur divina lex quasi speculum quoddam, in quo naturae nostrae vitia intuemur. Quamobrem dicit Apostolus: <sup>2</sup> *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Quum enim concupiscentia, id est peccati fomes, qui ex peccato originem habuit, perpetuo nobis infixus inhaereat; ex hoc agnoscimus, in peccato nos nasci: quapropter supplices ad eum confugimus, qui solus potest peccati sordes eluere.

S. Legem Dei esse spiritua-  
lem.

Leges humanae inter nos animi motus non reprimunt.

1) I. Reg. 16, 7.  
Ps. 7, 10.  
Ier. 11, 20. et  
17, 10.

Lex divina speculum est tum honestarum, tum vitiosarum actionum.

2) Rom 7, 7.

6. *Quae concupiscentia hic non prohibeatur, quidve sit concupiscentia.*

Habent autem haec singula praecepta illud cum ceteris commune, ut partim aliquid vetent, partim iubeant. Quod ad prohibendi vim attinet, ne quis forte arbitretur, concupiscentiam illam,

- 1) Gal. 5, 17. quae vitio caret, aliquo modo vitium esse, <sup>1</sup> ut  
 2) Pa. 118, 20. concupiscere spiritum adversus carnem, vel <sup>2</sup> ex-  
 petere iustificationes Dei in omni tempore, id  
 quod David summopere cupiebat; parochus do-  
 ceat, quae concupiscentia illa sit, quam huius  
 legis praescripto fugere oporteat. Quare scien-  
 dum est, concupiscentiam esse commotionem quan-  
 dam ac vim animi, qua impulsivi homines, quas  
 non habent, res iucundas appetunt: et quemad-  
 modum reliqui animi nostri motus non perpetuo  
 mali sunt, ita haec concupiscendi vis non semper  
 in vitio est ponenda. Neque enim propterea ma-  
 lum est, si cibum aut si potum appetimus, aut,  
 quum frigemus, si calescere, aut contra, quum  
 calemus, si frigescere cupimus. Et quidem recta  
 haec concupiscendi vis, Deo auctore, nobis a  
 natura insita est; sed primorum parentum no-  
 strorum peccato factum est, ut illa, naturae  
 fines transiliens, usque adeo depravata sit, ut  
 ad ea concupiscenda saepe incitetur, quae spi-  
 ritui ac rationi repugnant.

Quid sit con-  
 cupiscentia,  
 ex Arist. lib.  
 1. rhet. cap.  
 31. D. Th. in  
 1. 2. q. 20.  
 art. 1.

7. *Quas praecipue utilitates concupiscentia, rectas ra-  
 tionis conformis, homini praestet.*

Prima uti-  
 litas.

Quin etiam haec vis, si moderata est, suis-  
 que finibus continetur, saepe etiam non medio-  
 cres utilitates praebet: nam illud primum ef-  
 ficat, ut assiduis precibus Deum oremus, suppli-  
 cesque ab eo petamus, quae maxime cupimus.  
 Oratio enim cupiditatis nostrae interpretis est.  
 Quod si recta haec concupiscendi vis abesset,  
 non tam multae preces essent in ecclesia Dei.

Secunda.

Efficat praeterea, ut cariora sint nobis Dei  
 munera: quo enim vehementiori alicuius rei cu-  
 piditate flagramus, eo carior illa nobis res est  
 atque iucundior, quum eam adepti sumus.

Tertia.

Tum vero delectatio ipsa, quam ex re con-  
 cupita sentimus, facit, ut maiore pietate gratias  
 Deo agamus. Itaque si concupiscere aliquando  
 licet, fateamur necesse est, non omnem concu-  
 piscendi vim prohibitam esse.

8. *Quo modo Apostolus concupiscentiam peccatum  
 vocet.*

3) Rom. 7, 20.

Et quamquam divus Paulus <sup>3</sup> concupiscentiam

peccatum esse dixit; id in eam tamen sententiam accipiendum est, in quam <sup>1</sup> Moses loquutus est, cuius ille testimonium affert; id quod ipsius Apostoli oratio declarat. Nam illam carnis concupiscentiam vocat in epistola ad Galatas: <sup>2</sup> *Spiritu, inquit, ambulate, et desideria carnis non perficietis.*

<sup>1</sup> Exod. 10, 17.

Trid. syn. sess. 5. sub finem decreti de peccato originali.

<sup>2</sup> Gal. 5, 16.

9. *Quae concupiscentia hic omnino non prohibeatur, nec peccati rationem habeat.*

Naturalis igitur illa cupiditatis vis et moderata, quae fines suos non egreditur, non vetatur; multoque minus spiritualis illa recta mentis cupiditas, qua ad eorum appetitionem incitatur, quae carni repugnant. Ad hanc ipsam enim sacrae litterae nos adhortantur: <sup>3</sup> *Concupiscite sermones meos; et: <sup>4</sup> Transite ad me omnes, qui concupiscitis me.*

<sup>3</sup> Sap. 6, 12.

<sup>4</sup> Eccl. 14, 16.

10. *Quae sit concupiscentia hic interdicta.*

Itaque hoc interdicto non ipsa concupiscendi vis, qua tum ad bonum, tum ad malum uti licet, sed usus pravae cupiditatis, quae carnis concupiscentia, et peccati fomes vocatur, ac, si animi assensionem adiunctam habeat, semper in vitiis numeranda est, omnino prohibetur. Ergo ea tantum concupiscendi libido vetita est, quam carnis concupiscentiam vocat <sup>5</sup> Apostolus; illi scilicet concupiscendi motus, qui nullum rationis modum habent, neque finibus a Deo constitutis continentur.

Clare concluditur quid hic vetetur.

<sup>5</sup> Gal. 5, 16.

<sup>19</sup> I. Petr. 2, 11.

I. Ioan. 2, 16.

11. *Quibus ex causis agnoscatur, concupiscentiam esse peccatum.*

Haec cupiditas damnata est, vel quia malum appetit, veluti adulteria, ebrietates, homicidia, et alia eiusmodi nefaria scelera, de quibus ita Apostolus: <sup>6</sup> *Non simus, inquit, concupiscentes malorum, quemadmodum et illi concupierunt; vel quia, etsi res natura sua malae non sunt, causa tamen aliunde exstat, quare illas concupiscere nefas sit; quo in genere sunt ea, quae ne possideamus, Deus aut ecclesia prohibet. Non enim ea nobis appetere licet, quae possidere omnino nefas sit; qualia olim in veteri lege fuerunt aurum et argentum, ex quibus idola con-*

Concupiscentia est mala, primo quod eas res, quae appetuntur.

<sup>6</sup> I. Cor. 10, 6.

Secundo, quia est rerum prohibitarum.

1) Deut. 7, 15.  
Tertio, quia  
est rerum a-  
lienarum.

flata erant, quae <sup>1</sup> Dominus in Deuteronomio ve-  
tuit, ne quis concupisceret. Ob eam praeterea  
causam haec cupiditas vitiosa prohibetur, quo-  
niam, quae appetuntur, aliena sunt, ut domus,  
servus, ancilla, ager, uxor, bos, asinus, et alia  
multa; quae quum aliena sint, ea concupiscere  
vetat divina lex, rerumque eiusmodi cupiditas  
nefaria est, et in peccatis gravissimis numerat-  
ur, quum illis concupiscendis animi praebetur  
assensus.

12. *Concupiscentiae peccatum ubi maxime consistat.*

Quomodo con-  
sensus in pec-  
catum sit pec-  
catum mortua-  
le, vide Thom.  
in 1. 2. q. 74.  
art. 7. 8. et  
August. lib.  
12. de trin. c.  
12.  
2) Iacob. 1, 14.  
15.

Nam tum peccatum natura existit, quum  
post malarum cupiditatum impulsu animus re-  
bus pravis delectatur, atque his vel assentitur,  
vel non repugnat: id quod divus Iacobus, quum  
peccati originem et progressionem ostendit, illis  
verbis docet: <sup>2</sup> *Unusquisque tentatur a concu-  
piscencia sua abstractus, et illectus; deinde concu-  
piscencia quum conceperit, parit peccatum:  
peccatum vero, quum consummatum fuerit, ge-  
nerat mortem.*

13. *Quae sit duorum extremorum praeceptorum sen-  
tentia.*

Greg. hom.  
16. in evang.  
et lib. 4. mo-  
ral. c. 27.

Quum igitur lege ita caveatur: *Non concu-  
piscas*; haec verba ad eum sensum referuntur,  
ut nostras cupiditates a rebus alienis cohibea-  
mus. Alienarum enim rerum cupiditatis sitis im-  
mensa est atque infinita, neque umquam satia-  
tur, ut scriptum est: <sup>3</sup> *Avarus non implebitur  
pecunia*; de quo ita est apud Isaiam: <sup>4</sup> *Vae, qui  
coniungitis domum ad domum, et agrum agro  
copulatis.* Sed ex singularum vocum explica-  
tione facilius intelligetur huius peccati foeditas  
et magnitudo.

3) Eccl. 5, 9.

4) Isa. 5, 8.

14. *Quid domus vocabulo in huius praecepti formula  
intelligendum sit.*

Noni et deci-  
mi praecepti  
singula  
verba decla-  
rantur.

5) Exod. I, 21.  
Quod uni  
Danieli prae-  
cipitur, hoc

Quare parochus docebit, *domus* vocabulo non  
locum modo, quem incolimus, sed universam  
hereditatem significari, ut ex divinorum scri-  
ptorum usu consuetudineque cognoscitur. In  
Exodo scriptum est, <sup>5</sup> obstetricibus a Domino  
domos esse aedificatas: sententia eo spectat, ut  
illarum facultates ab eo auctas esse atque am-

plificatas interpretemur. Ex hac igitur interpretatione animadvertimus, hac praecepti lege vetitum nobis esse, ne divitias avide expetamus, neque alienis opibus, potentiae, nobilitati invidemus; sed statu nostro, qualis ille sit, sive humilis sive excelsus, contenti simus. Alienae deinde gloriae appetitionem vetitam esse intelligere debemus; nam hoc item ad domum pertinet.

idem cuique nostrum dicitur: Sta in gradu tuo.

15. *Quid bovis et asini vocibus contineatur.*

Quod vero sequitur: *non bovem, non asinum*, id ostendit, non solum, quae magna sunt, ut domus, nobilitas et gloria, ea quum aliena sint, concupiscere nobis non licere; sed etiam parva, qualia illa sint, sive animata sive inanimata.

16. *De quibus servis in hoc praecepto sit sermo.*

Sequitur deinceps: *non servum, non ancillam*; quod intelligendum est tam de captivis, quam de reliquo genere servorum; quos, ut cetera alterius bona, concupiscere non debemus. Liberos vero homines, qui voluntate serviunt, vel mercede conducti, vel amore observantiaque impulsus, nullo modo neque verbis, neque spe, neque pollicitationibus, neque praemiis quis corrumpere aut sollicitare debet, ut eos deserant, quibus se ipsi sponte addixerunt: immo vero, si ante id tempus, quo se in illorum famulatu fore promiserant, ab illis recesserint, huius praecepti auctoritate admonendi sunt, ut ad eos ipsos omnino revertantur.

Servi aliorum per cupiditatem non sollicitandi.

17. *Cur etiam in hoc praecepto mentio proximi fiat.*

Quod autem in praecepto mentio fiat proximi, id eo pertinet, ut hominum vitium demonstretur, qui vicinos agros, aut proximas domos, aut aliam rem eiusmodi, quae secum continens sit, appetere solent. Vicinitas enim, quae in parte amicitiae ponitur, ab amore ad odium, cupiditatis vitio, traducitur.

18. *Non praevaricantur istam legem, qui res venales proximi iusto pretio emere cupiunt.*

Hoc vero praeceptum ii minime violant, qui res, quas proximi venales habent, emere de illis

cupiunt, aut iusto pretio emunt. Ii enim non modo proximum non laedunt, sed valde adiuvant, quum ei pecunia maiori commodo usuique futura sit, quam res illae, quas ipse venditat.

19. Quo modo decimum praeceptum de non concupiscenda uxore proximi intelligendum sit.

Explicatur decimum praeceptum de non concupiscenda uxore proximi.

Libellus repudii temporis Moysis permittitur.

1) Deut. 24, 1. et seqq.

Uxorem etiam repudiatam ab alio ducere non licet.

Matt. 5, 31. et 19, 9.

Marc. 10, 7, 12. Luc. 16, 18.

Rom. 7, 3.

I. Cor. 7, 10, 11. Conc. miliev.

c. 17. Concil. trid. sess. 24. can. 7. de doctrin. matrim.

Feminam aliter desponsatam concupiscere non licet.

Hanc de re aliena non concupiscenda legem altera sequitur, quae prohibet, ne alienam concupiscamus uxorem. Qua lege concupiscendi libido, non ea quidem tantum prohibita censetur, qua adulter alterius uxorem appetit, sed etiam qua affectus aliquis alterius uxorem in matrimonium ducere concupiscit. Eo enim tempore, quum repudii permittebatur libellus, illud facile evenire poterat, ut quae ab uno repudiata esset, eam alter uxorem acciperet. At hoc Dominus vetuit, ne aut mariti ad uxores relinquendas sollicitarentur, aut uxores maritis difficiles se ac morosas ita praeberent, ut eam ob causam quaedam quasi necessitas viris imponeretur illas repudiandi. Nunc vero gravius est peccatum, quum mulierem, etiamsi a viro repudiata sit, alteri in matrimonium ducere non liceat, nisi marito mortuo. Itaque qui alterius uxorem concupiscet, facile ex una in aliam incidet cupiditatem; aut enim illius virum mori, aut adulterium admittere cupiet: atque hoc idem de iis mulieribus dicitur, quae alteri desponsatae sunt. Neque enim has item concupiscere licet, quum ii, qui haec pacta rescindere student, violent sanctissimum fidei foedus: et quemadmodum, quae alteri nupta est, eam concupiscere omnino nefas est; sic, quae ad Dei cultum religionemque est consecrata, nullo pacto licet illam uxorem appetere.

20. In hanc legem non peccat, qui mulierem, quam putat maritum amisisse, sollicitat ad matrimonium.

Si vero quis mulierem, quae nupta est, quum eam innuptam esse opinetur, uxorem sibi dari concupiscit, neque, si in matrimonium alii collocatam intelligeret, eam nuptam sibi dari cuperet; id quod <sup>2</sup> Pharaoni et <sup>3</sup> Abimelech conti-

1) Gen. 22, 15.

3) Gen. 20, 1, 3.



gisse legimus, qui Saram in matrimonio habere concupierunt, quum eam minime nuptam, Abrahæque sororem, non uxorem, arbitrarentur; ille certe, qui eo animo est, eiusmodi praecepti legem violare non videtur.

21. *Quae praeter ea, quae prohibentur hoc praecepto, facienda imperentur.*

Sed ut parochus remedia patefaciat, quae ad tollendum hoc cupiditatis vitium accommodata sunt, explicare alteram praecepti rationem debet; quae in eo consistit, ut, <sup>1</sup> *si divitiae affluant, cor non apponamus*, <sup>2</sup> easque pietatis et divinarum rerum studio abiicere parati simus, et in sublevandas pauperum miseras libenter pecuniam erogemus; si desiunt facultates, egestatem aequo et hilari animo feramus. Et quidem si rebus nostris dandis liberalitate utemur, rerum alienarum cupiditates restinguemus. De paupertatis autem laudibus, divitiarumque despicientia, <sup>3</sup> in sacris litteris et apud sanctos patres facile erit parochi multa colligere, et fidei populo tradere. Hac item lege praecipitur, ut ardenti studio summaque cupiditate optemus id potissimum effici, non quod nos concupiscimus, sed quod Deus vult, quemadmodum Domini oratione exponitur. Voluntas autem Dei in eo maxime est, ut nos singulari quodam modo sancti efficiamur, animumque nostrum sincerum, atque ab omni labe purum integrumque conservemus, et exerceamus nos in iis mentis ac spiritus officiis, quae corporis repugnant sensibus; horumque edomitibus appetitionibus, ratione ac spiritu duce, rectum vitae cursum teneamus; quive praeterea sensus materiam cupiditatibus nostris libidinique praebent, eorum vim maxime reprimamus.

22. *Quae sint potissimum christianis meditanda, ut vim concupiscentiae refrenent.*

Sed ad hunc cupiditatum ardorem restinguendum, plurimum etiam hoc potest, si, quae incommoda ex illis accidunt, ea nobis ob oculos proponamus. Primum vero illud incommodum est, quod, quoniam eiusmodi cupiditatibus pa-

Remedia adversus noxias concupiscentias.

1) Ps. 61, 11.

2) Matt. 19, 21.

3) Matth. 5, 3.

Marc. 4, 19.

Luc. 6, 30.

Act. 4, 34.

35 et 5, 1, et

alibi frequenter.

Vide de laudibus paupertatis voluntariae.

Hier. ep. 1,

ad Heliud. Greg.

gor. hom. 18,

in Ezech.

Ambr. lib.

5, com. in Luc.

e. 6, et l. 3,

epist. c. Greg.

gor. Nsz. or.

16, de pauperum amore.

Leo magnus

in fer. omnium

sanctorum.

Primum est

peccati in ani-

ma nostra re-remus, in anima nostra regnat summa peccati  
gnum. vis ac potestas; quamobrem monuit Apostolus:

- 1) Rom. 6, 12. <sup>1</sup> *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius.* Nam quemadmodum, si cupiditatibus resistimus, peccati vires concident; ita, si iis succumbimus,  
2) 1. Cor 6, 15. <sup>2</sup> Dominum a regno suo expellimus, et in eius locum peccatum introducimus.

Secundum Alterum praeterea incommodum est, quod ab  
est, quod om- hac concupiscendi vi, veluti fonte quodam, omnia  
nia mala a peccata manant, ut <sup>3</sup> divus Iacobus docet. Divus  
cupiditate man- item Ioannes, <sup>4</sup> *Omne, inquit, quod est in mun-*  
nait. do, *concupiscentia carnis est, et concupiscentia*  
3) Iac. 1, 14, 15. *oculorum, et superbia vitae.*  
4) I. Ioan. 2, 16.

Tertium est, Tertium incommodum in eo est, quoniam  
quod per eam rectum animi iudicium his cupiditatibus obscu-  
iudicium ob- ratur. Homines enim his cupiditatum tenebris  
scuratur. obcaecati, honesta et praeclara putant omnia,  
quaecumque ipsi concupiscunt.

Quartum est, Opprimitur praeterea concupiscendi vi ver-  
quod verbum bum Dei, quod in animis nostris a magno illo  
Dei per eam agricola Deo insitum est. Sic enim apud divum  
opprimitur. Marcum scriptum est: <sup>5</sup> *Alii sunt, qui in spinis*  
5) Marc. 4, 18. *seminantur; hi sunt, qui verbum audiunt, et*  
*aerumnae saeculi, et deceptio divitiarum, et*  
*circa reliqua concupiscentiae introeuntes, suf-*  
*focant verbum, et sine fructu efficitur.*

23. *Qui cupiditatum laqueis maxime implicentur.*

Lusibus de- Iam vero, qui praeceteris hoc cupiditatis  
diti et merca- vitio laborant, quosque propterea parochus ad  
tores alienis colendum hoc praeceptum diligentius cohortari  
rebus inhiant. debet, illi sunt, qui lusionibus non honestis de-  
lectantur, aut qui ludis immoderate abutuntur;  
mercatoresque item, qui rerum penuriam anno-  
naeque caritatem expetunt, atque id aegre fe-  
runt, ut alii praeter ipsos sint, qui vendant aut  
emant, quo carius vendere, aut vilius emere  
ipsi possint: qua in re item peccant, qui alios  
egere cupiunt, ut aut vendendo aut emendo ipsi  
luerentur.

Milites, me- Peccant etiam milites, qui bellum expetunt,  
dici, et cau- ut furari ipsis liceat; medici item, qui morbos  
dici in hoc desiderant; iure consulti, qui causarum litium-  
peccant.

que vim ac copiam concupiscunt; tum artifices, qui quaestus avidi, omnium, quae ad victum cultumque pertinent, penuriam exoptant, ut inde plurimum lucri faciant. In hoc praeterea genere graviter ii peccant, qui alienae laudis gloriaeque avidi atque appetentes sunt, non sine aliqua famae alterius obtrectatione, idque praesertim, si, qui illam appetunt, ignavi nulliusque pretii homines sunt: fama enim et gloria virtutis atque industriae, non ignaviae aut inertiae, praemium est.



# CATECHISMI ROMANI

## PARS QUARTA

DE ORATIONE, EIUSQUE IN PRIMIS NECESSITATE.

### CAPUT I.

#### 1. Quo modo Deus sit orandus.

Dominica oratio inter omnes precandi formulas est perfectissima.

De oratione scripserunt:

Ambr. lib. 5, et 6. de sacrament.

Cyprian. in hanc luculent.

Dam. lib. 2.

Paral. c. 15, et de orth.

fide lib. 3. c. 24.

Petrus Chrysost. serm. 67. et consequenter.

Alex. de Ales.

4. q. q. 88.

Orare ex precepto Domini tenemur.

2) Lucae 18, 1.

In officio et munere pastorali cum primis necessaria est ad salutem fidelis populi praeceptio christianae precationis, cuius vim ac rationem multos necesse est ignorare, nisi pia et fideli pastoris diligentia tradita sit. Quamobrem praecipua parochi cura versari debet in eo, ut pii auditores intelligant, quid a Deo, et quo modo orandum sit. Omnes autem necessariae precationis numeros continet divina illa formula, quam Christus dominus apostolis, et per illos eorumque successores omnibus deinceps, qui christianam religionem susciperent, notam esse voluit; cuius verba atque sententias sic animo ac memoria comprehendere oportet, ut in promptu habeamus. Ut autem in hac orandi ratione suppeditet parochis facultas instituendi fideles auditores, quae magis opportuna visa sunt, hic proposuimus, sumpta ab iis scriptoribus, quorum eo in genere doctrina et copia maxime laudatur. Nam reliqua, si opus fuerit, pastores ex iisdem fontibus haurire poterunt.

#### 2. Usus orandi ad salutem necessarius est.

Primum igitur docendum est, quam sit oratio necessaria, cuius praeceptum non solum consilii causa traditum est, sed etiam necessarii iussi vim habet; quod a Christo domino declaratum est illis verbis: *Oportet semper orare.* Hanc orandi necessitatem ipsa, etiam illo dominicae precationis prooemio, ostendit ecclesia:

*Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere.* Itaque quum esset necessaria precatio christianis hominibus, et illud a discipulis ipse rogatus esset: <sup>1</sup> *Domine, doce nos orare*; praescripsit eis orandi formam Dei filius, et spem attulit impetrationis eorum, quae postularent; et ipse documentum fuit precatationis, qua non solum utebatur assidue, sed <sup>2</sup> etiam in ea pernoctabat: cuius deinde officii iis, qui se ad Iesu Christi fidem contulissent, apostoli praecepta tradere non destiterunt. Nam <sup>3</sup> sancti et Petrus et <sup>4</sup> Ioannes de ea re diligentissime pios admonent; et eius rationis memor <sup>5</sup> Apostolus pluribus locis christianos hortatur ad salutarem orandi necessitatem.

3. *Qua potissimum ratione homines adduci possint in cognitionem necessarii huius officii.*

Praeterea tam multis indigemus bonis et commodis ad animum et corpus tuendum necessariis, ut ad precatationem confugere oporteat, tamquam ad unam omnium optimam, et indigentiae nostrae interpretem, et conciliatricem eorum, quibus egemus. Nam, <sup>6</sup> quum nihil cuiquam debeat Deus, reliquum profecto est, ut, quae nobis opus sunt, ab eo precibus expetamus; quas preces tamquam instrumentum necessarium nobis dedit ad id, quod optaremus, consequendum.

4. *Non alia via omni indigentiae nostrae satisfacere licet, quam per orationem.*

Praesertim quum quaedam esse constet, quae nisi eius adiumento non liceat impetrare. Habent enim sacrae preces praestantem illam virtutem, qua maxime daemones eiiciuntur. <sup>7</sup> Est enim quoddam daemoniorum genus, quod non eiicitur, nisi ieiunio et oratione. Quare magnam sibi adiunt facultatem singularium donorum, qui hanc consuetudinem exercitationemque non adhibent pie ac diligenter orandi: petitione enim non solum honesta, sed etiam <sup>8</sup> assidua opus est ad impetrandum, quod concupiscas. Nam, ut inquit sanctus Hieronymus, *scriptum est: Omni petenti datur. Ergo si tibi non datur, ob id non datur, quia non petis: <sup>9</sup> petite ergo, et accipietis.*

Praefatio orationis dominicae in missa.

1) Luc. 11, 1. Christi exemplo urandum, et apostolorum praescripto.

2) Luc. 6, 12.

3) 1. Petr. 3, 7: 4, 7.

4) 1. Iuan. 3, 22.

5) Rom. 12, 13. Phil. 4, 6.

1. Tim. 2, 8. et 5, 5.

Hebr. 4, 16.

6) Rom. 11, 35. Oratione necessaria consequimur.

Oratione daemones fugamus.

7) Matt. 17, 20.

Donorum singularium facultatem sibi adiuunt, qui orationi suae vacant.

8) Iacob. 5, 16.

9) Matt. 7, 7. et 21, 22.

## CAPUT II.

### DE UTILITATE ORATIONIS.

#### 1. *Quis sit primus fructus, quem parit illa orandi necessitas.*

Has orationis utilitates persequitur Isidor. lib. de summo bono c. 7.

Per orationes Deum primo honoramus.

1) Ps. 140, 2.

2) Ps. 49, 15. Secundus fructus.

Aug. Serm. 166. de temp. Oratione amplissima dona consequimur.

Pacem secundum Deum parit oratio. 3) Ioan. 16, 24.

Habet autem haec necessitas iucundissimam utilitatem, quae fructus ex se edit uberrimos, quorum copiam sument pastores a sacris scriptoribus, quum opus erit illos impertiri fidei populo: nos ex ea copia aliquot elegimus, quos huic tempori accommodatos duximus. Primus autem fructus, quem inde capimus, est is, quod orantes Deo honorem habemus; siquidem est quoddam religionis argumentum oratio, quae in divinis litteris thymiamati comparatur: <sup>1</sup> *Dirigatur enim, inquit Propheta, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Quare nos hac ratione Deo subiectos esse profiteremur, quem bonorum omnium auctorem agnoscimus et praedicamus, in quem solum spectamus, quod unum incolumitatis salutisque praesidium atque per-fugium habemus. Huius fructus illis etiam verbis admonemur: <sup>2</sup> *Invoca me in die tribulationis; eruam te, et honorificabis me.*

2. *Quae sit altera utilitas, quam orando consequimur.* Sequitur fructus amplissimus et iucundissimus orationis, quum a Deo preces audiuntur: est enim, ex sancti Augustini sententia, caeli clavis oratio. *Nam ascendit, inquit, precatio, et descendit Dei miseratio: licet alta sit terra, altum caelum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam.* Cuius orandi muneris tanta vis est, tanta utilitas, ut ea re caelestium donorum amplitudinem consequamur. Nam et impetramus nobis, ut ducem et adiutorem adhibeat Spiritum sanctum; et fidei assequimur conservationem et incolumitatem, et vitationem poenarum, et divinum patrocinium in tentationibus, et ex diabolo victoriam. Omnino inest in precatone singularis gaudii cumulus; quamobrem sic loquebatur Dominus: <sup>3</sup> *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.*

3. *Semper pias preces exaudit divina maiestas.*

Nec vero, quin huic petitioni praesto sit, et occurrat Dei benignitas, ullus relictus est dubitandi locus. Quod multa comprobant divinae scripturae testimonia; quae quia sunt in promptu, illa solummodo apud Isaiam exempli causa attingemus. <sup>1</sup> *Tunc, inquit, invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet: Ecce adsum;* et rursus: <sup>2</sup> *Eritque ante quam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Exempla autem eorum, qui Deum exoraverunt, quia propemodum sunt et infinita, et posita ante oculos, omittimus.

1) Isa. 58, 9.

2) Isa. 65, 24.

4. *Qui fiat, ut, quae petimus, interdum non impetremus.*

At interdum fit, ut, quae petimus a Deo, non impetremus: ita est; sed tum maxime prospicit utilitati nostrae Deus, vel quod alia nobis maiora et ampliora bona impertitur, vel quod nec necessarium nobis est, nec utile, quod petimus; immo vero fortasse supervacaneum id futurum sit, si dederit, atque pestiferum. *Quaedam enim, inquit sanctus Augustinus, negat propitius Deus, quae concedit iratus.* Nonnumquam etiam fit, ut adeo remisse ac negligenter oremus, ut ne ipsi quidem, quod dicimus, attendamus. Quum autem sit oratio mentis ascensus ad Deum, si in orando animus, qui ad Deum referri debet, peregrinatur, nulloque studio, nulla adhibita pietate, temere precationis verba funduntur; quomodo inanem huius orationis sonitum christianam precationem esse dicemus? Quare minime mirum est, si Deus nostrae non obsequitur voluntati, quum vel ipsi nolle id nos quod petimus, paene probemus nostra negligentia et ignorance precationis, vel postulemus ea, quae nobis sunt obfutura.

S. Aug. serm. 33. de verbis Domini, et tr. 73. in Ioan. Quid sit oratio, Damasc. lib. 3. de fide orthod. c. 24.

Aug. lib. 2. de serm. Domini in mont. cap. 7. Et serm. 230. de temp.

5. *Digne postulantes plus impetrant, quam postulent.*

Contra vero scienter ac diligenter petentibus multo plus tribuitur, quam a Deo postulaverint. Quod et <sup>3</sup> Apostolus testatur in epistola ad Ephesios, et <sup>4</sup> illa prodigi filii similitudine declara-

Sedulo orantibus Deus fere maiora praestat, quam petant.

3) Ephes. 3, 10.

4) Luc. 15, 11. seq.

Deus cogitationes non expectata voce saepe exaudit.

1) Ps. 9. et secund. Hebr. 10, 17.

Tertius orationis fructus. Ex fide debet procedere oratio.  
2) I. Rom. 10, 14.

tur, qui praeclare secum actum esse existimaturus fuit, si in loco mercenarii famuli eum habuisset pater. Etsi recte cogitantibus, non solum postulanti- bus nobis cumulat gratiam suam Deus, non modo munerum copia, sed etiam celeritate tribuendi. Quod ostendunt divinae litterae, quum illa utuntur loquendi formula: <sup>1</sup> *Desiderium pauperum exaudivit Dominus*. Intimis enim et tacitis egentium studiis, ne exspectata quidem eorum voce, Deus occurrit.

#### 6. *Quis sit tertius orationis fructus.*

Accedit eo etiam ille fructus, quod orando animi virtutes et exercemus, et augemus, maxime vero fidem. Ut enim rite illi non orant, qui fidem Deo non habent: <sup>2</sup> *Quomodo enim, inquit, invocabunt, in quem non crediderunt?* sic fideles, quo studiosius orant, eo maiorem ac certio- rem fidem habent divinae curae et providentiae, quae potissimum id requirit a nobis, ut ad se de iis, quae nobis opus sunt, referentes, omnia postulemus.

#### 7. *Cur Deus, quum sciat, quibus indigeamus, oratione nostra velit sollicitari.*

Posset vero Deus non petentibus, ne cogitantibus quidem, abunde nobis omnia dilargiri, quo modo et animantibus rationis expertibus cuncta suppeditat ad usus vitae necessarios. Sed beneficentissimus parens vult a filiis invocari; vult nos quotidie rite petendo, petere fidentius; vult, impetratis iis quae postulamus, in dies magis testificari ac praedicare suam in nos ipsos benignitatem.

#### 8. *Quo modo nostra in Deum charitas per orationem exerceatur.*

Amplificatur etiam charitas. Nam illum auctorem agnoscentes omnium bonorum utilitatumque nostrarum, quanta eum possumus maxima charitate amplectimur; et ut amantes colloquio et congressu magis ad amorem incenduntur, sic pii homines, quo saepius Deo facientes preces, et eius implorantes benignitatem, quasi cum ipso colloquuntur, eo maiori in singulas preces affecti laetitia ad eum amandum et colendum incitantur ardentius.



9. *Precationis assiduitate tum digni divina gratia evadimus, tum humilitatem et arma contra diabolum comparamus.*

Propterea nos hac uti vult exercitatione pre- Aug. ep. 121.  
 cationis, ut flagrantem petendi studio, quod optamus, tantum ea assiduitate et cupiditate proficiamus, ut digni simus, in quos illa conferantur beneficia, quae antea ieiunus et angustus noster animus capere non poterat. Vult praeterea nos id, quod est, intelligere, ac prae nobis ferre, si gratiae caelestis auxilio deseramus, nostra opera nihil consequi posse, proptereaque toto animo ad orandum incumbere. Valent autem maxime haec tamquam orationis arma contra naturae nostrae hostes acerrimos; ait enim sanctus Hilarius: *Adversus diabolum armaque eius, orationum nostrarum sonitu certandum est.*

10. *Quae sit quarta utilitas ex oratione in homines profluens.*

Praeclarum praeterea illum orationis fructum assequimur, quod, quum proclives simus ad malum et ad libidinis varios appetitus vitio infirmitatis ingenitae, patitur Deus se nostris cogitationibus concipi; ut, dum illum oramus, et mereri eius contendimus munera, accipiamus innocentiae voluntatem, et ab omni labe, delictorum omnium amputatione, purgemur.

11. *Quis sit postremus orationis fructus.*

Postremo, ex sancti Hieronymi sententia, irae divinae resistit oratio. Itaque sic ad Mosen loquutus est Deus: <sup>1</sup> *Dimitte me;* quum quidem poenas eum ab illo populo petere volentem, precibus impediret. Nihil enim est, quod aequum Deum leniat iratum, aut etiam paratum ad plagas sceleratis inferendas aequum retardet et revocet a furore, ac preces piorum hominum.

Aug. ep. 121.  
c. 8.

Hilar. in Ps.  
63.

Quartus orationis fructus.

Quintus orationis fructus.  
Hier. in cap. 7.  
Ierem. super illud: Non obsistas mihi.  
1) Exod. 32.  
10.

## CAPUT III.

### DE PARTIBUS ET GRADIBUS ORATIONIS.

#### 1. Quibus partibus constet christiana oratio.

Quid sit obsecratio etc. Amb. lib. 6. de sacrament. c. 5.

1) 1. Tim. 2, 1.

Hilarium in psal. 140. super illud: Dirigitur oratio mea.

\* De duabus his praecipuis orationis formis, vide Basil. 1. const. monast. c. 2.

1) Ps. 49, 15.

Quam liberalissimè in genus humanum Deus.

Exposita necessitate et utilitate christianae precatationis, scire praeterea oportet fidelem populum, quot et quibus partibus ea constet oratio. Id enim ad huius officii perfectionem pertinere testatur Apostolus, qui in epistola ad Timotheum cohortans ad pie sancteque orandum, orationis partes diligenter enumerat. <sup>1</sup> *Obsecro, inquit, primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Quod vero subtilis quaedam est harum differentia partium, si eius explicationem auditoribus parochi conducere existimabunt, consulent sanctos scriptores, praecipue sanctos Hilarium et Augustinum.

#### 2. De postulatione et gratiarum actione.

Sed quoniam duae \* sunt praecipue partes orationis, postulatio et gratiarum actio, a quibus, tamquam a capite, manant reliquae; minime eas praetermittendas duximus. Nam ad Deum accedimus, ut, cultum ei ac venerationem adhibentes, vel ab eo aliquid impetremus, vel ipsi de beneficiis, quibus assidue ab eius benignitate ornatur et augemur, gratias agamus. Utramque hanc maxime necessariam partem orationis Deus ipse pronuntiavit ore Davidis, illis verbis: <sup>2</sup> *Invoca me in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me.* Quantum autem egeamus divinae liberalitatis et bonitatis, quis ignorat, modo summam hominum egestatem et miseriam intueatur?

#### 3. Dei in omnes homines benignitas et liberalitas praedicatur.

Quam vero sit propensa Dei voluntas in genus humanum, quam effusa in nos benignitas, omnes intelligunt, qui sensu oculorum et mente praediti sint. Nam quocumque oculos conicimus, quocumque nos cogitatione convertimus, nobis

admirabilis lux divinae beneficentiae ac benignitatis oboritur. Quid enim <sup>1</sup> habent homines, quod a Dei largitate profectum non sit? et si omnia sunt eius dona ac munera bonitatis, quid est, quod non omnes pro viribus beneficentissimum Deum laudibus celebrent, et gratiarum actione prosequantur? Sed utriusque officii, et petendi aliquid a Deo, et ei gratias agendi, multi sunt gradus; quorum alius alio est altior atque perfectior. Ut igitur fidelis populus non solum oret, sed etiam optime fungatur illo munere orationis, proponunt ei pastores summam perfectamque orandi rationem, et ad eam, quam diligentissime poterunt, hortabuntur.

<sup>1</sup>) 1. Cor. 4, 7.  
Alius orandi modus alio est perfectior.

4. *Quinam sit optimus orandi modus, summusque precatationis gradus.*

Sed quinam est optimus orandi modus, et summus precatationis gradus? nempe is, quo pii et iusti homines utuntur, qui freti verae fidei stabili fundamento, quibusdam optimae mentis orationisque gradibus in illum locum perveniunt, ex quo infinitam Dei potentiam, immensam benignitatem ac sapientiam contemplari possunt: ubi etiam in spem certissimam veniunt, se et quidquid petierint in praesentia, et illam inexplicabilium bonorum vim consequuturos esse, quae pollicitus est Deus largiturum se iis, qui divinum auxilium pie et ex animo implorarint. His, quasi duabus alis, elata in caelum anima ardenti studio pervenit ad Deum, quem omni gratiarum et laudum honore prosequitur, quod summis ab eo beneficiis affecta sit: tum vero singulari adhibita pietate ac veneratione, quasi filius unicus carissimo parenti, quid sibi sit opus, non dubitanter exponit. Quem precandi modum *effundendi* voce expriment divinae litterae; inquit enim Propheta: <sup>2</sup> *Effundo in conspectu eius orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* Quae vox eam vim habet, ut nihil reticeat, nihil occultet, sed effundat omnia is, qui ad orandum venit, fidenter confugiens in sinum amantissimi parentis Dei. Ad id enim nos doctrina caelestis hortatur illis verbis: <sup>3</sup> *Effun-*

Quidnam orantes ad praecipuam contemplationis arcem evehat.

Vide Bernard. serm. 5. de quadrag. et serm. de quatuor modis orandi, et Basil. ubi supra.

<sup>2</sup>) Ps. 141, 3.

<sup>3</sup>) Ps. 61, 9.

- 1) Ps. 54, 23. *dite coram illo corda vestra; et:* <sup>1</sup> *Iacta super Dominum curam tuam.* Hunc autem precationis gradum significat sanctus Augustinus, quum inquit in eo libro, qui inscriptus est Enchiridion: *Quod fides credit, spes et charitas orat.*

5. *Quae sit altera orandi ratio.*

Secundus orationis gradus.

2) Iac. 2, 17. Peccatores quomodo exaudiantur, vide Aug. tr. 44. in Ioan. et Th. in 1. 2. q. 83. art. 16.

Alius est eorum gradus, qui mortiferis peccatis oppressi, fide tamen ea, <sup>2</sup> quae mortua dicitur, nituntur sese erigere, et ad Deum ascendere; sed propter intermortuas vires summamque fidei imbecillitatem se altius a terra tollere non possunt: verumtamen sua peccata recognoscentes, et eorum conscientia ac dolore cruciati, humiliter ac demisse, ex illo maxime longinquo loco poenitentes, scelerum a Deo veniam et pacem implorant. Horum oratio suum obtinet locum apud Deum; nam eorum preces audiuntur; immo vero huiusmodi homines liberalissime misericors Deus invitat: <sup>3</sup> *Venite, inquit, apud me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Ex horum hominum numero fuit ille <sup>4</sup> publicanus, qui, quum oculos ad caelum tollere non auderet, exiit tamen, inquit, e templo magis iustificatus, quam pharisaeus.

6. *Quo in gradu tertium genus deprecatorum consistat.*

Tertius gradus.

3) Matt. 11, 28.

4) Luc. 18, 10. seqq.

Est praeterea eorum gradus, qui nondum fidei lucem acceperunt; verumtamen, divina benignitate exiguum illorum naturae lumen accendente, vehementer excitantur ad studium cupiditatemque veritatis, quam ut doceantur, summis precibus petunt; qui si manent in voluntate, a Dei clementia eorum studium non repudiatur. Quod exemplo <sup>5</sup> Cornelii centurionis comprobatum videmus; nemini enim id ex animo petenti clausae sunt fores divinae benignitatis.

7. *Quinam inter deprecatos extremo in gradu haereant.*

5) Actor. 10, 2. Quomodo Deus petenti ex animo gratiam conferat. Vide Th. 1. 2. q. 122. artic. 3.

Quartus gradus.

Postremus est gradus eorum, quos non modo facinorum et flagitiorum non poenitentes, sed sceleribus scelera cumulantes, tamen non pudet saepe a Deo petere peccatorum veniam, in quibus volunt perseverare; qui tali statu ne ab ho-

minibus quidem audere deberent, ut sibi ignoscere, postulare. Horum oratio a Deo non auditur; sic enim de Antiocho scriptum est: <sup>1</sup> *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consequuturus.* Quare vehementer hortandi sunt, qui in gravi illa miseria versantur, ut, abiecta peccandi voluntate, vere et ex animo se convertant ad Deum.

<sup>1</sup>) 2. Mach. 9.  
<sup>13</sup>.

## CAPUT IV.

## DE HIS, QUAE PETENDA SUNT.

1. *Quaenam a Deo petere liceat.*

Sed quoniam in singulis petitionibus quid postulandum, quid non, suo loco dicitur; satis hic erit, fideles universe illud admonere, ut, quae iusta quaeque honesta sint, a Deo petant homines: ne, si contra quam deceat aliquid postulant, illo responso repellantur: <sup>3</sup> *Nescitis, quid petatis.* Quidquid autem recte optari potest, petere licet; quod illa Domini uberrima promissa testantur: <sup>2</sup> *Quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis;* omnia enim se concessurum pollicetur.

Quod iustum et honestum est peti debet; vide inter alios Th. 2. 2. q. 83. art. 5.  
Matth. 20, 22.

<sup>2</sup>) Ioan. 15, 7.

2. *Quae res primo et per se a Deo petendae sint.*

Quare primum optatum ac desiderium nostrum ad eam regulam dirigemus, ut ad Deum, qui summum est bonum, summum studium desideriumque referatur. Deinde cupiemus ea, quae cum Deo nos maxime coniungant; quae vero nos inde seiungant, aut causam aliquam afferant disiunctionis, ab omni studio et cupiditate nostra removenda sunt. Hinc licet colligere secundum illud summum et perfectum bonum, quo modo reliqua, quae dicuntur bona, et optanda sint, et a parente Deo postulanda.

Summa et praecipua oratio pro summi boni nostri consequatione esse debet. Deinde pro his, quae nos eo coadjuvant

3. *Corporis et externa bona quatenus a Deo petenda sint.*

Nam haec corporis, quae vocant, et externa bona, ut sanitas, robur, pulchritudo, divitiae, honores, gloria, quia facultatem ac materiam saepe dant peccato (qua re fit, ut non omnino

pie aut salutariter petantur), erit illa petitio his praescribenda finibus, ut haec vitae commoda postulentur necessitatis causa; quae precandi ratio refertur ad Deum. Licet enim nobis ea precibus petere, quae et Iacob et Salomon postularunt: ille enim in hunc modum: <sup>1</sup> *Si dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, erit mihi dominus in Deum*; Salomon his verbis: <sup>2</sup> *Tribue tantum victui meo necessaria.*

4. *Divitiis et aliis bonis corporis quo modo utendum sit, quando ea Dei benignitate possidemus.*

Ad divitiis  
cor non appo-  
nendum.

3) 1. Cor. 7, 30.

Quum vero nobis Dei benignitate suppeditetur ad victum et ad cultum, par est, nos illius Apostoli cohortationis recordari: <sup>3</sup> *Qui emunt, tamquam non possidentes, et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: praeterit enim figura huius mundi*; item: <sup>4</sup> *Divitiae si affluent, nolite cor apponere*: quarum fructum tantummodo et usum nostrum esse, sed ita, ut cum ceteris communicemus, ab ipso doctore Deo didicimus. Si valemus, si reliquis externis et corporis bonis abundamus, eo illa tributa esse meminerimus, ut et facilius Deo inservire possimus, et proximo omnia eius generis commodare.

4) Ps. 61, 11.

5. *Ingenii et doctrinae bona quo modo petenda sint.*

Ingenii autem bona et ornamenta, cuius generis sunt artes atque doctrinae, petere etiam licet, sed ea tantum conditione, si nobis ad Dei gloriam et ad salutem profutura sunt. Quod autem omnino et sine adiunctione aut conditione optandum, quaerendum, postulandum est, quemadmodum antea diximus, id Dei gloria est, et deinceps omnia, quae summo illi bono coniungere nos queant, ut fides, timor Dei, amor, de quibus plenius dicemus in explicatione petitionum.

## CAPUT V.

### PRO QUIBUS ORANDUM SIT.

#### 1. *Nullum genus hominum in hoc mundo est, pro quibus non liceat Deum precari.*

His autem cognitis, quae petenda sunt, docendus est fidelis populus, pro quibus orare debeat. Continet autem oratio petitionem et gratiarum actionem; quare prius de petitione dicamus. Orandum igitur est pro omnibus sine ulla exceptione vel inimicitiarum, vel gentis, vel religionis. Nam sive hostis sit, sive alienus, sive infidelis, proximus est; quem quia Dei iussu amare debemus, sequitur, ut preces quoque, quod amoris officium est, pro eo facere oporteat. Nam eo pertinet illa Apostoli cohortatio: <sup>1</sup> *Obsecro* <sup>1) 1. Tim. 2, 1.</sup> *feri orationes pro omnibus hominibus.* Qua in oratione primum petenda sunt, quae salutem animae complectuntur, deinde quae corporis.

#### 2. *Pro quibus praecipue orandum sit.*

Debemus autem hoc precationis officium primum pastoribus animarum tribuere; quod ab Apostolo eius exemplo monemur. Scribit enim is ad <sup>2</sup> Colossenses, ut orent pro se, ut sibi Deus aperiat ostium sermonis; quod item facit ad <sup>3</sup> Thessalonicenses. Est praeterea in actis apostolorum: <sup>4</sup> *Oratio fiebat sine intermissione ab ecclesia* pro Petro. Cuius etiam officii a divo Basilio in libris de moribus admonemur; pro iis enim orandum esse inquit, qui praesunt verbo veritatis.

Secundo loco pro principibus nos precari oportet ex eiusdem <sup>5</sup> Apostoli sententia: quanto enim publico bono principibus piis et iustis utamur, nemo ignorat. Itaque rogandus est Deus, ut tales sint, quales esse oportet, qui reliquis hominibus praesint.

Exstant <sup>6</sup> exempla sanctorum hominum, quibus monemur, ut pro bonis etiam piisque deprecemur. Egent enim et illi precibus aliorum; quod divinitus factum est, ne superbia efferantur, dum intelligunt se inferiorum suffragiis indigere.

Primo pro pastoribus animarum orandum est.

2) Colos. 4, 3.

3) I. Thes. 5, 25.

4) Act. 12, 5. Bas. 1. mor. Reg. 56. c. 5.

Secundo pro principibus.

5) I. Tim. 2, 2.

Pro bonis, et piis viris inorandum c. 5.

6) 4. Reg. 19.

4. et 22, 13.

14.

3. *Pro inimicis nostris et hostibus ecclesiae idem praestandum esse monstratur.*

1) Matt. 5, 44.

Iussit praeterea Dominus <sup>1</sup> precari pro persequentibus et calumniantibus nos.

Quarto pro hostibus nostris.

Quinto pro ecclesiae hostibus, Aug. ep. 106. ad Vitalem.

Illud etiam sancti Augustini testimonio celebratum est, hanc esse acceptam consuetudinem ab apostolis, pro iis, qui ab ecclesia sunt alieni, preces et vota faciendi, ut infidelibus donetur fides; ut idolorum cultores ab impietatis errore liberentur; ut Iudaei, discussa animorum caligine, lucem veritatis accipiant; ut haeretici redeuntes ad sanitatem, catholicae doctrinae praeceptis erudiantur; ut schismatici, a qua desciverunt sanctissimae parentis ecclesiae communionem, cum ea iterum verae charitatis nodo iuncti copulentur. Quantam autem vim habeant preces pro huiusmodi hominibus factae ex animo, constat tam multis exemplis omnis hominum generis, quos quotidie <sup>2</sup> ereptos a potestate tenebrarum transfert Deus in regnum Filii charitatis suae, et <sup>3</sup> ex vasis irae facit vasa misericordiae: in quo plurimum valere piorum obsecrationem, nemo, qui recte sentiat, dubitare potest.

Vide interim precum antiquitatem, quae in die pasceves fieri in ecclesia solent.

4. *Quo modo etiam ad mortuos extendi possit hoc beneficium.*

2) Col. 1, 13.

3) Rom. 9, 22, 23.

Preces autem, quae pro mortuis fiunt, ut ab igne purgatorii liberentur, ex apostolorum doctrina fluxerunt; qua de re satis dictum est, quum de sacrificio missae loqueremur.

Sexto pro mortuis, S. Dionys. Areop. Hieron. c. 7. l. de eccl.

5. *Non prodest illis aliena oratio, qui peccant ad mortem.*

4) l. Ioan. 5, 16.

In iis autem, qui <sup>4</sup> peccare dicuntur ad mortem, vix quidquam precibus votisque proficitur. Veruntamen est christianae charitatis et precari pro illis, et lacrimis contendere, an eis possint reddere placatum Deum.

6. *Quo modo execrationes, quae in scripturis leguntur, sint accipiendae.*

Ps. 6. et 78. et 108. per totum. Isa. 8. et alibi saepe. Jer. 10, 25.

Execrationes, vero sanctorum hominum, quibus in impios utuntur, ex patrum sententia constat esse vel praedictiones eorum, quae illis



eventura sunt, vel adhibitae contra peccatum, ut, salvis hominibus, peccati vis intereat.

7. *Quis sit usus gratiarum actionis.*

In altera autem parte orationis maximas Deo gratias agimus pro divinis eius immortalibusque beneficiis, quibus et semper affecit, et quotidie afficit humanum genus. Maxime autem fungimur hoc munere gratiarum actionis sanctorum omnium causa, quo in officio singulares Deo laudes tribuimus et eorum victoriae, et triumphi, quem de omnibus et intimis et externis hostibus, eius benignitate, reportarunt.

8. *Inter eas gratulationes, quae sanctorum causa Deo exhibentur, quatenam in ecclesia primas partes obtineat.*

Huc pertinet prima illa pars angelicae salutationis, quum ea ad precandum utimur: *Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* Nam Deum summis et habendis laudibus, et gratiis agendis celebramus, quod sanctissimam Virginem omni caelestium donorum munere cumulavit; ipsique Virgini singularem illam gratulamur felicitatem. Iure autem sancta Dei ecclesia huic gratiarum actioni preces etiam et implorationem sanctissimae Dei matris adiunxit; qua pie atque suppliciter ad eam confugeremus, ut nobis peccatoribus sua intercessione conciliaret Deum, bonaque tum ad hanc, tum ad aeternam vitam necessaria impetraret. Ergo nos exules filii Evae, qui hanc lacrimarum vallem incolimus, assidue misericordiae matrem, ac fidelis populi advocatam invocare debemus, ut oret pro nobis peccatoribus, ab eaque, hac prece, opem et auxilium implorare, cuius et praestantissima merita apud Deum esse, et summam voluntatem iuvandi humanum genus, nemo, nisi impie, et nefarie, dubitare potest.

Aug. de serm. Dom. in mont. lib. 1. c. sub noem.

Gratiarum actio maxime locus in honoribus sanctorum, unde Augustin. sacerdotia pro defunctis valde bonis, gratiarum actio vneat, in euebir.

Lauron. c. 110. Aug. serm. 18. de sanetis.

Ambr. lib. 2. comm. in Luc. Bernard. hom. 2. super Misas est, et serm. 4. de assumpt. Mariae, et alibi frequenter.

Car ecclesiae salutis angelicae preces adiungat, quam ab omni antiquitate invocant esse constat ex Irenaeo lib. 5. adver. haereses c. 19. Athan. in evang. de S. Deipara.

Greg. Nazian. orat. 18. in laudem S. Cypriani.

Iuan. Damas. orat. 1. de nat. Virg. et orat. 2. de assumptione eiusdem.

## CAPUT VI.

### QUIS ORANDUS SIT.

#### 1. *Ad quem dirigenda sit praecipue oratio.*

1) Ps. 49. 15.  
Tres perso-  
nae invocari  
debent.

Deum autem orandum esse, et eius nomen invocandum, ipsa loquitur naturae vis, insita in hominum mentibus, non solum tradunt divinae litterae, in quibus licet audire imperantem Deum: <sup>1</sup> *Invoca me in die tribulationis*; sed Dei nomine tres personas intelligi oportet.

#### 2. *Sintne etiam sancti cum Christo regnantes invocandi.*

Secundo loco confugimus ad auxilia sanctorum, qui in caelo sunt; quibus etiam preces esse faciendas, ita certum est in ecclesia Dei, ut piis nulla de eo dubitatio possit accidere. Quae res quia separatim suo loco est explicata, eo et parochos et ceteros transmittimus. Sed ut tollatur omnis error imperitorum, operae pretium erit docere fidelem populum, quid intersit inter hanc invocandi rationem.

#### 3. *Aliter Deum, et aliter sanctos imploramus.*

Non enim eodem modo Deum, et sanctos imploramus: nam precamur Deum, ut ipse vel bona det, vel liberet a malis; a sanctis autem, quia gratiosi sunt apud Deum, petimus, ut nostri patrocinium suscipiant, ut nobis a Deo impetrent ea, quorum indigemus. Hinc duas adhibemus precandi formulas, modo differentes; ad Deum enim proprie dicimus: *Miserere nobis, audi nos*; ad sanctos: *Orate pro nobis*.

#### 4. *Quo modo a sanctis petere possimus, ut nostri misereantur.*

Sic Job 19.  
21. et 33. teste ipso Augustino, angelis ut misereantur hominum, rogantur.

Quo affectu oratio dominica ad imaginem sancti alicuius sit recitanda.

Quamquam licet etiam alia quadam ratione petere a sanctis ipsis, ut nostri misereantur: sunt enim maxime misericordes. Itaque precari possumus eos, ut, conditionis nostrae miseria permoti, sua nos apud Deum gratia ac deprecatione iuvent. Quo loco illud maxime cavendum est omnibus, ne, quod Dei proprium est, cuiquam praeterea tribuant: immo vero, quum ad imaginem sancti alicuius quis dominicam ora-

tionem pronuntiat, ita tum sentiat, se ab illo petere, ut secum oret, sibique postulet ea, quae dominicae orationis formula continentur; et sui denique sit interpretes et deprecator ad Deum. Nam eos hoc fungi officio, <sup>1</sup> docuit sanctus Ioannes apostolus in Apocalypsi.

## CAPUT VII.

## DE PRAEPARATIONE ADHIBENDA.

1. *Quibus maxime virtutibus animus ad orationem sit praeparandus.*

Est in divinis litteris: <sup>2</sup> *Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Tentat enim Deum is, qui quum bene orat, male agit, et quum loquitur cum Deo, a precibus animus eius aberrat. Quare quum tanti intersit, quo quisque animo Deo preces faciat, tradant parochi vias precationum piis auditoribus. Primus igitur gradus ad orationem erit vere humilis ac demissus animus, scelerum quoque recognitio: quibus sceleribus intelligat qui ad Deum accedit, se non modo dignum non esse, qui quidquam impetret a Deo, sed qui ne in eius quidem conspectum veniat oraturus. Huius praeparationis saepissime mentionem faciunt divinae litterae, quae et illud loquuntur: <sup>3</sup> *Respexit in orationem humilium, et non sprexit preces eorum;* item: <sup>4</sup> *Oratio humilientis se, nubes penetrabit.* Sed occurrent pastoribus eruditissimis <sup>5</sup> loci innumerabiles, qui in eam sententiam conveniant. Quamobrem plurimum non necessaria commemoratione superse-demus; tantum vero, quae alias attigimus, ne in hac quidem parte, quia sunt apposita ad hanc orationem, duo illa exempla praetermitteremus. <sup>6</sup> Publicanus est ille notissimus, qui longe consistens, oculos humo tollere non audebat: <sup>7</sup> est etiam mulier illa peccatrix, quae dolore commota, lacrimis pedes Christi domini perfudit; uterque, quantum afferat orationi pondus humilitas christiana, declaravit.

2) Eccl. 18, 23.

Tentare Deum, quid sit, vide D. Thom. in 2. 2. q. 97. art. 7.

Primum requiritur, ut sit humilis oratio.

3) Ps. 107, 18.

4) Eccl. 35, 21.

5) Iud. 9, 16. Ps. 17. et 33. Isa. 57. et 66, 2.

6) Luc. 18, 13.

7) Luc. 7, 38. vide aliud de Achab. 3. Reg. 21, 27. 28. et 29.

Secundo orationem praestat dolor commissorum peccatorum.

Sequitur angor quidam in recordatione delictorum, vel saltem aliquis doloris sensus ob eam causam, quod dolere non possimus: quorum utrumque, vel certe alterum, nisi a poenitente adhibeatur, venia impetrari non potest.

2. *Quae potissimum scelera volenti cum fructu orare sint cavenda.*

Tertio, abstinendum caedibus et violentia.

Sed quia sunt quaedam scelera, quae maxime obstant, quominus in precatione Deus postulationi nostrae concedat, ut caedes et illata vis; manus abstinendae sunt ab hac crudelitate et violentia. De quo facinore sic Isaiae ore loquitur Deus: <sup>1</sup> *Quum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis; et quum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestrae sanguine plene sunt.*

1) Isa. I, 15. vide plura apud eundem proph. cap. 59, 2, 3.

Quarto, ira fugienda.

Fugienda est ira ac dissidium, quae magnopere etiam impediunt, ne preces audiantur. De quibus est illud Apostoli: <sup>2</sup> *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione.*

2) 1. Tim. 2, 8.

Quinto iniuriarum adsit oblivio.

Videndum est praeterea, ne nos implacabiles cuiquam praebeamus in iniuria; nam sic affecti, Deum precibus adducere non poterimus, ut nobis ignoscat. <sup>3</sup> *Quum enim stabitis, inquit ipse, ad orandum, dimittite, si quid habetis; et: <sup>4</sup> Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester caelestis dimittet vobis peccata vestra.*

3) Marc. 11, 25.

4) Matt. 6, 15.

Sexto misericordiae affectus inducendus.

5) Prov. 21, 13.

Septimo superbia evellenda.

Quid dicemus de superbia? quae quantopere Deum offendat, testis est illa vox: <sup>6</sup> *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

6) Iac. 4, 6.

Octavo, contemptus verbi divini corrigendus.

7) Prov. 28, 9.

Quid de contemptione divinorum oraculorum? in quam exstat illud Salomonis: <sup>7</sup> *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Quo tamen loco non excluditur deprecatio factae iniuriae, non caedis, non iracundiae, non illiberalitatis in pauperes, non superbiae, non despicientiae divinae orationis, non denique reliquorum scelerum, si ignoscendi venia petatur.

3. *De fide in Deum, quae ad orationem necessaria censetur.*

Est vero ad hanc quoque praeparationem animi fides necessaria; quae si desit, neque de summi Patris omnipotentia, neque de illius misericordia, unde tamen orantis fiducia oritur, habetur cognitio; quemadmodum docuit ipse Christus dominus: <sup>1</sup> *Omnia, inquit, quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* De huiusmodi fide scribit sanctus Augustinus de verbis Domini: *Si fides defecit, oratio perit.* Caput igitur est ad rite orandum, quod iam dictum est, ut fide firmi ac fixi simus; quod Apostolus ex contrario ostendit: <sup>2</sup> *Quo modo invocabunt, in quem non crediderunt?* Itaque credamus oportet, ut et orare possimus, et ne nos fides ipsa deficiat, qua salutariter oramus. Fides enim est, quae preces fundit; preces faciunt, ut, omni dubitatione sublata, stabilis ac firma sit fides. In hanc sententiam sanctus Ignatius hortabatur eos, qui ad Deum adirent oraturi: *Noli dubio esse animo in oratione; beatus est, qui non dubitaverit.* Quare ad impetrandum, quod velimus a Deo, maximum pondus affert fides et certa spes impetrandi; quod monet sanctus Iacobus: <sup>3</sup> *Postulet in fide, nihil haesitans.*

Fiducia adhibenda.

<sup>1</sup>) Matt. 21, 22.

S. Aug. serm. 36. de verbis Domini.

<sup>2</sup>) Rom. 10, 14.

S. Ignatius ep. 10. ad Heronem.

<sup>3</sup>) Iacob. 1, 6.

4. *Quae nos ad fidem impetrandi ea, quae in oratione petimus, inducere possint.*

Multa sunt, quibus nos confidere oportet in hoc officio precationis. Est ipsa Dei in nos perspecta voluntas ac benignitas, quum iubet nos se <sup>4</sup> patrem appellare, ut eius nos esse filios intelligamus. Est prope infinitus numerus eorum, qui Deum exoraverunt; est summus ille deprecator, qui nobis semper praesto est, Christus dominus. De quo sic est apud sanctum Ioannem: <sup>5</sup> *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris;* item Paulus apostolus: <sup>6</sup> *Christus Iesus qui mortuus est, immo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis;* item ad Timo-

<sup>4</sup>) Matt. 23, 9.

Christus pro nobis orat.  
<sup>5</sup>) I. Ioan. 2, 1.

<sup>6</sup>) Rom. 8, 34.  
Christus noster mediator.

- 1) I. Tim. 2, 5. theum: <sup>1</sup> *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus*; tum ad Hebraeos: <sup>2</sup> *Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum*. Quare etsi nos indigni sumus, qui impetremus, tamen optimi dignitate interpretis et deprecatoris Iesu Christi sperare et magnopere confidere debemus, omnia, quae per illum rite petierimus, concessurum Deum.

5. *Spiritus sanctus nostrarum orationum auctor est.*

- Denique nostrae auctor est precationis Spiritus sanctus; quo duce, preces nostras audiri necesse est. <sup>3</sup> *Accepimus enim Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba, Pater*: <sup>4</sup> qui quidem *Spiritus infirmitatem, et inscitiam nostram adiuvat* in hoc orandi munere: immo vero, <sup>5</sup> inquit Apostolus: *Ipse postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*.

6. *Quo modo in fide iuvare ad impetranda Dei beneficia debeamus.*

- Quod si qui titubant interdum, nec se satis esse firmos in fide sentiunt, utantur illa voce apostolorum: <sup>6</sup> *Domine, adauge nobis fidem*; et patris illius: <sup>7</sup> *Adiuvam incredulitatem meam*. Sed tum maxime et fide, et spe vigentes, omnia a Deo optata consequemur, quum ad ipsius Dei legem ac voluntatem, omnem mentem, actionem et orationem nostram conformabimus: <sup>8</sup> *Si manseritis, inquit, in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis*. Quamquam ad hanc impetrandi a Deo omnia facultatem, in primis necessaria est, ut antea diximus, oblivio iniuriarum, et benevolentia ac benefica voluntas in proximos.

## CAPUT VIII.

QUAE RATIO IN ORANDO REQUIRATUR.

1. *De optima orandi ratione docendum esse populum, et quid sit orare in spiritu et veritate.*

Maxime autem refert, quo modo sacris precibus utamur; nam etsi precatio bonum est salutare, tamen, nisi recte adhibeatur, minime

8) Ioan. 15, 7. Bona intentio est necessaria, et conformitas voluntatis nostrae cum divina.

prodest. Quod <sup>1</sup> enim petimus, saepe non assequimur, ut sanctus inquit Iacobus, ob eam causam, quia male petimus. Ergo docebunt parochi fidelem populum, quae sit optima ratio bene petendi, et privatim ac publice orandi; quae praecepta christianae orationis tradita sunt ex Christi domini disciplina.

Est igitur orandum *in spiritu et veritate*:

<sup>2</sup> nam caelestis Pater tales quaerit, qui adorent eum *in spiritu et veritate*. Orat autem eo modo, qui intimum et flagrans animi studium adhibet. A qua spirituali precandi ratione vocalem non excludimus; verumtamen principatum iure tribuendum ducimus illi, quae a vehementi animo proficiscitur, obsecrationi; quam Deus, cui <sup>3</sup> patent occultae hominum cogitationes, audit, etiam si ore non proferatur. Audivit <sup>4</sup> Annae eius, quae fuit mater Samuelis, intimas preces; de qua illud legimus, <sup>5</sup> flentem orasse, et tantum labia moventem. Oravit hoc modo David; ait enim: <sup>6</sup> *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea*. Huiusmodi exempla in divinis libris passim legentibus occurrunt.

2. *Quis sit usus vocalis orationis praecipuus.*

Habet autem vocalis oratio propriam utilitatem et necessitatem; nam incendit animi studium, et religionem orantis inflamat. Quod ad Probam scripsit sanctus Augustinus hoc modo: *Nonnumquam verbis et aliis signis ad augendum desiderium sanctum, nos ipsi acrius excitamus. Cogimur interdum vehementi animi cupiditate, et pietate, verbis efferre sententiam. Nam exsultante animo laetitia, par etiam est, linguam exsultare; et vere decet nos cumulatam illud sacrificium facere, et animae, et corporis: quem apostolorum orandi morem fuisse, ex actis et ex Apostolo multis locis cognoscimus.*

3. *Vocis officium perinde in privata oratione ac in publica necessarium non est.*

Sed quoniam duplex precandi ratio est: privata et publica, privatae orationis pronuntiatione utimur, ut intimum studium et pietatem adiuvet; in publica, quae ad incitandam fidelis

1) Iacob. 4, 3.

2) Ioan. 4, 23.

De adoratione in spiritu et veritate decem et septem libros scripsit D. Cyrillus Alexandrinus, qui nuper latinitate donati in lucem prodierunt.

Duplex orandi ratio, mentalis et vocalis, quarum mentalis potior.

3) Deut. 31, 21.

4) I. Reg. 1, 17.

5) Ibid. 13.

6) Ps. 26, 8.

S. Aug. ep.

121. c. 9.

Quomodo ex redundantia cordis os loquatur, vide Ps. 15, 9.

populi religionem instituta est, certis statisque temporibus linguae officio supersederi nullo modo potest.

4. *Soli christiani in spiritu orant, et longas orationes non debent refugere.*

Hanc vero spiritu orandi consuetudinem, propriam christianorum hominum, infideles minime colunt; de quibus ita licet Christum dominum loquentem audire: <sup>1</sup> *Orantes nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt; putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis; scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.*

2) Matt. 6, 7, 8.

Quum autem prohibeat loquacitatem, longas tamen preces, quae a vehementi ac diuturno animi studio profisciscantur, tantum abest ut reiiciat, ut etiam suo exemplo nos ad eam rationem cohortetur, qui <sup>2</sup> non modo noctes in precatione consumpsit, sed <sup>3</sup> ter eundem sermonem repetiit. Tantum igitur statuendum est, inani verborum sono minime exorari Deum.

2) Luc. 6, 12.

3) Matt. 26, 41. 44.

5. *Orationes hypocritarum reiicit Dominus.*

Nec vero ex animo orant hypocritae, a quorum nos consuetudine deterret Christus dominus in hanc sententiam: <sup>4</sup> *Quum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in Synagogis, et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem, quum oraveris, intra in cubiculum tuum, et <sup>5</sup> clauso ostio, ora*

4) Matt. 6, 5, 6.

5) Sicut Eliseus fecit 4. Reg. 4. 33. Quid sit intra cubiculum orare.

*Patrem tuum in abscondito; et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Cubiculum, quod hoc loco dicitur, ad cor hominis referri potest, quod non satis est ingredi, sed praeterea occludi oportet, ne quid erumpat vel influat in animas extrinsecus, quo precationis integritas violari possit. Tum enim caelestis Pater, <sup>6</sup> qui omnium mentes et occultas cogitationes maxime perspicit, orantis postulationi concedit.

6) Isa. 29.

6. *Si diutius, quod postulamus, differtur, non tamen ab hoc pietatis exercitio cessandum est.*

Requirat praeterea oratio assiduitatem; quae <sup>7</sup> quantam vim habeat, <sup>7</sup> iudicis illius exemplo Dei

7) Luc. 18, 1, 3.



filius ostendit; qui quum nec timeret Deum, nec hominem revereretur, victus assiduitate ac diligentia viduae, eius postulationi concessit. Itaque assiduae Deo preces faciendae sunt; nec imitandi illi, qui semel aut iterum orantes, nisi, quod petunt, impetrarint, in oratione defatigantur: nulla enim huius officii lassitudo esse debet; <sup>1</sup> quod nos Christi domini et <sup>2</sup> Apostoli docet auctoritas. Quod si interdum in eo voluntas defecerit, precibus a Deo petamus perseverandi vim.

<sup>1</sup>) Luc. 18, 1.  
<sup>2</sup>) 1. Thess. 5, 7.  
17.

7. *Christus, si quid a caelesti patre postulare velimus, illud in suo nomine postulandum iussit.*

Vult etiam Dei filius, orationem nostram ad Patrem suo nomine pervenire; quae eius merito et gratia deprecatoris id pondus assequitur, ut a caelesti Patre audiatur. Est enim eius illa vox apud sanctum Ioannem: <sup>3</sup> *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo; petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum;* et iterum: <sup>4</sup> *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.*

<sup>3</sup>) Ioan. 16, 23.  
24.

<sup>4</sup>) Ioan. 14, 13.

8. *Fervor sanctorum in oratione imitandus, et petitioni gratiarum actio adiungenda.*

Imitemur ardens sanctorum hominum studium, quod in orando adhibebant. Gratiarum autem actionem cum precatione iungamus, apostolorum exemplo, qui hanc consuetudinem perpetuo servaverunt, quemadmodum apud <sup>5</sup> Apostolum licet videre.

<sup>5</sup>) 1. Cor. 14, 18.  
Ephes. 5, 19.  
20.  
Colos. 3, 17.  
1. Tim. 2, 1.

9. *Ut fervens et efficax sit oratio, ieiunium est adhibendum et eleemosyna.*

Ieiunium <sup>6</sup> vero et eleemosynam ad orationem adhibeamus. Ieiunium quidem certe maxime est cum oratione sociatum: nam, qui cibo et potu sunt onusti, horum mens oppressa est sic, ut neque Deum intueri, neque, quid sibi velit oratio, cogitare possint. Sequitur eleemosyna, quae magnam et ipsa cum oratione societatem habet. Quis enim, cui facultas sit benigne faciendi ei, qui aliena misericordia vivat, nec opituletur proximo et fratri suo, se charitate praeditum

<sup>6</sup>) Tob. 12, 8.  
Aug. in Ps.  
42. Leo serm.  
1. de ieiun.  
sept. mens.  
Petr. Chrysol.  
in serm. 43.  
Bern. sentent.  
sent. 11.

Oratione, ieiunio, et elemosyna placanda est ira divina. Vide Thom. in 1. 2. q. 108. art. 3. ad 4. et 4.

dicere audeat? Aut quo ore is, qui expers sit charitatis, Dei auxilium implorabit, nisi quum peccati veniam precatur, simul et a Deo suppliciter postulet charitatem? Quare divinitus factum est, ut saluti hominum triplici hoc remedio subveniretur: quum enim peccando vel offendamus Deum, vel proximos violemus, vel nos ipsos laedamus; sacris precibus placatum reddimus Deum, elemosyna redimimus hominum offensiones, ieiunio proprias vitae sordes eluimus. Et quamquam singula prosint ad omnium scelerum genera, tamen proprie singulis iis peccatis, quae diximus, apposita et accommodata sunt.

## DE ORATIONIS DOMINICAE

### P R O O E M I O

#### CAPUT IX.

PATER NOSTER QUI ES IN CAELIS.

1. *Cur in huius precationis initio Christus Patris nomen potius, quam Domini aut Iudicis, nos usurpare voluerit.*

Orationem dominicam explicarunt Cypr. serm. 6. de orat. domin. Ambr. lib. 4. de sacram. c. 4. Aug. ep. 121.

Prooemium orationis dominicae quam sit secundum. Cur in dominica oratione primum verbum sit, pater, vide Leo. rer. 6. de

Quum haec formula christianae precationis a Iesu Christo tradita eam habeat vim, ut, antequam ad preces postulationesque veniamus, certis verbis loco prooemii nobis utendum sit, quibus pie ad Deum accedentes, fidentius etiam id facere possimus; parochi officium est, illa distincte dilucideque declarare, ut alacrior pius populus ad preces adeat, seque cum patre Deo acturum intelligat. Prooemium autem, si spectes verba, brevissimum est; si res aestimes, gravissimum mysteriorumque plenissimum. Ac prima quidem vox, qua Dei iussu et institutione utimur in hac precatione, est *Pater*. Nam etsi Salvator noster divinam hanc orationem praetexere potuit aliquo verbo, quod plus maiestatis haberet, exempli causa, Creatoris aut Domini; tamen haec omisit, quae timorem simul nobis afferre possent; illud

autem adhibuit, quod orantibus et aliquid a Deo petentibus, amorem fiduciamque conciliat. Quid enim iucundius est patris nomine, quod indulgentiam sonat et charitatem?

2. *Quae sit prima ratio, ob quam homines Deum merito patrem hic appellent.*

Quibus autem rationibus patris nomen Deo conveniat, suppeditabit facultas docendi fidelem populum ex locis creationis, gubernationis ac redemptionis. Nam quum Deus creaverit hominem ad imaginem suam, nec illam ceteris animantibus impertiverit; ex hoc singulari munere, quo hominem ornavit, iure omnium hominum, nec fidelium modo, sed etiam infidelium, pater<sup>1</sup> in divinis scripturis appellatur.

3. *Quae sit altera ratio, ob quam Deus pater hominum dicatur.*

A gubernatione vero sumere poterit argumentum, quod prospiciendo et consulendo utilitati hominum, praecipuo quodam curae et providentiae modo nobis praestat patriam charitatem. Sed ut in huius explicatione argumenti paternam Dei de hominibus curam melius agnoscat, de custodia angelorum, in quorum tutela sunt homines, aliquid dicendum videtur.

4. *Dei providentia illud negotium angelis datum est, ut custodiant humanum genus.*

Est enim Dei providentia datum hoc negotium angelis, ut custodiant humanum genus, singulisque hominibus praesto sint, ne gravius aliquod detrimentum accipiant. Nam, ut parentes, si infesta et periculosa via filiis iter faciendum sit, custodes adhibent et periculorum adiutores; sic caelestis parens in hoc itinere, quo ad caelestem patriam contendimus, singulis nobis praeposuit angelos, quorum ope ac diligentia tecti, furtim paratos ab hostibus laqueos vitaremus, et factos in nos horribiles impetus repelleremus, iisque ducibus rectum iter teneremus; ne obiectus aliquis error a fallaci adversario, nos de via posset deducere, quae ducit in caelum.

nativit. Domini supra citat.

Per creationem Deus omnium est pater.

1) Deut. 32, 6.  
Isa. 63, 16.  
Malac. I, 6.  
et in novo testamento passim.

Per gubernationem patrem etiam aggit Deus.

Singulis hominibus datum esse angelum custodem, scriptura aperte demonstrat.  
Gen. 48, 16.  
Tob. 5, 21.  
Ps. 90, 11.  
Matt. 18, 10.  
Act. 12, 15.  
Hebr. I, 14.

5. *Quibus argumentis clare intelligamus magnitudinem utilitatis, quae ad homines ex custodia angelorum redeat.*

Quam vero habeat utilitatem haec de hominibus Dei cura ac providentia singularis, cuius munus et administratio mandata est angelis, quorum inter Deum et homines media est et interiecta natura; patet exemplis, quorum copiam suppeditant divinae litterae, quae testantur, saepe Dei benignitate factum esse, <sup>1</sup> ut, inspectantibus hominibus, angeli mirabiles res efficerent, quibus moneremur, innumerabilia eius generis, quae sub oculis non caderent, a custodibus nostrae salutis angelis effici utiliter ac salutariter. <sup>2</sup> Raphael angelus, Tobiae comes et dux itineris divinitus adiunctus, illum duxit et reduxit incolumem, <sup>3</sup> cui et adiumento fuit, ne ab immani pisce devoraretur; et, quanta esset in eius piscis <sup>4</sup> iecore, felle et corde vis, demonstravit. Ille <sup>5</sup> daemonium expulit, eiusque impedita et colligata potestate, ne Tobiae noceret, effecit; ille <sup>6</sup> verum et legitimum matrimonii ius et usum adolescentem edocuit; ille <sup>7</sup> Tobiae patri, oculis capto, lumina restituit.

1) Gen. 16, 19. 21, 22, 24, 28. et sic saepissime.

2) Tob. 5, et per totum librum.

3) Tob. 6, 2, 3.

4) Ibid. 6, 8.

5) Tob. 8, 3.

6) Tob. 6, 17. etc.

7) Tob. 11, 7. 8, 15.

6. *De angelo, per quem divus Petrus e carcere liberatus est.*

8) Act. 12, 7. 8, 9.

Angelus item ille, principis <sup>8</sup> apostolorum liberator, uberem praebebit materiam ad erudendum pium gregem de admirabili fructu curae custodiaeque angelorum, quum demonstrabunt parochi angelum carceris tenebras illustrantem, et Petrum tacto eius latere e somno excitantem, solventem catenas, dirumpentem vincula, momentem ut surgeret, seque, sumptis caligis et reliquo vestitu, sequeretur; quum docebunt ab eodem angelo Petrum per custodias libere educum e carcere, et, aperta denique ianua, in tuto collocatum.

Deus quantumvis offensus nunquam hominum obliviscitur,

Huius generis exemplorum, quemadmodum diximus, referta est sanctarum litterarum historia; quibus intelligimus, quanta sit vis beneficiorum, quae confert in homines Deus, angelis

interpretibus et internuntiis, nec solum certa aliqua et privata de re missis, sed a primo ortu nostrae curae praepositis, et in singulorum hominum salutis praesidio collocatis. Hanc doctrinae diligentiam illa utilitas consequetur, ut audientium mentes erigantur, et ad agnoscendam ac venerandam Dei paternam de se curam ac providentiam excitentur.

7. *Qua praeterea ratione agnoscant homines fideles paternam Dei de hominibus curam.*

Commendabit autem hoc loco parochus, in primisque praedicabit divitias benignitatis Dei erga genus humanum; quem quum a primo parente nostri generis et peccati usque ad hanc diem offenderimus flagitiis ac sceleribus innumerabilibus, retinet tamen in nos charitatem, neque praecipuam illam de nobis curam deponit. Quem si quis existimat hominum oblivisci, amens est, et in Deum iacit indignissimam contumeliam. Irascitur Israeli Deus propter eius gentis blasphemiam, quae se arbitrabatur caelesti ope desertam esse. Est enim in Exodo: *Tentaverunt Dominum, dicentes: Estne Dominus in nobis, an non?* Et apud Ezechielem succenset eidem populo Deus, quod dixerat: *Non videt Dominus nos; dereliquit Dominus terram.* Ergo fideles his auctoritatibus a nefaria illa opinione deterrendi sunt, fieri posse, ut Deum capiat hominum oblivio. In quam sententiam audire licet conquerentem de Deo apud Isaiam israeliticum populum; contraque Deum stultam eius querimoniam benigna similitudine refellentem. Est enim ibi: *Dixit Sion: Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei; cui Deus: Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.*

8. *Exemplo primi parentis Dei in nos benignitas demonstratur.*

Quibus locis quamquam id liquido confirmatur, tamen ut fideli populo penitus persuadeatur, nullum posse tempus accidere, quo deponat Deus

quantaque sit illius in nos misericordia, ac providentia, vide Gen. 6, 7, 8. 12. 28. 31. 32. 39. et 45. 5. 6. 7.

1) Gen. 3, 6. Conferantur haec cum XIX. sect. ar. 1. symboli, et cum sect. 7. c. 1. decal.

2) Exod. 17, 7.

3) Ezech. 8, 12.

4) Isa. 49, 14. 15. 16.

Primorum parentum luculeo exemplo declarat Deus

nam nullo unquam tempore hominibus deesse.

Exemplum iustae in peccatores indignationis.

1) Gen. 3, 17, 18.

2) Ibid. 23.

Exemplum divinae in homines etiam peccantes benignitatis.

3) Gen. 3, 21.

hominum memoriam, quo eis non tribuat patriae charitatis officia, parochi rem clarissimo primorum hominum exemplo comprobabunt. Quos, post neglectum violatumque Dei iussum, quum acerbius accusatos et horribili illa sententia condemnatos audis: <sup>1</sup> *Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae; spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terrae*; <sup>2</sup> quum vides e paradiso expulsos, et, ut omnis reditus spes adimeretur, quum in aditu paradisi collocatum legis cherubim flammeum tenentem et versatilem gladium; quum ab ulciscente suam iniuriam Deo illos intimis et externis molestiis conflictatos intelligis; an non actum de homine putes? An non credas, non modo divino illum auxilio nudatum, sed etiam cuius iniuriae propositum? Verumtamen in tantis divinae irae et ultionis iudiciis oborta est lux quaedam Dei in eos charitatis: <sup>3</sup> *Fecit enim, inquit, dominus Deus Adae et uxori eius tunicas pelliceas, et induit eos*: quod maximum fuit argumentum, hominibus nullo unquam tempore defuturum Deum.

9. *Nullis, quantumvis magnis, hominum sceleribus Dei benignitatem exhauriri posse probatur.*

Huius etiam sententiae vim, non exhauriri Dei amorem ulla hominum iniuria, David expressit illis verbis: <sup>4</sup> *Numquid continebit Deus in ira sua misericordias suas?* Hanc Habacuc Deum affatus exposuit, dum inquit: <sup>5</sup> *Quum iratus fueris, misericordiae recordaberis.* Hanc sic Michaeas aperuit: <sup>6</sup> *Quis Deus similis tui, qui auferis iniquitatem et transfers peccatum reliquiarum hereditatis tuae? Non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est.* Omnino res ita se habet: quum maxime perditos nos, et Dei praesidio spoliatos arbitramur, tum maxime, pro immensa sua bonitate, nos quaerit et curat Deus: sustinet enim in ira gladium iustitiae, nec cessat effundere inexhaustos misericordiae thesauros.

4) Ps. 76, 10.

Vide item versus praecedentes.

5) Habac. 3, 2.

6) Mich. 7, 18.

10. *Quae sit tertia ratio, qua patriae charitatis beneficium in genus humanum Deus cumulate ostendit.*

Magnam igitur vim habent ad declarandam praecipuam Dei rationem in amando tuendoque hominum genere creatio et gubernatio. Sed tamen illud opus redimendi hominem sic eminet inter duo superiora, ut beneficentissimus Deus parensque noster summam in nos benignitatem<sup>1</sup> tertio hoc beneficio cumulatam illustrarit. Quare tradet spiritualibus filiis parochus, et assidue eorum auribus inculcabit hanc praestantissimam Dei erga nos charitatem, ut intelligant, se, quia redempti sunt, admirabilem in modum Dei filios evasisse.<sup>2</sup> *Dedit enim, inquit Ioannes, eis potestatem filios Dei fieri; et: Ex Deo nati sunt.* Quam ob causam baptismus, quod primum redemptionis pignus et monumentum habemus,<sup>3</sup> sacramentum regenerationis dicitur. Inde enim nascimur Dei filii; nam inquit ipse Dominus:<sup>4</sup> *Quod natum est ex spiritu, spiritus est; et: Oportet vos nasci denuo; item Petrus apostolus: Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi.*

11. *Singulari Dei beneficio per redemptionem filii Dei effecti sumus.*

Huius pondere redemptionis, et Spiritum sanctum accepimus, et Dei gratia dignati sumus. Quo munere filii Dei adoptamur, quemadmodum ad Romanos scripsit Apostolus:<sup>6</sup> *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* Cuius vim et efficaciam adoptionis explanat sanctus Ioannes ad hunc modum:<sup>7</sup> *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus.*

12. *Quid christiani, filii Dei iam effecti, post tot accepta paternae charitatis officia, vicissim Patri praestare debeant.*

His expositis, admonendus est fidelis populus quid ipse vicissim debeat amantissimo Patri Deo, ut intelligat, quem amorem ac pietatem, quam obedientiam ac venerationem creatori, governa-

Tertio per redemptionem Deus est hominum parens.

1) Vide Ioan. 3. 10. et 15.

2) Iacob. 1. 12. Baptismus redemptionis nostrae est pignus.

3) Tit. 3, 5.

4) Ioan. 3, 6, 7.

5) I. Petr. 1, 23.

6) Rom. 8, 15.

7) I. Ioan. 3. 1.

Non tantum ex secundis rebus, verum etiam ex calamitatibus immissis me-

tiendam esse  
patris coelestis  
benignitatem.

- tori ac redemptori praestare, qua spe ac fiducia illum invocare oporteat. Sed ad erudiendam inscitiam, dirigendamque sententiae perversitatem eorum, si qui tantummodo secundas res, et prosperum vitae cursum argumento esse existimant, Deum conservare nobis amorem suum, rebus autem adversis et calamitatibus quum a Deo exercemur, id esse signum hostilis in nos animi, et prorsus abalienatae a nobis divinae voluntatis;
- 1) Iob 19, 21. demonstrandum erit, quum <sup>1</sup> tangit nos manus Domini, minime id hostiliter facere Dominum,
- 2) Deut. 32, 39. <sup>2</sup> verum percutiendo sanare, et plagam a Deo venientem esse medicinam. Castigat enim peccantes, ut ea disciplina meliores faciat, et praesenti animadversione redimat ab exitio sempiterno. Nam <sup>3</sup> visitat quidem *in virga iniquitates nostras, et in verberibus peccata nostra, misericordiam autem suam non aufert a nobis*. Quare monendi sunt fideles, ut in eiusmodi castigatione patriam Dei charitatem agnoscant, et illud apud patientissimum Iob in memoria et in ore habeant: <sup>4</sup> *Ipse vulnerat, et medetur; percutit, et manus eius sanabunt*; ut illud usurpent, quod sub persona populi israelitici scripsit Ieremias:
- 4) Iob 5, 18. et consequenter.
- 5) Ier. 31, 18. <sup>5</sup> *Castigasti me, et eruditus sum, quasi iuvenculus indomitus; converte me, et convertar, quia tu dominus Deus meus*; ut Tobiae exemplum sibi proponant, qui quum illa plaga caecitatis paternam Dei manum caedentem sensisset, exclamavit: <sup>6</sup> *Benedico te, domine Deus Israel, quia tu castigasti me, et tu salvasti me.*
- 6) Tob. XI, 17. *13. Deum numquam nostri oblitum esse, fidelibus inculcandum.*
- Deus clare omnium afflictiones intuetur.
- In quo maxime cavendum est fidelibus, ne, etiamsi quovis incommodo affecti, quavis calamitate afflicti sint, Deum id ignorare existiment; ait enim ipse: <sup>7</sup> *Capillus de capite vestro non peribit*. Immo vero se ipsi illo divini oraculi solatio consolentur, quod in Apocalypsi dictum
- 7) Luc. 21, 18. est: <sup>8</sup> *Ego quos amo, arguo, et castigo*. Conquiescant in Apostoli cohortatione ad Hebraeos:
- 8) Apoc. 3, 19. <sup>9</sup> *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini; neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim*
- 9) Hebr. 12, 5. 6. 7. 8. 9.



*diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri estis, et non filii. Patres quidem carnis nostrae, eruditores habuimus, et reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus?*

## N O S T E R.

14. *Cur Deum pluralitatis vocabulo nostrum patrem hic appellare iubeamur.*

Quum Patrem invocamus singuli, et nostrum appellamus, docemur, ex dono ac iure divinae adoptionis consequi necessario, ut fratres sint fideles omnes, et inter se fraterne amare debeant:

<sup>1</sup> *Omnes enim, inquit, vos fratres estis; unus est enim Pater vester, qui in caelis est.* Quare etiam in epistolis fideles omnes <sup>2</sup> apostoli fratres appellant. Ex quo item conficitur illa consequutio necessaria, ut eadem adoptione Dei, non solum inter se fideles universi fraterna necessitudine coniungantur, sed, quia homo est unigenitus Dei filius, fratres etiam eius et nominentur, et sint. Nam in epistola ad Hebraeos, quum de filio Dei loqueretur, scripsit Apostolus: <sup>3</sup> *Non confunditur fratres eos vocare, dicens: <sup>4</sup> Nuntiabo nomen tuum fratribus meis;* quod tanto ante David de Christo domino praedixerat. Ipse vero etiam Christus sic apud Evangelistam loquitur ad mulieres: <sup>5</sup> *Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaeam: ibi me videbunt.* Quod tum ab eo dictum esse constat, quum iam excitatus a mortuis immortalitatem esset consequutus, ne quis existimet, fraternam hanc cognationem, eius resurrectione et in caelum ascensu, dissolutam esse. Tantum enim abest, ut hanc coniunctionem et charitatem Christi resurrectio diremerit, <sup>6</sup> ut ex illa maiestatis et gloriae sede, tum, quum de omnibus omnis memoriae hominibus iudicabit, <sup>7</sup> fidelium minimos ab eo fratrum nomine appellandos acceperimus.

15. *Qua ratione inter Christi fratres fideles censeantur.*

Qui autem fieri potest, ut Christi fratres non

Christiani proprie Deum suum patrem appellant nostrum, primum, ut donum adoptionis, quae beneficio christifidelibus contigit, ab omnibus agnoscat.

<sup>1</sup>) Matt. 23, 8.

<sup>2</sup>) Rom. I, 13.

<sup>3</sup>) et 12, 1.  
Christum christiani propter humanitatem fratrem habent.

<sup>3</sup>) Hebr. x, 11.

<sup>4</sup>) Ps. 21, 23.

<sup>5</sup>) Matt. 28, 10.  
Sic Ioan. 20, 17.

Fraterna cum Christo cognatio eius resurrectione non est dissoluta.

<sup>6</sup>) Matt. 25, 31.

<sup>7</sup>) Ibid. 40.

Quomodo

christiani sint  
Christi cohe-  
redes.

1) Rom. 8, 17.

2) Col. 1, 28.

3) Heb. 1, 2.

4) I. Cor. 3, 9.

Graeci habent

συνήργοι,

id est, coope-

ratores.

5) I. Cor. 9, 24.

6) Heb. 6, 10.

simus, cuius <sup>1</sup> *coheredes* dicimur? Est enim <sup>2</sup> *primogenitus* ipse, <sup>3</sup> *constitutus heres universorum*: nos vero secundo loco geniti, coheredes eius, pro modo caelestium donorum, pro ratione charitatis, qua praebuerimus nos ministros, et <sup>4</sup> *coadiutores Spiritus sancti*; quo auctore ad virtutem salutaesque actiones impellimur et incendimur, ut eius freti gratia in certamen salutis fortiter descendamus; quo sapienter constanterque confecto, <sup>5</sup> *decursoque huius vitae spatio*, iustum coronae praemium capimus a caelesti parente, omnibus, qui eundem cursum tenuerint, constitutum. <sup>6</sup> *Non enim*, ut ait Apostolus, *iniustus est Deus, ut obliviscatur operis nostri, et dilectionis.*

16. *Quo modo alii pro aliis orare, et omnes invicem fratres aestimare debeamus.*

Quam vero hanc ex animo vocem *noster* proferre debeamus, sancti Chrysostomi sententia declaratur, qui *Deum* inquit *libenter christianum audire, non solum pro se, sed pro altero deprecantem; quod pro se orare naturae est, pro altero gratiae; pro se necessitas cogit, pro altero fraterna charitas hortatur.* Quibus illa subiunxit: *Iucundior est Deo illa oratio, quam fraterna charitas commendat, quam ea, quae necessitate rei pronuntiat.* In hac tanta materia salutaris orationis, monere et hortari debet patriarchus omnes omnis aetatis, generis, ordinis, ut communis huius fraternae necessitudinis memores, comiter et fraterne se gerant, neque se aliis alii praeferant insolentius. Nam etsi in ecclesia Dei diversi sunt officiorum gradus; tamen illa varietas graduum et munerum, fraternae necessitudinis coniunctionem minime tollit: <sup>7</sup> quemadmodum in hominis corpore varius usus et diversa functio membrorum nihil agit, quamobrem haec vel illa corporis pars membri munus et nomen amittat.

7) Rom. 12, 4.

17. *Quibus de causis christiani sint tanta necessitudinis coniunctione copulati.*

Propone tibi eum, qui regia sit potestate: an is igitur, si fidelis est, frater non est omnium,

quī christianae fidei communionē continentur? Maxime: quid ita? quia non est Deus alius is, ex quo divites et reges nati sunt, ab eo, a quo pauperes, et qui in regum potestate sunt, exstiterunt, sed unus Deus, et parens, et dominus omnium. Itaque una spiritualis ortus omnium nobilitas, una dignitas, unus splendor generis; quum omnes <sup>1</sup> ex eodem spiritu, ex eodem fidei sacramento nati simus filii Dei, et eiusdem hereditatis coheredes. Nec vero alium Christum Deum habent copiosi et potentes homines, alium tenuiores et infimi; non aliis sacramentis sunt initiati, nec aliam hereditatem regni caelestis expectant. Fratres sumus omnes, et, ut inquit Apostolus ad Ephesios, <sup>2</sup> *membra sumus corporis Christi, de carne eius, et de ossibus eius*. Quod in epistola ad Galatas significat Apostolus: <sup>3</sup> *Omnes filii Dei estis per fidem in Christo Iesu: quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est iudaeus, neque graecus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu*. Haec autem accurate versanda res est pastoribus animarum, et scienter illis in hac sententia commorandum. Est enim accommodatus locus non minus ad confirmandos et excitandos inopes et abiectos homines, quam ad coercendam comprimendamque arrogantiam locupletum atque potentium. Cui hominum incommodo uti mederetur, urgebat Apostolus fratrem hanc charitatem, et inculcabat fidelium auribus.

18. *Quid christianus, ubi exordium preceationis illud: Pater noster, pronuntiabit, meditari debeat.*

Quum igitur has Deo preces facturus es, christiane, memineris, te tamquam filium ad patrem Deum accedere. Itaque quum preceationem ordiris, et illud: *Pater noster*, pronuntias, cogita, quem in locum te summa Dei benignitas extulerit, qui non ut servum ad dominum adire invitum ac timidum, sed ut ad patrem filium voluntarium securumque confugere iusserit. Qua in memoria et cogitatione, quo vicissim studio

Deus unus et idem est divitum et inopum conditor.

Nobilitas spiritualis omnium christianorum una est.

1) Ioan. 3, 5.

2) Ephes. 5, 30.

3) Gal. 3, 26.

<sup>27. 28.</sup> Vide item Ioan. 17, 2.

Locis supra citatis, et alibi passim.

- et pietate tibi orandum sit, considera: danda enim est tibi opera, te ut talem praebeas, qualem esse decet Dei filium, idest ut oratio et actiones tuae non indignae sint <sup>1</sup> divino genere, quo te dignari voluit beneficentissimus Deus. Ad hanc officii rationem nos Apostolus cohortatur, quum ait: <sup>2</sup> *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi*; ut vere de nobis dici possit, quod ipse Apostolus scripsit ad Thessalonicenses: <sup>3</sup> *Omnes vos filii lucis estis, et filii diei.*
- 1) Act. 17, 28.  
29.  
2) Ephes. 5, 1.  
3) I. Thess. 5, 5.

## QUI ES IN CAELIS.

19. *Quum Deus sit ubique praesens, quo modo domicilium suum peculiariter in caelo habere dicatur.*

Deus est totus ubique, et totus in singulis mundi partibus. Ambr. lib. I. de Spiritu S. c. 7. Dam. lib. I. c. 16. Scot. 2. dist. 2. q. 5. et 4. dist. 10. q. 2. Ierem. 23. 24. Deus est in rebus omnibus. Act. 17. 28. Greg. in Ezech. homil. 8. S. Th. 1. p. q. 8. art. 1.

Constat inter omnes, qui recte de Deo sentiunt, ubique locorum et gentium esse Deum: quod non ita intelligendum est, quasi ipse distributus in partes, una parte locum unum, alia alium occupet ac tueatur; nam Deus spiritus est, omnis expers divisionis. Quis enim audeat Deum tamquam in vestigio positum loci alicuius finibus circumscribere, quum ipse de se dicat: *Numquid non caelum, et terram ego impleo?* Quod rursus sic accipiendum est, Deum caelum ac terram, quaeque caelo ac terra comprehensa sunt, vi sua ac virtute complecti, non autem ipsum ullo loco contineri. Adest enim rebus omnibus Deus vel creans ipsas, vel conservans creatas, nulla regione, nullis finibus vel circumscriptus, vel ita definitus, quo minus et naturam, et potestatem suam praesens ubique constituat; quod beatus David expressit illis verbis:

4) Ps. 138, 8. Deus in divinis scripturis in caelo saepe esse dicitur, ut Ps. 2. 10. 113. et alibi frequenter. Deus in caelo esse dicitur, quia illud uberioris ipsius operationis et gratiae est particeps.

<sup>4</sup> *Si ascendero in caelum, tu illic es.* Verum, etsi praesens adsit, Deus in locis et rebus omnibus, nullis, ut diximus, terminis definitus, tamen in divinis scripturis saepe dicitur habere domicilium suum in caelo: quod ideo factum videmus, quod caeli, quos suspicimus, sunt nobilissima mundi pars, iidemque manent incorrupti, praestantes vi, magnitudine ac pulchritudine ceteris corporibus, certisque ac stabilibus motibus praediti. Ergo ut excitaret hominum animos ad contemplandam infinitam suam pote-

statem ac maiestatem, quae maxime elucet in opere caelorum, se in divinis scripturis habitare testatur in caelis: saepe etiam, quod res est, declarat, nullam esse mundi partem, quae non praesenti Dei natura et potestate comprehensa sit.

Dam. lib. I. de fide orth. cap. 16.  
Greg. Naz. orat. 34. quae est 2. de theol.

20. *Quid fidelibus meditandum exhibeat illa particula: qui es in caelis.*

Quamquam in hac cogitatione fideles non solum communis omnium parentis imaginem sibi proponunt, sed etiam in caelo regnantis Dei, ut oraturi meminerint, mentem animumque referendum esse ad caelum; quantumque spei ac fiduciae affert eis patris nomen, tantum christianae humilitatis ac pietatis adiungat praestans illa natura ac divina maiestas Patris nostri, *qui est in caelis*. Quae verba praefiniunt etiam orantibus, quid petendum sit: omnis enim postulatio nostra, quae ad huius vitae usum ac necessitatem pertineat, nisi cum caelestibus sit coniuncta bonis, et ad illum finem dirigatur, inanis est, et indigna christiano. Quare monebunt pios auditores parochi de hac ratione precationis, et admonitionem illam Apostoli auctoritate comprobabunt: <sup>1</sup> *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt, quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt, sapite, non quae super terram.*

A patre caelesti caelestia dumtaxat bona, aut quae his coniuncta sunt exoptanda.

<sup>1</sup>Colos. 3, 1. 2.

## DE PRIMA PETITIONE

### CAPUT X.

#### SANCTIFICETUR NOMEN TUUM.

##### 1. *Cur a nominis divini sanctificatione nostra desideria exordiamur.*

Quid a Deo petendum, quoque ordine id agendum sit, magister ipse ac Dominus omnium docuit et imperavit. Nam quum studii et desiderii nostri nuntia sit et interpret oratio, tum recte et ratione petimus, quum postulationum ordo sequitur ordinem rerum expetendarum. Monet

Petitionum ordo sequi debet ordinem rerum expetendarum.  
Thom. in 2. 2. q. 83. art. 9.  
Deus est in

*Catech. Rom.*

scipso summum bonum, omnium principium et finis, in creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in angelis desiderabilis, in reprobis intolerabilis.

autem nos vera charitas, totum ut animum ac studium conferamus in Deum; qui, quoniam solus est in seipso summum bonum, iure est praecipuo quodam ac singulari amore diligendus. Nec vero ex animo et unice potest amari Deus, nisi rebus ac naturis omnibus eius honor et gloria praeponeatur. Bona enim, et nostra, et aliena, et omnino omnia, quaecumque boni vocabulo nominantur, ab illo profecta summo ipsi bono cedunt. Quare, ut ordine procederet oratio, Salvator petitionem hanc de summo bono principem et caput constituit petitionum reliquarum, docens nos, priusquam ea, quae nobis aut proximo cuique opus sint, postulemus, quae propria sint Dei gloriae, petere debere, ipsique Deo studium et desiderium eius rei nostrum exponere. Quo facto, manebimus in officio charitatis, qua docemur, et plus Deum, quam nos ipsos, diligere, et primum petere, quae Deo cupiamus, deinde quae nobis optemus.

2. *Quum divina natura nulla re augeri aut carere possit, cur necesse fuerit sanctificationem nominis Dei hic postulare.*

Nilil petimus Deo intrinsecus accedere, quod antea non habuerit, sed exterius aliquid fieri, quo eius gloria innotescat, ad hominum utilitatem optamus.

Et quoniam desiderium et petitio sunt earum rerum, quibus caremus (nec vero Deo, idest eius naturae fieri accessio potest, aut augeri ulla re divina substantia, quae inexplicabilem in modum est omni perfectione cumulata), intelligendum est, extra hanc esse, quae a Deo ipsi Deo petimus, et ad externam eius gloriam pertinere. Cupimus enim et petimus, ut Dei nomen notius sit gentibus; ut eius regnum amplificetur; ut plures quotidie obediant divino numini: quae tria, nomen, regnum, obedientia, non in illo ipso sunt intimo Dei bono, sed assumuntur extrinsecus.

3. *Verba illa: sicut in caelo, et in terra, ad tres primas petitiones referri posse, et quo modo hic intelligantur.*

Verum ut hae petitiones quam vim habeant et quid valeant, planius intelligatur, pastoris erunt partes monere fidelem populum, verba illa: *sicut in caelo, et in terra*, ad singulas

Quid sibi ve-

referri posse primarum trium postulationum, ut: *sanctificetur nomen tuum, sicut in caelo, et in terra*; item: *adveniat regnum tuum, sicut in caelo, et in terra*; similiter: *fiat voluntas tua, sicut in caelo, et in terra*. Quum autem petimus, ut sanctificetur nomen Dei, id sentimus, ut augeatur sanctitas et gloria divini nominis. Quo loco parochus animadvertet ac docebit pios auditores, non id dicere Salvatorem, ut eodem modo sanctificetur in terra, quo et in caelo, idest ut amplitudine terrestri sanctificatio caelestem exaequet; hoc enim fieri nullo pacto potest; sed ut ex charitate et intimo animi studio id agatur.

lit prima peti-  
tione.

4. *Quo modo Dei nomen, per se sanctum, sanctificari a nobis possit.*

Etsi verissimum illud est, sicuti est, divinum nomen per se sanctificatione non egere, quum <sup>1</sup> *sanctum et terribile sit*, quemadmodum ipse Deus suapte natura <sup>2</sup> sanctus est, neque ei ulla sanctitas, qua ab omni aeternitate praeditus non fuerit, possit accedere; tamen, quod in terris longe minori honore afficitur, quam par est, nonnumquam etiam maledictis et nefariis vocibus violatur; propterea cupimus ac petimus, ut laudibus, honore, gloria celebretur, ad exemplum laudum, honoris et gloriae, quae illi in caelo tribuuntur; idest ut sic honor et cultus in mente, in animo, in ore versetur, ut omni veneratione et intima et externa prosequamur, omni celebritate excelsum, purum et gloriosum Deum ad imitationem supernorum et caelestium civium complectamur. Ut enim caelites summa consensione, gloria et praedicatione efferunt Deum; sic precamur, ut idem contingat orbi terrarum, et omnes gentes Deum cognoscant, colant et venerentur; ut nulli plane mortales reperiantur, qui non et suscipiant christianam religionem, et se totos Deo dicantes, credant ex eo omnem sanctitatis fontem exsistere, neque quidquam esse purum aut sanctum, quod non a sanctitate divini nominis oriatur.

<sup>1</sup>) Ps. 110, 9.

<sup>2</sup>) I. Petr. I, 16.

Beati omnes  
Deum perpe-  
tuo laudant.

5. *Quo modo fieri possit, ut Dei nomen in infidelibus sanctum esse possit.*

- 1) Ephes. 5, 26. Testatur enim Apostolus <sup>1</sup> mundatam esse ecclesiam in *lavacro aquae, in verbo vitae*:  
 2) Matt. 28, 9. significat autem verbum vitae <sup>2</sup> nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in quo baptizamur et sanctificamur. Itaque, quoniam nulla cuiusquam expiatio, nulla munditia et integritas esse potest, super quo non sit invocatum divinum nomen; cupimus et petimus a Deo, ut omne hominum genus, relictis impurae infidelitatis tenebris, ac radiis divini luminis illustratum, huius vim nominis agnoscat sic, ut in eo veram quaerat sanctitatem, et in nomine sanctae et individuae trinitatis baptismi sacramentum suscipiens ipsius Dei dextera, perfectam vim sanctitatis consequatur.

Secundo spectatim petitur, ut infidèles per fidem et fidei sacramenta Deo se adiungant.

6. *Qua ratione Dei nomen in peccatoribus sanctificari possit.*

Tertio petitur, ut christiani inscitia relapsi resipiscant.  
 3) Matt. 12, 43. et seqq.

Pertinet vero optatum et postulatio nostra non minus etiam ad eos, qui flagitiis et sceleribus contaminati, puram baptismi integritatem, et <sup>3</sup> innocentiae stolam amiserunt; quare factum est, ut in illis miserrimis suam iterum sedem impurissimus spiritus collocarit. Optamus igitur et precamur a Deo, ut in ipsis etiam sanctificetur nomen eius; <sup>4</sup> ut ad cor et ad sanitatem redeuntes, sacramento poenitentiae redimant pristinam sanctitatem, seque ipsos purum ac sanctum Deo templum ac domicilium praebeant.

4) Isa. 46, 8.

7. *Quo modo omnes homines sanctificare Dei nomen poterunt.*

Quarto petitur, ut gratiae suae lumine corda tenebrosa perfundat.

5) Iacob. 1, 17. Orationa bona, tum animi, tum externa Deo referri debent accepta.

Oramus denique, lumen ut suum Deus praeferat omnium mentibus, quo videre possint, <sup>5</sup> *omne datum optimum, et omne donum perfectum, descendens a Patre luminum*, ad nos divinitus esse delatum: quo temperantiam, iustitiam, vitam, salutem, omnia denique animi, corporis, externa, vitalia ac salutaria bona illi accepta referant, a quo, quemadmodum praedicat ecclesia, bona cuncta procedunt; si quid luce sua sol, si quid reliqua sidera motu et

In oratione



curso prosunt hominum generi; si circumfuso hoc alimur spiritu; si terra frugum et fructuum ubertate vitam sustinet omnium; si opera magistratum quiete ac tranquillitate fruimur; et haec et huius generis bona innumerabilia nobis suppeditat immensa Dei benignitas. Quin etiam, quas philosophi secundas causas appellant, interpretari debemus mirabiliter effectas quasdam, et ad usum nostrum accommodatas Dei manus, quibus nobis sua bona distribuit, ac longe lateque diffundit.

dominicae V.  
post pascha.

8. *Quo modo maxime per agnitionem et venerationem ecclesiae catholicae Dei nomen sanctificetur.*

Quod autem maxime rem continet in hac petitione, illud est, ut omnes agnoscant et venerentur sanctissimam Iesu Christi sponsam et parentem nostram ecclesiam, in qua una est <sup>1</sup> fons ille amplissimus atque perpetuus, ad eluendas et expiandas omnes peccatorum sordes, unde hauriuntur universa salutis et sanctitatis sacramenta; quibus quasi caelestibus quibusdam fistulis in nos a Deo ille sanctitatis ros et liquor effunditur; ad quam solam, et ad eos, quos suo sinu et gremio complexa est, pertinet divini illius imploratio nominis, <sup>2</sup> quod unum *sub caelo datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Quinto optatur, ut catholica ecclesia ab omnibus agnoscat.

1) Zach. 13, r.  
Ecclesiae praerogativae.

Ad solam ecclesiam pertinet divini nominis imploratio.

2) Act. 4, 12.

9. *Qua ratione nomen Dei a christianis hodie poluatur.*

Verum parochi maxime hunc locum urgere debent, boni esse filii, non solum patrem Deum orare verbis, sed re etiam et actione conari, ut eluceat in ipso sanctificatio divini nominis. Utinam non essent, qui, quum oratione hanc Dei nominis sanctificationem assidue postulent, factis, quantum in ipsis est, illud violant atque contaminant; quorum culpa interdum ipsi etiam Deo maledicuntur. In quos dictum est ab Apostolo:

<sup>3</sup> *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes;* 3) Rom. 2, 24.

et apud Ezechielem legimus: <sup>4</sup> *Ingressi sunt ad gentes, ad quas introierunt, et polluerunt nomen sanctum meum, quum diceretur de eis:* 4) Ezech. 36, 20.

*Populus Domini iste est, et de terra eius egressi*

Quomodo ex  
fidelium san-  
ctitate populi  
ad laudandum  
Deum exci-  
tentur, vide  
Deut. 4, 5, 6, 7.  
Virtutibus  
sunt excitandi  
homines ad  
Dei nominis  
sanctificatio-  
nem.

1) Matt. 5, 16.

2) I. Pet. I, 12,  
et 3, 16, 17.

sunt. Qualis enim est vita, et ut sunt eorum mores, qui religionem profitentur, sic de religione ipsa, deque eius auctore religionis multitudo imperita iudicare solet. Quare qui vivunt ex christiana religione, quam susceperunt, et ad eius regulam orationem et actiones dirigunt suas, magnam facultatem praebent aliis laudandi nomen caelestis parentis, et omni honore et gloria celebrandi. Nobis enim ipse has partes imposuit Dominus, ut illustribus virtutis actionibus excitemus homines ad laudem et praedicationem divini nominis, ad quos loquitur in hunc modum apud Evangelistam: <sup>1</sup> *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est; et princeps Apostolorum: <sup>2</sup> Conversationem vestram inter gentes habentes bonam; ut, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum.*

## DE SECUNDA PETITIONE

### CAPUT XI.

#### ADVENIAT REGNUM TUUM.

##### 1. Regni Dei praedicatio in scripturis quam saepe commendata.

Coniunctum  
est huius pe-  
titionis argu-  
mentum cum  
ultimo syn-  
boli articulo.  
3) Matt. 3, 2.

4) Matt. 4, 17.

5) Matt. 5, et  
6, 7. per to-  
tum.

6) Matt. 5, 3.

7) Luc. 4, 43.

Regnum caeleste, quod altera hac petitione postulamus, eiusmodi est, ut eo referatur ac terminetur omnis evangelii praedicatio. Nam et inde exorsus est ad poenitentiam cohortari sanctus Ioannes Baptista, dum <sup>3</sup> *Poenitentiam, inquit, agite: appropinquavit enim regnum caelorum.* Nec aliunde fecit initium suae praedicationis <sup>4</sup> Salvator humani generis; et in illo salutari sermone, <sup>5</sup> quo beatitudinis vias discipulis in monte monstravit, tamquam proposito orationis argumento, principium duxit a regno caelorum: nam <sup>6</sup> *Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Quin etiam eum retinere cupientibus, attulit illam causam necessariae profectionis: <sup>7</sup> *Et aliis civitatibus oportet*

*tet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum.* Hoc idem <sup>1</sup> postea regnum praedicare iussit apostolos; et illi, qui se ire ad sepeliendum patrem suum velle dixerat, respondit: <sup>2</sup> *Tu autem vade, et annuntia regnum Dei.* Quum vero resurrexisset a mortuis, per illos quadraginta dies, quibus apparuit apostolis, <sup>3</sup> loquebatur *de regno Dei.* Quare parochi hunc secundae postulationis locum diligentissime tractabunt, ut fideles auditores, quanta sit in hac petitione vis ac necessitas, intelligant.

2. *Quid haec secunda petitio comprehendat.*

Primum autem ipsis ad rem scienter subtiliterque explicandam, magnam facultatem dabit ea cogitatio, quod, etsi haec petitio coniuncta sit cum reliquis omnibus, eam tamen separatim etiam adhiberi iusserit a ceteris, ut, quod petimus, summo studio quaeramus. Inquit enim: <sup>4</sup> *Quaerite primum regnum Dei, et iustitiam eius; et haec omnia adiicientur vobis.* Et quidem tanta vis et copia caelestium munerum hac postulatione continetur, ut omnia complectatur, quae ad corpoream et spiritualem vitam tuendam sint necessaria. Quem autem regio nomine dignum dicemus, cui ea curae non sint, quae regni salutem contineant? Quod si sunt homines de regni sui incolumitate solliciti, quanta regem regum omnium cura et providentia tueri credendum est et vitam et salutem hominum? Hac igitur regni Dei petitione comprehensa sunt omnia, quibuscumque in hac peregrinatione vel exsilio potius indigemus, quae concessurum se Deus benigne pollicetur; nam statim illa subiunxit: <sup>5</sup> *Et haec omnia adiicientur vobis.* Quibus omnino declaravit, se eum esse regem, qui generi hominum copiose omnia largeque suppeditat; in cuius infinitae benignitatis cogitatione infixus David cecinit: <sup>6</sup> *Dominus regit me, et nihil mihi deerit.*

3. *Quid his faciendum sit, qui huius petitionis fructum consequi cupiunt.*

Verum minime satis est vehementer petere Dei regnum, nisi ad petitionem nostram adhi-

1) Matt. 10, 7.

2) Luc. 9, 60.

3) Act. I, 3.

4) Matt. 6, 33.

Quomodo omnia, quae ad spiritualem et corpoream vitam pertinent, Deus suo regno provident, declarat sub parabola vineae.

Isa. 5, 1.  
Jerem. 2, 21.  
Matt. 21, 33.

5) Matt. 6, 33.

Deus rex est ditissimus valens omnia necessaria nobis praestare.

6) Ps. 22, 1.

Quomodo petendum Dei regnum.

- beamus omnia, tamquam instrumenta, quibus illud quaeritur et invenitur. Nam et quinque fatuae virgines studiose illae quidem petierunt ad hunc modum: <sup>1</sup> *Domine, Domine aperi nobis; verumtamen, quod illius postulationis praesidia non haberent, exclusae sunt: nec iniuria; est enim illa Dei ore pronuntiata sententia: <sup>2</sup> Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum.*

4. *Quibus rationibus regni Dei desiderium hominibus sit excitandum.*

Quam calamitosa sit praesentis vitae conditio.

Quamobrem haurient animarum curatores sacerdotes ex uberrimis divinarum litterarum fontibus ea, quae fidelibus desiderium studiumque commoveant regni caelorum; quae calamitosam status nostri conditionem illis ob oculos ponant, quae sic eos afficiant, ut respicientes et colligentes se, in memoriam redeant summae beatitudinis et inexplicabilium bonorum, quibus redundat aeterna parentis Dei domus. <sup>3</sup> Exsules enim sumus, et plane eius loci incolae, <sup>4</sup> in quo habitant daemones; quorum odium in nos nulla ratione mitigari potest: nam sunt infestissimi et implacabiles in genus humanum. Quid domestica <sup>5</sup> intestinaque proelia, quae inter se corpus et anima, caro et spiritus assidue gerunt? Quibus perpetuo timendum est, ne concidamus; timendum autem? immo vero statim concideremus, nisi propugnaculo divinae dexterarum defendermur. Quam vim miseriarum quam sentiret Apostolus, <sup>6</sup> *Infelix, inquit, ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

5. *Quanta sit hominis miseria, per aliarum rerum cum homine collationem demonstratur.*

Omnes res creatae insistant sibi a Deo vim retinent. Ps. 143, 6. 7. Omnia ad nutum Deo servant praeter hominem. Ps. 118, 89. Gen. c. 3, 19. Reg. c. 14, 14. Paral. 29, 15. Ps. 38, 6.

Haec infelicitas nostri generis, quamquam per se cognoscitur, tamen ex contentione reliquarum naturarum et creaturarum rerum facilius intelligi potest. In illis, sive rationis, sive etiam sensus expertibus, raro fieri videmus, ut aliqua natura a propriis actionibus, a sensu vel motu insito declinet sic, ut a proposito et constituto fine deflectat. Hoc apparet in bestiis agrestibus, nantibus, volucribus, ut res declaratione non egeat.

Quod si caelum suspexeris, nonne verissimum id esse intelligis, quod a Davide dictum est? <sup>1</sup> *In aeternum, Domine, verbum tuum permanet in caelo.* Nempe illud continenti motu et perpetua conversione fertur, ut ne minimum quidem a praefinita divinitus lege discedat. Si terram et reliquam universitatem consideres, facile videas, aut nulla, aut exigua ex parte deficere. At miserrimum hominum genus saepissime labitur; raro, quae recte sunt cogitata, persequitur; plerumque susceptas bonas actiones abiicit atque contemnit; quae modo placuerat optima sententia, subito displicet, et illa reiecta, ad turpia consilia sibi que perniciose dilabatur.

6. *Quae sit omnium miseriarum causa potissima.*

Quaenam igitur est huius inconstantiae miseriaeque causa? Contemptio plane divini afflatus: <sup>2</sup> claudimus enim aures Dei monitis; oculos tollere nolumus ad ea, quae nobis lumina divinitus praeferuntur, nec caelestem patrem salutariter praecipientem audimus. Quare huc incumbendum erit parochis, ut et miseras oculos subiiciant fidelis populi, et commemorent causas miseriarum, et remediorum vim ostendant. Quorum omnium illis facultas non deerit, comparata ex viris sanctissimis, Ioanne Chrysostomo et Augustino, maxime vero ex iis, quae in symboli expositione posuimus. Nam, illis cognitis, quis erit e facinorosorum hominum numero, quin adiumento Dei gratiae praeaeuntis, evangelico illo <sup>3</sup> prodigi filii exemplo conetur exurgere et erigere se, atque in caelestis regis patrisque conspectum venire?

7. *Quidnam Dei regnum in sacris litteris designet.*

His explicatis, quae sit fidelium fructuosa petitio, aperient, quid sit, quod his verbis a Deo postulemus, praesertim quum vocabulum regni Dei multa significet, quorum declaratio et ad reliquam scripturae intelligentiam non erit inutilis, et est ad huius loci cognitionem necessaria.

Communis igitur quaedam regni Dei significatio, quae frequens est in divinis litteris, est non solum eius potestatis, quam habet in omnem

<sup>1</sup>) Ps. 118, 89.

<sup>2</sup>) Prov. 24.  
Isa. 65, et 66.  
Ier. 7, et 55,  
25.

Chrysost.  
hom. 63. ad  
populum an-  
tioc. Aug. lib.  
19. conf. esp.  
28.

<sup>3</sup>) Luc. 25, 18.  
19.

Dei regnum  
primo genera-  
lem in res  
universas po-

testatem, et providentiam enram sigui-  
ficat.

1) Ps. 94, 4.

2) Esther 13.  
9. 11.

Secundo peculiarem illam beneficentiam, qua pios gubernat et dirigit, denotat.

3) Ps. 22, 1.

4) Isa. 33, 22.

Quomodo regnum Christi non sit ex hoc mundo.

5) Ps. 2, 6.

6) Rom. 14, 17.

7) Gal. 2, 20.

Quomodo re-

hominum rerumque universitatem, sed etiam providentiae, qua cuncta regit et moderatur. <sup>1</sup> *In manu eius, inquit Propheta, sunt omnes fines terrae.* Quibus finibus intelliguntur etiam, quae occulta sunt et abdita in intimis terrae ac rerum omnium partibus. In hanc sententiam Mardocheus loquebatur illis verbis: <sup>2</sup> *Domine, Domine, rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuae resistere voluntati. Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuae.*

#### 8. Christi regnum in pios quale.

Item Dei regno declaratur praecipua illa ac singularis providentiae ratio, qua Deus pios et sanctos homines tuetur et curat. De qua propria et eximia quadam Dei cura dictum est illud a Davide: <sup>3</sup> *Dominus regit me, et nihil mihi deerit;* tum ab Isaia: <sup>4</sup> *Dominus rex noster; ipse salvabit nos.* In qua Dei regia potestate, etsi praecipua ratione sunt in hac vita ii, quos diximus, sancti ac pii homines; tamen monuit Pilatum ipse Christus dominus, regnum suum non esse ex hoc mundo, hoc est, minime ex hoc mundo, qui et conditus est et interiturus, ortum habere. Nam eo, quem diximus, modo dominantur imperatores, reges, respublicae, duces, omnesque ii, qui vel expetiti ac delecti ab hominibus praesunt civitatibus atque provinciis, vel per vim et iniuriam dominatum occupaverunt. Christus autem dominus <sup>5</sup> *constitutus est rex* a Deo, ut ait Propheta; cuius regnum, ex Apostoli sententia, iustitia est; ait enim: <sup>6</sup> *Regnum Dei est iustitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.*

#### 9. Qua ratione Christus in suis regnet fidelibus.

Regnat autem in nobis Christus dominus per virtutes intimas, fidem, spem, charitatem; quibus virtutibus regni quodammodo partes effici-mur, et Deo peculiari quadam ratione subiecti, ad eius cultum ac venerationem consecramur; ut quemadmodum dixit Apostolus: <sup>7</sup> *Vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus; ita nobis dicere liceat: Regno ego, iam non ego; regnat vero in me Christus.* Id autem regnum

iustitia dicitur, quia Christi domini iustitia constitutum est. Ac de hoc regno sic loquitur apud sanctum Lucam Dominus: <sup>1</sup> *Regnum Dei intra vos est.* Nam etsi Iesus Christus per fidem regnat in omnibus, qui gremio ac sinu sanctissimae matris ecclesiae continentur; praecipuo tamen modo regit eos, qui praestanti fide, spe et charitate praediti, se tamquam pura quaedam et viva membra Deo praebuerunt, et in his gratiae regnum esse dicitur.

gnam Dei sit iustitia.

1) Luc. 17, 21.

In quibus praecipue regnet Christus.

#### 10. De regno gloriae Christi domini nostri.

Est vero etiam Dei gloriae regnum illud, de quo Christum dominum apud sanctum Matthaeum loquentem audimus: <sup>2</sup> *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Quod idem ab eo regnum apud sanctum Lucam latro admirabiliter sua scelera recognoscens expetebat in hunc modum: <sup>3</sup> *Domine, memento mei, quum veneris in regnum tuum.* Sanctus etiam Ioannes meminit huius regni: <sup>4</sup> *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Meminit item Apostolus ad Ephesios: <sup>5</sup> *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi, et Dei:* Eodem <sup>6</sup> pertinent aliquot similitudines Christi domini loquentis de regno caelorum.

Tertio gloriam et maiestatem designat, quam Deus in caelo obtinet.

2) Matt. 25, 34.

3) Luc. 23, 42.

4) Ioan. 3, 5.

5) Ephes. 5, 5.

6) Matt. 13, 24. 31. 32. 44. et cap. 22, 1. 2.

#### 11. De regni gratiae et gloriae Christi natura et diversitate.

Necesse est autem prius ponere regnum gratiae; neque enim fieri potest, ut in ullo regnet Dei gloria, nisi eiusdem gratia in illo regnarit. Est vero gratia, ipsius sententia Salvatoris, <sup>7</sup> *fons aquae salientis in vitam aeternam.* Gloriam autem quid esse dicemus, <sup>8</sup> nisi gratiam quandam perfectam et absolutam? Quamdiu enim fragili hoc et mortali corpore vestiti sumus, dum in hac caeca peregrinatione et exsilio vagi vel imbecilles absumus a Domino, saepe labimur et cadimus, abiecto regni gratiae adminiculo, quo nitebamur; quum autem regni gloriae, <sup>9</sup> quod perfectum est, lux nobis illuxerit, firmi ac sta-

7) Ioan. 4, 14.

Quid gratia.

8) Rom. 6, 23.

vitam aeternam gratiam vocat.

Regno gratiae frequenter excedimus.

9) 1. Cor. 13, 10

Regnum gloriae semel si ab homine possideatur, nunquam amittitur.

biles perpetuo consistemus. Omne enim et vitium et incommodum exhaurietur; omnis infirmitas confirmata roborabitur; ipse denique nostra in anima et in corpore regnabit Deus: quae res in symbolo uberius tractata est, quum de resurrectione carnis ageretur.

12. *Quid in primis hac petitione Deum oremus.*

Quomodo maxime hic in terris regnum Dei adveniat.

His igitur expositis, quae communem regni Dei sententiam declarant, quid sibi haec petitio proprie velit, dicendum est. Petimus autem a Deo, ut regnum Christi, quod est ecclesia, propagetur; ut se ad fidem Christi domini, et ad accipiendam veri Dei cognitionem convertant infideles et iudaei; et schismatici ac haeretici redeant ad sanitatem, et ad ecclesiae Dei communionem, a qua desciverunt, revertantur; ut compleatur et ad exitum perducatur, quod Isaia ore dixit Dominus: <sup>1</sup> *Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos et clavos tuos consolida: ad dexteram enim, et ad laevam penetrabis; quia dominabitur tui, qui fecit te;* et idem: <sup>2</sup> *Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, et filiae tuae de latere surgent.*

1) Isa. 54, 2.

2) Isa. 60, 3, 4.

13. *Secundo quidnam hic postuletur.*

3) Tit. 1, 16. In christianis perperam viventibus dominatur etiam diabolus.

Verum quia sunt in ecclesia, <sup>3</sup> qui verbis confitentes Deum, factis negantes, deformatam fidem praeseferant, in quibus propter peccatum daemon habitat ac dominatur tamquam in propriis domiciliis; petimus etiam, ut ad eos veniat regnum Dei: quo illi, peccatorum discussa caligine, et radiis divinae lucis illustrati, restituantur in filiorum Dei pristinam dignitatem; ut omnibus e suo regno, caelestis parens, sublatis haereticis atque schismaticis, eiectisque offensionibus ac scelerum causis, <sup>4</sup> aream purget ecclesiae, quae, Deo cultum pie sancteque adhibendo, queta ac tranquilla pace perfruatur.

4) Matt. 3, 12.

14. *Quid tertio loco eadem petitione quaeramus.*

Petimus denique, ut solus in nobis vivat,



solus regnet Deus, ne sit posthac morti locus; sed ut illa<sup>1</sup> absorbeat in victoria Christi domini nostri; qui, <sup>2</sup> disiecto ac dissipato omni hostium principatu, potestate et virtute, suo omnia subiiciat imperio.

<sup>1</sup> 1. Cor. 15, 54.  
<sup>2</sup> 1. Cor. 15, 23, 24.

15. *Quae christianis huius petitionis occasione praecipue agenda et contemplanda offerantur.*

Erit autem curae parochis, ut, quod postulat huius ratio petitionis, fidelem populum doceant, quibus cogitationibus et meditationibus instructus, has pie Deo preces facere possit. Ac primum hortabuntur, ut vim ac sententiam intueantur illius similitudinis a Salvatore introductae: <sup>3</sup> *Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro; quem, qui invenit homo, abscondit, et prae gaudio illius vadit et vendit universa quae habet, et emit agrum illum.* Nam

<sup>3</sup> Matt. 13, 44.  
Christi regnum ut consequamur, omnia terrena sunt contemnenda.

qui noverit Christi domini divitias, is prae illis omnia contemnet; huic facultates, opes, potentia sordescunt: nihil enim est, quod illi summo pretio comparari, immo vero quod in conspectu eius stare possit. Quare, quibus id nosse contigerit, exclamabunt illi, ut Apostolus: <sup>4</sup> *Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Haec est illa insignis evangelii <sup>5</sup> margarita, in quam qui pecuniam, ex omnium bonorum venditione redactam, erogarit, is beatitudine fruatur sempiterna.

Iluc pertinere possunt, quae de sapientia scriptis Iob 28, 15. Salom. Prov. 8, 10. Sap. 7, 9, 10.  
<sup>4</sup> Philip. 3, 8.  
<sup>5</sup> Matt. 13, 45.

16. *Quam sit desiderabile regnum Christi hic per gratiam, et in futuro per gloriam.*

O nos felices, si tantum luminis nobis praeferret Iesus Christus, ut illam videre possemus divinae gratiae margaritam, qua ipse regnat in suis! Nam et nostra omnia, et nos ipsos venundaremus, ut emptam illam tueremur; tum enim denique nobis non dubitanter dicere liceret: <sup>6</sup> *Quis nos separabit a charitate Christi?* Praestantem vero regni gloriae excellentiam, si, quae sit, scire volumus, eandem de illa et <sup>7</sup> Prophetarum, et <sup>8</sup> Apostoli vocem atque sententiam audiamus: *Oculus non vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

<sup>6</sup> Rom. 8, 35

<sup>7</sup> Isa. 64, 4.

<sup>8</sup> 1. Cor. 2, 9.

17. *De humilitate, quam in hac petitione et aliis prae nobis ferre debemus.*

- Proficiet autem ad impetrandum maxime, quod petimus, si, qui simus, ipsi nobiscum reputemus, idest Adam progenies, <sup>1</sup> iure a paradiso eieci et exsules; quorum indignitas ac perversitas summum Dei odium ac sempiternas poenas postularet. Quare demisso tum et abiecto animo simus oportet. Nostra etiam erit plena christiana humilitatis oratio; et omnino nobis ipsi diffidentes, <sup>2</sup> illius more publicani confugiemus in Dei misericordiam; totumque eius benignitati tribuentes, ipsi gratias agemus immortales, qui nobis suum spiritum sit elargitus, <sup>3</sup> quo freti clamare audeamus: *Abba, Pater.*
- 1) Gen. 3, 23. Humiliter regnum Dei petendum.
- 2) Luc. 18, 13.
- 3) Rom. 8, 15.

18. *Quanto studio nobis incumbendum sit, ut tandem caelorum regno potiamur.*

- Suscipiemus etiam illam curam et cogitationem, quid agendum, quid contra vitandum sit, ut ad caeleste regnum pervenire possimus. Non enim a Deo <sup>4</sup> ad otium et ad inertiam vocati sumus; quin immo inquit: <sup>5</sup> *Regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*; et: <sup>6</sup> *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Itaque non est satis petere regnum Dei, nisi suum ipsi etiam studium et operam adhibeant homines. Nam <sup>7</sup> adiutores sint oportet et administri Dei gratiae in eo tenendo cursu, quo pervenitur in caelum. Numquam nos deserit Deus, <sup>8</sup> qui nobiscum se futurum perpetuo pollicitus est; unum ut nobis videndum sit, ne Deum et nos ipsos deseramus. Ac Dei quidem sunt in hoc ecclesiae regno omnia, quibus et vitam tuetur hominum, et salutem perficit sempiternam, et, quae sub aspectum non cadunt, angelorum copiae, et plenissimum virtutis caelestis visibile hoc munus sacramentorum.
- Quid sequi, vel fugere debeamus, ut simus beati, saepe cogitandum.
- 4) Hoc docet parabola evangelica de vinea.
- 5) Matt. 11, 12.
- 6) Matt. 19, 17. Diligentia adhibenda.
- 7) I. Cor. 3, 9. Quomodo simus divinae gratiae adiutores.
- 8) Matt. 28, 10.

Quantis praesidiis homines instruxerit Deus ad caelestis regni consecutionem.

In his tantum nobis praesidii est divinitus constitutum, ut non modo ab acerrimorum hostium regno tuti esse, sed ipsum etiam tyrannum, eiusque nefarios satellites prosternere et conculcare possimus.

19. *Conclusio huius petitionis, et brevis illius alia expositio.*

Quare vehementer ad extremum petamus a Dei spiritu, nos ut omnia iubeat e sua voluntate facere; satanae ut tollat imperium, nullam ut in nobis summo illo die potestatem habeat; ut vincat et triumphet Christus; ut vigeant eius leges toto orbe terrarum, ut decreta serventur; nullus ut proditor aut desertor eius sit; sed tales se praebeant omnes, ut in regis Dei conspectum non dubitanter veniant, et<sup>1</sup> constitutam illis ex omni aeternitate possessionem adeant regni caelestis, ubi beati cum Christo sempiterno aeo fruuntur.

<sup>1</sup>) Matt. 25, 34.

## DE TERTIA PETITIONE

### CAPUT XII.

#### FIAT VOLUNTAS TUA.

1. *Quare, postulato Dei regno, statim subiiciatur, ut eiusdem voluntas fiat.*

Quum a Christo domino dictum sit: <sup>2</sup> *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum;* quicumque in illud caeleste regnum pervenire cupiunt, id a Deo petere debent, ut fiat voluntas eius. Quamobrem hoc loco posita haec petitio est statim post regni caelestis postulationem.

2. *Qua methodo ad veram huius petitionis intelligentiam perveniendum sit.*

Ut autem intelligant fideles, quam necessarium id nobis sit, quod hac prece postulamus, quantamque vim salutarium munerum ex eius impetratione consequamur; demonstrabunt patrochi, quibus miseriis et aerumnis oppressum fuerit hominum genus propter peccatum primi parentis.

Homo in initio suae creationis in Deum tamquam suae beatitudinis auctorem recte ferebatur.

3. *Quae mala praevaricatio primi parentis in humanum genus invexerit.*

Nam a principio Deus proprii boni appetitionem creatis rebus ingeneravit, ut naturali quadam propensione suum quaerent et expeterent finem, a quo illae numquam, nisi obiecto extrinsecus impedimento, declinant. Haec autem initio fuit in homine expetendi Deum, suae beatitudinis auctorem parentemque, eo praeclarior et praestantior vis, quod is compos esset rationis atque consilii. Sed hunc amorem, sibi naturaliter ingenitum, quum reliquae naturae rationis expertes conservassent, quae ut initio procreatae fuerunt natura bonae, sic in eo statu et conditione manserunt, hodieque manent; miserum hominum genus cursum non tenuit. Non enim solum bona iustitiae originalis amisit, quibus a Deo supra naturae suae facultatem auctum ornatumque fuerat, sed etiam insitum in animo praecipuum virtutis studium obscuravit. <sup>1</sup> *Omnes, inquit, declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Nam <sup>2</sup> *sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua;* ut inde facile intelligi possit, neminem per se salutariter sapere, sed omnes ad malum esse propensos, innumerabilesque esse hominum pravas cupiditates, <sup>3</sup> dum proclives sunt, et flagranti studio feruntur ad iram, ad odium, ad superbiam, ad ambitionem, ad omne fere malorum genus.

4. *Homo etsi multis miseriis obrutus sit, suum tamen statum ignorat.*

Quibus in malis quamquam assidue versemur; tamen, quae summa est nostri generis miseria, permulta ex illis sunt, quae nobis minime mala videantur. Quae res insignem arguit hominum calamitatem, qui, cupiditatibus ac libidinibus obcaecati, non videant, quae salutaria opinantur, plerumque esse pestifera: immo vero ad illa pernicioosa mala, tamquam ad optabile et expetendum bonum, rapiantur praecipites; ab iis, quae vere bona sunt et honesta, tamquam a con-

Peccato originali, et amissa iustitia, et ad virtutem inclinatio corrupta est.  
1) Ps. 52, 4.

2) Gen. 8, 21.  
Omnes ab adolescentia ad malum sunt proclives.

Conc. trid. sess. 5. de peccato originali.  
3) Rom. 7, 21.

trariis rebus abhorreant. Hanc opinionem corruptumque iudicium detestatur Deus illis verbis:

*1) Vae qui dicitis malum bonum, et bonum malum; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum.*

5. Quo modo nostram hanc miseriam sacrae litterae nobis sub oculos subiiciant.

Itaque nostris ut subiiciant oculis nostras miserias, comparant nos divinae litterae iis, <sup>2</sup> qui verum gustandi sensum amiserunt; qua re fit, ut a salubri victu alieni sint, appetantque contrarium. <sup>3</sup> Cum aegrotis praeterea nos conferunt: ut enim illi, nisi morbum depulerint, sanorum et integrorum hominum officia ac munera obire non possunt; sic nos actiones, quae Deo gratiae sunt, suscipere sine divinae gratiae adiumento nequimus.

6. In statu naturae corrupto quanta sit ad aliquid boni agendum hominum infirmitas.

Quod si quaedam sic affecti assequimur, levia illa sunt, et quae ad consequendam caelestem beatitudinem parum vel nihil momenti habent. At Deum, ut par est, amare et colere, quod maius quiddam et altius est, quam ut nos humi strati id humanis viribus assequamur, numquam poterimus, nisi adminiculo divinae gratiae sublevemur.

7. In rebus divinis nos omnino pueris esse persimiles.

Quamquam aptissima est etiam illa comparatio ad significandam miseram humani generis conditionem, quod similes esse dicimur puerorum, qui suo relictis arbitrio temere moventur ad omnia: pueri, inquam, sumus, et imprudentes, ludicris sermonibus et inanibus actionibus dediti, si a divino praesidio deseramur. Sic enim nos obiurgat sapientia: <sup>4</sup> *Usquequæ parvuli diligitis infantiam, et stulti ea, quae sibi sunt noxia, cupient?* Et in hunc modum hortatur Apostolus: <sup>5</sup> *Nolite pueri effici sensibus.* Etsi in maiori inanitate et errore versamur, quam illa puerilis aetas, cui tantum abest humana prudentia, ad quam tamen per se tempore potest per-

Gnstam spiritualem amisit homo.

2) Isa. 24, 9.

Homines omnes post peccatum sunt aegrotis similes.

3) Ps. 6, 3. et 106, 12.

Virtutes caelo dignas homo sibi relictos perficere non potest.

Homines per Adae peccatum nunc sunt ipsis pueris insipientiores.

4) Prov. 1, 22.

5) I. Cor. 14, 20.

Prudentiam salutis necessarium nisi Deo adiutore, consequi non possumus.

venire; quum ad divinam prudentiam, quae ad salutem necessaria est, nos, nisi Deo auctore et adiutore, adspirare non possimus. Nisi enim praesto nobis sit Dei auxilium, reiectis iis, quae vere sunt bona, ad interitum ruimus voluntarium.

8. *Quodnam haec petitione tantorum malorum proponatur remedium.*

Ac si quis, discussa divinitus animi caligine, has videat hominum misérias, et, sublato stupore, sentiat <sup>1</sup> legem membrorum, ac sensus cupiditates spiritui repugnantes, recognoscat, omnemque dispiciat naturae nostrae propensionem ad malum; qui poterit non ardenti studio opportunum tanto huic malo, quo naturae vitio premimur, remedium quaerere, salutaremque illam regulam expetere, ad quam christiani hominis vita dirigenda et conformanda sit? Hoc igitur illud est, quod imploramus, quum ita precamur Deum: *Fiat voluntas tua*. Quum enim, <sup>2</sup> abiecta obedientia, et Dei voluntate neglecta, in has misérias inciderimus, unum illud tantorum malorum remedium nobis divinitus propositum est, ut ex Dei voluntate, quam peccando contempsimus, aliquando vivamus, omnesque cogitationes et actiones nostras ea regula metiamur. Quod ut assequi possimus, suppliciter illud a Deo petimus: *Fiat voluntas tua*.

9. *Etiam a iustificatis, qui iam Deo parent, usurpanda haec precatio est.*

Iustificati propter proinitatem ad malum, vita hac durante, semper periclitantur. Concil. trid. sess. 6. c. 12. et 13.

Id vero illis etiam vehementer petendum est, in quorum animis iam regnat Deus, quique iam sunt radiis divini luminis illustrati, cuius gratiae beneficio, Dei obtemperent voluntati. Quibus licet ita comparatis, propriae tamen cupiditates adversantur propter proclivitatem ad malum insitam in hominum sensibus: ut, etiamsi tales simus, magnum tamen hoc loco nobis periculum sit a nobis ipsis, ne <sup>3</sup> abstracti et illecti a concupiscentiis, quae militant in membris nostris, iterum de salutis via deflectamus. De quo nos periculo Christus dominus admonuit illis

4) Matt. 26. 41. verbis: <sup>4</sup> *Vigilate, et orate, ut non intretis in*

tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

10. In iustificatis adhuc viget concupiscentia, quam quidem nemo penitus potest extinguere.

Non enim est in hominis potestate, ne in eius quidem, qui per Dei gratiam est iustificatus, ita domitos habere carnis affectus, ut numquam illi postea excitentur: quippe quum eorum, qui iustificati sunt, mentem sanet Dei gratia, non etiam carnem; de qua illud scripsit Apostolus: <sup>1</sup> *Scio enim, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum.* Nam ut semel primus homo iustitiam originalem, quo tamquam freno quodam cupiditates regebantur, amisit, minime eas postea ratio ita continere potuit in officio, ut ea non appeterent, quae etiam rationi repugnant. Itaque in ea hominis parte <sup>2</sup> peccatum, id est peccati fomitem habitare scribit Apostolus, ut intelligamus eum non ad tempus, quasi hospitem, diversari apud nos, sed, quamdiu vivimus, tamquam incolam nostri corporis in domicilio membrorum haerere perpetuo. Ergo domesticis et intestinis hostibus assidue oppugnati, facile intelligimus, confugiendum esse ad Dei auxilium, petendumque, ut fiat in nobis voluntas eius. Iam vero faciendum est, ut sciant fideles, quae sit huius petitionis vis.

11. Quo modo voluntas Dei in hac petitione accipiatur.

Quo loco, multis omissis, quae a doctoribus scholasticis de Dei voluntate utiliter et copiose disputantur, voluntatem hic accipi dicimus pro ea, quam *signi* appellare solent, hoc est, pro eo quod Deus a nobis fieri aut caveri iusserit aut monuerit. Quare voluntatis nomine hoc loco comprehensa sunt universa, quae nobis ad caelestem beatitudinem comparandam proponuntur, sive illa ad fidem, sive ad mores pertineant; omnia denique quaecumque nos Christus dominus per se, vel per ecclesiam suam facere aut imperarit, aut prohibuerit; de qua voluntate ita scribit Apostolus: <sup>3</sup> *Nolite fieri imprudentes; sed intelligentes, quae sit voluntas Dei, bona, beneplacens, et perfecta.*

Iustitia originalis fuit tamquam frenum, quo carnis cupiditates regebantur, eoque semel amisso numquam ita regi poterunt, quia indentidem noxia appetent.

1) Rom. 7, 18.  
Fomes peccati, seu concupiscentia perpetuo in membris nostris latitat, unde etiam perpetuo adversus illam quaerenda sunt auxilia.  
2) Rom. 7, 20.

Vide magistrum in I. dist. 45. litt. G. II. et I. et Thom. in I. p. q. 19. et ipsum, et alios in I. dist. 45.

3) Ephes. 5, 17.

12. *Quam includat tertia petitio sententiam.*

Quum igitur illud precamur; *fiat voluntas tua*, petimus in primis nobis, ut pater caelestis facultatem concedat obtemperandi divinis iussis, et <sup>1</sup> inserviendi ei *in sanctitate et iustitia omnibus diebus nostris*; ut ad nutum et voluntatem eius omnia faciamus; ut ea colamus officia, de quibus in sacris litteris admonemur; ut, ipso duce et auctore, reliqua omnia praestemus, quae eos decent, <sup>2</sup> *qui non ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt*, exemplum Christi domini sequuti, <sup>3</sup> *qui factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*; ut parati simus omnia perpeti potius, quam vel minimum ab eius voluntate discedere.

13. *Quibus potissimum datum sit, eorum, quae hic petuntur, studio et amore ardentissime flagrare.*

Parere Deo, libertas est, inquit Seneca libro de beata vita c. 15, ex quo D. Bern. serm. 3. de sancto Andrea haec sumpsisse videtur, servire Deo regnare est. 4) Matt. 12, 50. Omnes sancti divinam voluntatem semper fieri optarunt, ut Christus.

Nec vero quisquam est, qui huius studio et amore petitionis flagret ardentius, quam is, cui concessum sit, ut summam eorum dignitatem intueatur, qui Deo obediunt. Idem enim illud verissime dici intelligit, servire Deo et illi obedire, regnare esse. <sup>4</sup> *Quicumque, inquit Dominus, fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, soror, et mater est*; hoc est, cum illo sum omnibus amoris et benevolentiae vinculis coniunctissimus. Nemo fere est ex viris sanctis, quin praecipuum huius petitionis munus a Deo vehementer postularit; ac praeclara quidem omnes, sed varia persaepe oratione usi sunt. In quibus mirificum et suavissimum Davidem videmus illud varie postulantiem; modo enim inquit: <sup>5</sup> *Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas iustificationes tuas*; interdum: <sup>6</sup> *Deduc me in semitam mandatorum tuorum*; nonnumquam: <sup>7</sup> *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis iniustitia*. Huc pertinent illa: <sup>8</sup> *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua*. <sup>9</sup> *Iudicia tua doce me*. <sup>10</sup> *Da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua*. Saepe aliis verbis eandem tractat versatque sententiam. Qui loci diligenter ani-

5) Ps. 118, 5.

6) Ibid. 35.

7) Ibid. 133.

8) Ibid. 73.

9) Ibid. 108.

10) Ibid. 125.



madvertendi sunt et fidelibus explicandi, ut, quanta sit in prima huius petitionis parte vis et copia salutarium rerum, omnes intelligant.

14. *Quid praeterea hac petitione significemus.*

Secundo loco, quum illud precamur: *fiat voluntas tua*, detestamur opera carnis, de quibus scribit Apostolus: <sup>1</sup> *Manifesta sunt autem opera carnis; quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae, invidia, homicidia, ebrietates, comessiones, etc.*; et: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini*. Petimusque, ne sinat Deus, ea nos perficere, quae sensus, quae cupiditas, quae imbecillitas nostra suaserit, sed ut nostram voluntatem sua voluntate moderetur. Alieni sunt ab hac voluntate voluptuarii homines, qui in terrenarum rerum cura et cogitatione defixi sunt. Feruntur enim libidine praecipites ad potiendum, quod concupierunt, et in illo fructu pravae cupiditatis felicitatem ponunt, ut beatum etiam esse dicant, qui, quodcumque optarit, consequatur. Nos contra petimus a Deo, ut ait Apostolus, <sup>2</sup> *ne carnis curam faciamus in desideriis, sed ut fiat voluntas eius.*

<sup>1</sup>) Gal. 5, 19, 20.

Voluptarii, terrenisque affectibus implicati nisi illam cupiditatem exunnt, non vere istud precantur.

<sup>2</sup>) Rom. 13, 14.

15. *Melius est id optare fieri, quod Deus vult, quam id quod cupimus.*

Etsi non facile adducimur, ut precemur Deum, ut cupiditatibus nostris non satisfaciatur. Habet enim difficultatem haec animi inductio; quod ipsi quodammodo, id petentes, nos videmur odisse; quod etiam stultitiae tribuunt ii, qui toti haerent in corpore. Sed nos stultitiae famam subeamus libenter Christi causa, cuius est illa sententia: <sup>3</sup> *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum*. Praesertim quum sciamus, multo praestare id optare, quod rectum iustumque sit, quam illud assequi, quod a ratione, a virtute, a Dei legibus sit alienum. Et certe deteriore loco is est, quicumque ad id pervenit, quod temere ac libidinis impulsu cupiebat, quam qui, optime quod optavit, non assequitur.

Difficile est adversus propriam cupiditatem precari, sed tamen salutare et gloriosum.

<sup>3</sup>) Matt. 16, 24.

16. *Etiam ea, quae pietatis speciem non habent, a Deo petenda non sunt.*

- Quamquam non id modo petimus, ne concedatur nobis a Deo, quod ipsi nostra sponte cupimus, quum studium nostrum depravatum esse constat; sed ne id etiam detur, quod, suasore et impulsore daemone, <sup>1</sup> simulato lucis angelo, tamquam bonum interdum postulamus. Rectissimum illud principis <sup>2</sup> apostolorum studium videbatur pietatisque plenissimum, quum Dominum a consilio proficiscendi ad mortem avocare conabatur; et tamen eum, quia humanis sensibus, non divina ratione ducebatur, Dominus acriter obiurgavit. Quid amantius in Dominum videbatur eo postulari potuisse, quod sancti viri <sup>3</sup> Iacobus et Ioannes, illis irati Samaritanis, qui magistrum hospitio accipere noluisent, ab eo petierunt, uti iuberet ignem e caelo descendere, qui duros illos et inhumanos absumeret? At a Christo domino reprehensi sunt illis verbis: <sup>4</sup> *Nescitis, cuius spiritus estis. Filius enim hominis non venit animas perdere, sed salvare.*

1) 2. Cor. 11, 14.  
2) Matt. 16, 23.  
3) Lucan. 9, 54.  
4) Lucan. 9, 56.

17. *Quum, quae cupimus, ad naturae conservationem spectant, ea maxime ut fiant, si Deus velit, petendum est.*

- Neque vero solum, quum, quod cupimus, malum est aut mali speciem habet, Deum precari debemus, ut fiat voluntas eius, sed etiam quum re vera malum non est; veluti quum voluntas sequitur primam illam naturae inclinationem, ut appetat ea, quae naturam conservant, et reiiciat quae ei contraria videantur. Quocirca, quum in eum locum ventum est, ut aliquid petere velimus huius generis, tum vero dicamus ex animo: *fiat voluntas tua*; imitemur illum ipsum, a quo salutem et salutis disciplinam accepimus; <sup>5</sup> qui quum naturaliter insito cruciatuum et acerbissimae mortis timore commoveretur, tamen in illo horrore summi doloris suam ad Dei patris retulit voluntatem: <sup>6</sup> *Non mea, inquit, voluntas, sed tua fiat.*

5) Matt. 26, 38.  
Qualis autem in Christo fuerit tristitia et timor, vide S. Thom. in 3. p. q. 25. 6. c. 17.  
6) Luc. 22, 42.

18. *Quum citra Dei auxilium peccatum vitare non possimus, id etiam hac petitione postulamus.*

Sed miserabiliter depravatum est hominum genus; qui quum vim etiam suae attulerint cupiditati, eamque divinae voluntati subiecerint, tamen sine Dei auxilio, quo et a malo protegimur, et ad bonum dirigimur, peccata vitare non possunt. Ergo confugiendum est ad hanc precationem, et petendum a Deo, ut in nobis ipse instituta perficiat; ut exsultantes cupiditatis motus comprimat; ut appetitus rationi obedienter efficiat; ut nos denique totos ad suam conformet voluntatem. Precamur etiam, ut<sup>1</sup> Dei voluntatis cognitionem totus orbis terrarum accipiat: quo<sup>2</sup> divinum *mysterium absconditum a saeculis et generationibus*, notum ac pervulgatum sit apud omnes.

1) I. Tim. 2, 4.

2) Col. 1, 26.

SICUT IN CAELO, ET IN TERRA.

19. *Quid sibi ista clausula velit.*

Formam praeterea et praescriptionem huius obedientiae postulamus, ut videlicet ad eam regulam dirigatur, quam in caelo et servant beati angeli, et colit reliquus caelestium animarum chorus; ut quemadmodum illi sponte et summa cum voluptate obediunt divino numini, sic nos Dei voluntati, quo modo ipse maxime vult, libentissime pareamus.

20. *Deo non pretii alicuius causa, sed amore ipsius parendum est.*

Et vero in opera et studio, quod Deo navamus, summum a nobis amorem Deus et eximiam charitatem requirit; ut, etiamsi spe caelestium praemiorum totos nos ei dicaverimus, tamen ideo illa speremus, quod, ut in eam spem ingredemur, placuit divinae maiestati. Quare tota nitatur illo in Deum amore nostra spes, qui mercedem amori nostro proposuit aeternam beatitudinem. Sunt enim qui amanter alicui serviant, sed tamen pretii causa, quo amorem referunt. Sunt praeterea qui tantummodo charitate et pietate commoti, in eo, cui dant operam, nihil spe-

Vide divum Bern. in lib. de diligendo Deo, fere in medio. Voluntas Dei in caelo fit ex amore, charitate.

ctant, nisi illius bonitatem atque virtutem; cuius cogitatione et admiratione se beatos arbitrantur, quod ei suum officium praestare possint.

21. *Aliae item eius clausulae expositiones.*

Et hanc habet sententiam illa appositio: *sicut in caelo, et in terra.* Maxime enim nobis enitendum est, ut Deo simus obedientes, quemadmodum beatas mentes esse diximus; quarum laudes in illo summae obedientiae munere obeundo, eo psalmo persequitur David: <sup>1</sup> *Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* Quod si quis sanctum Cyprianum sequutus, sic illa interpretatur, ut dicat: *in caelo*, in bonis et piis; *in terra*, in malis et impiis; nos vero etiam eius sententiam comprobamus, ut pro caelo spiritus, pro terra caro intelligatur; ut et omnes, et omnia in omnibus Dei voluntati obediant.

1) Ps. 103, 21.

S. Cyprian.  
in serm. de  
oration. domi-  
nic.

22. *Quo modo etiam gratiarum actionem contineat haec petitio.*

Gratiarum item actionem continet haec petitio: veneramur enim Dei sanctissimam voluntatem, et maximo perfusi gaudio, summis laudibus et gratulationibus omnia eius opera celebramus, qui certo sciamus, <sup>2</sup> eum omnia bene fecisse. Quum enim constet, esse omnipotentem Deum, necessario sequitur, ut omnia eius nutu facta esse intelligamus: quum vero etiam ipsum, sicuti est, summum bonum esse affirmemus, nihil ex eius operibus non esse bonum, quum omnibus ipse suam impertiverit bonitatem, confitemur. Quod si in omnibus divinam rationem non assequimur, in omnibus tamen et ambigui causa neglecta, et reiecta omni haesitatione, illud Apostoli profiteremur, <sup>3</sup> *investigabiles esse vias eius.* Sed ob id maxime etiam Dei voluntatem colimus, quod ab eo caelesti lumine dignati sumus: <sup>4</sup> *ereptos enim de potestate tenebrarum, transtulit in regnum filii dilectionis suae.*

2) Matt. 7, 37.

3) Rom. 11, 33.

4) Coloss. 1, 13.

23. *Quid ex hac petitione ad contemplationem referendum sit.*

Sed ut extremo loci id explicetur, quod ad meditationem pertinet huius petitionis, redeun-

dum est ad id, quod initio attigimus, debere fidelem populum in huius pronuntiatione petitionis esse demisso et humili animo, reputantem secum eam, quae in natura est insita, cupiditatum vim divinae voluntati repugnantem, cogitantem se in eo officio vinci a naturis omnibus, de quibus ita scriptum est: <sup>1</sup> *Omnia serviunt tibi*; maximeque imbecillum esse, qui nullum opus Deo gratum non modo non perficere, <sup>2</sup> sed ne instituere quidem possit, nisi Dei adiumento sublevetur. Quoniam vero nihil magnificentius est, nihil praestantius, quam, ut diximus, Deo servire, et vitam ex eius lege ac praeceptis agere; quid optabilius esse potest homini christiano, quam <sup>3</sup> ambulare in viis Domini, quam nihil agitare animo, nihil actione suscipere, quod a divina voluntate abhorreat? Ut vero exercitationem capiat, et illud institutum teneat diligentius, petat ex divinis libris exempla eorum, quibus, quum illi consiliorum suorum rationem non retulissent ad Dei voluntatem, omnia male ceciderunt.

<sup>1</sup>) Ps. 118, 91

<sup>2</sup>) Ioan. 16, 6.

<sup>3</sup>) Ps. 118, 1.

Infelices qui sua consilia divinae voluntati suo accommodant. Exemplum vide in Pharaon. Exod. 4, 5, 6. et seq.

24. *Quantum commodi ad vitam tranquille agendam ex huius petitionis meditatione consequi possimus.*

Moneantur postremo fideles, ut in simplici et absoluta Dei voluntate acquiescant; ferat aequo animo conditionem suam, qui sibi inferiori loco videtur esse, quam eius dignitas postulet; ne deserat ordinem suum, sed <sup>4</sup> in ea vocatione maneat, in qua vocatus est, et proprium iudicium subiciat Dei voluntati, qui nobis melius consulit, quam ipsi optare possimus. Si angustia rei familiaris, si corporis valetudine, si persecutionibus, si aliis molestiis et angoribus premimur; certo statuendum est, nihil horum sine Dei voluntate, quae summa omnium ratio est, nobis accidere posse; ideoque non debere nos gravius commoveri, sed invicto animo ferre, semper illud in ore habentes: <sup>5</sup> *Domini voluntas fiat*; et illud beati Iob: <sup>6</sup> *Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.*

<sup>4</sup>) I. Cor. 7, 20.

Voluntas Dei est ratio summa omnium, quae sunt. Vide D. Thom. in I. p. q. 19. art. 4.

<sup>5</sup>) Act. 21, 14.

<sup>6</sup>) Iob 1, 21.

# DE QUARTA PETITIONE

## CAPUT XIII.

PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE.

1. *Quaenam in hac oratione dominica ratio ordinis servata sit.*

Quarta petitio, et reliquae deinceps, quibus animae et corporis subsidia proprie ac nominatim postulamus, ad superiores petitiones referuntur. Habet enim hunc ordinem ac rationem precatio dominica, ut postulationem rerum divinarum consequatur earum petitio, quae ad corpus et ad hanc vitam tuendam pertinent. Nam ut ad Deum tamquam ad ultimum finem referuntur homines, sic humanae vitae bona ad divina eadem ratione diriguntur.

2. *Cur humanas vitas bona a Deo licite optentur et petantur.*

Quae quidem ideo optanda ac petenda sunt, vel quod ita divinus ordo postulat, vel quod illis adiumentis ad divinarum bonorum adeptionem indigemus, ut iis adminiculis propositum finem consequamur, qui regno et gloria caelestis patris, atque iis praeceptis colendis servandisque continetur, quae Dei voluntatis esse non ignoramus. Quare omnem vim et rationem huius petitionis ad Deum eiusque gloriam referre debemus.

3. *Quo fine et modo temporalia bona sint postulanda.*

Praestabunt igitur suum officium parochi fidelibus auditoribus, ut intelligant in iis petendis, quae ad usum ac fructum pertinent rerum terrenarum, esse intendendum animum ac studium nostrum ad Dei praescriptionem, nec inde ulla ex parte declinandum. Nam in eo, quod scribit Apostolus: <sup>1</sup> *Quid oremus, sicut oportet, nescimus*; maxime peccatur his postulationibus terrenarum et caducarum rerum. Ergo petenda sunt bona haec, ut oportet; ne perperam aliquid postulantes, responsum illud a Deo feramus: <sup>2</sup> *Nescitis, quid petatis*. Erit autem certa iudicandi nota, quae prava sit, quaeve recta petitio, consilium

Temporalia bona iuxta Dei praescriptum sunt postulanda. Vide Thom. in s. s. q. 86. art. 6.

1) Rom. 8, 26.

2) Matt. 20, 22. In petitione rerum temporalium quali-

et propositum postulantis. Nam si quis terrena petit eo animo, ut illa omnino bona existimet, et in illis tamquam in optato fine conquiescens, nihil praeterea requirat; sine dubio non orat, sicut oportet. *Non enim*, inquit sanctus Augustinus, *petimus temporalia haec, tamquam bona nostra, sed tamquam necessaria nostra*. Apostolus etiam in epistola ad Corinthios docet, omnia, quae spectant ad usus vitae necessarios, ad Dei gloriam referri oportere: <sup>1</sup> *Sive ergo manducatis, inquit, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

tas orationis ex proposito postulantis est metienda.

S. Aug. lib. 2. de serm. Dom. in mont. c. 16.

1) I. Cor. 10, 31.

4. *Quot quantisque commoditatibus in statu innocentiae homo sit potitus.*

Sed, ut videant fideles, quantam habeat haec petitio necessitatem, commemorabunt parochi, quanta ad victum et ad vitam colendam indigentia sit externarum rerum. Quod magis intelligent, si comparatio fiat eorum, quae primo illi parenti nostri generis, et reliquis deinceps hominibus fuerunt ad vivendum necessaria. Nam etsi ille in amplissimo innocentiae statu, unde et ipse, et eius culpa omnis posteritas corrui, necesse habuisset adhibere cibum ad reficiendas vires; tamen inter illius et nostrae vitae necessitates multum interest. Non enim ei vestibus ad tegumentum corporis opus fuisset, non tecto ad perfugium, non armis ad defensionem, non remediis ad valetudinem, non aliis multis, quorum subsidio nos ad hanc naturae imbecillitatem ac fragilitatem tuendam egemus: satis ei fuisset ad immortalam vitam ille fructus, quem felicissima vitae arbor nullo eius aut posterorum labore praebuisset. Neque vero futurus erat in tantis paradisi deliciis otiosus, <sup>2</sup> quem ad agendum Deus

Primi parentes si in statu innocentiae perseverassent, necessario cibo uti debuissent.

Vide Thom. in I. p. q. 97. art. 3.

2) Gen. 2, 15

5. *Quanta mala Adae praevaricationem sint sequuta.*

6. At posterorum proles non solum fructu privata vitalis arboris, verum etiam horribili illa

- 1) Gen. 3, 17. <sup>18.</sup> sententia condemnata est: <sup>1</sup> *Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae. Spinās et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terrae: in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Nobis igitur contra

Opera no-  
stra, et omnis  
labor saepe  
inanis, pro-  
pter scelorum  
immanitatem.

- evenerunt omnia, atque illi et posteris contigissent, si Dei dicto audiens fuisset Adam: itaque versa sunt omnia et mutata in deterrimam partem. In quo illud gravissimum est, quod maximos sumptus, summum laborem ac sudorem saepissime nullus fructus consequitur; quum fruges datae in deteriore segetem, vel succrescenti agrestium herbarum asperitate opprimuntur, vel nimbis, vento, grandine, uredine, rubigine percussae et prostratae intereunt; ut omnis anni labor, exiguo tempore, aliqua caeli vel terrae calamitate, recidat ad nihilum. Quod accidit immanitate nostrorum scelorum, a quibus aversus Deus, nostris minime benedicit operibus; sed horrenda manet sententia, quam de nobis initio pronuntiavit: <sup>2</sup> *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.*

- 2) Gen. 3, 19. *6. Homines, ut succurrant suis necessitatibus, laboribus tenentur; qui tamen, nisi Deus faveat, frustra laborant.*

Curandum  
est, ut labori-  
bus nostris  
Deus benedi-  
cat.

- Ergo pastores in huius loci tractationem incumbunt, ut sciat fidelis populus, sua culpa homines in has angustias et miserias incidere; ut intelligat, desudandum quidem et laborandum esse in parandis iis, quae ad vivendum sunt necessaria, verumtamen, nisi laboribus nostris benedixerit Deus, fallacem spem, et inanem fore omnem contentionem. Nam <sup>3</sup> *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus; et: <sup>4</sup> Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam.*

- 3) I. Cor. 3, 7. *4) Ps. 126, 1.*

*7. Deus rogandus, ut ea, quibus indigemus, suppeditet, quod prolize facit.*

Docebunt igitur parochi, esse res paene innumerabiles, quae si nobis desint, vel vitam amit-



timus, vel agimus insuavem. Hac enim cognita rerum necessitate naturaeque imbecillitate, christianus populus caelestem patrem adire cogetur, et ab eo terrena et caelestia bona suppliciter petere. Imitabitur <sup>1</sup> prodigum illum filium, qui quum in regione longinqua coepisset agere, nec esset, quum esuriret, qui ei siliquas daret, aliquando ad se rediens intellexit, malorum, quibus premebatur, nusquam nisi a patre esse expetendum remedium. Quo loco accedet etiam fidentius ad orandum fidelis populus, si in cogitatione divinae benignitatis recordabitur, paternas aures perpetuo patere filiorum vocibus. Nam dum hortatur nos, ut panem petamus, ea se recte petentibus abunde largiturum pollicetur: docendo enim, quo modo petamus, hortatur; hortando, impellit; impellendo, spondet; spondendo, nos in spem certissimae impetrationis inducit.

1) Lucae 15, 16, 17.

Deus filios suos fidenter necessaria petentes, exaudit.

8. *Quid panis nomine intelligatur, quaeque huius petitionis sit sententia.*

Excitatis igitur et inflammatis animis fidelis populi, sequitur, ut, quid hac petitione postuletur, declarandum sit: primum, quid sit ille panis, quem petimus. Sciendum igitur est, in divinis litteris hoc <sup>2</sup> panis nomine multa quidem significari, sed illa duo praecipue: primum quidquid in victu ceterisque rebus ad corpus vitamque tuendam adhibemus; deinde quidquid nobis ad spiritus et animae vitam ac salutem Dei munere tributum est. Petimus autem hoc loco huius, quam in terris agimus, vitae subsidia, sanctorum <sup>3</sup> patrum ita sententium auctoritate.

2) Gen. 14, 18, et alib. Ecl. XI, 1, Lucae 14, 16.

9. *Temporalia a Deo beneficia peti posse demonstratur.*

Quamobrem minime sunt audiendi qui dicunt, non licere christianis hominibus a Deo petere terrena huius vitae bona. Nam huic adversantur error, praeter consentientem patrum sententiam, exempla permulta tum veteris, tum novi testamenti. Iacob enim vovens, sic orabat: <sup>4</sup> *Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, reversusque fuero prospere ad domum patris mei; erit*

3) Cypr. lib. de orat. in dom. Basil. in reg. br. inter. 252. Quod terrena petere liceat.

4) Genes. 28, 20.

*mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorumque quae dederis mihi, decimas offeram tibi.*

- Salomon etiam certum petebat vitae subsidium, quum illud precabatur: <sup>1</sup> *Mendicitatem, et divitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria.* Quid, quod Salvator humani generis illa iubet petere, quae nemo negare audeat ad corporis usum pertinere? <sup>2</sup> *Orate, inquit, ut non fiat fuga vestra in hieme, vel sabbato.* Quid dicemus de sancto Iacobo? cuius illa sunt: <sup>3</sup> *Tristatur aliquis vestrum? oret: aequo animo est? psallat.* Quid de Apostolo? qui sic cum Romanis agebat: <sup>4</sup> *Obsecro vos, fratres, per dominum nostrum Iesum Christum, et per charitatem sancti Spiritus, ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Iudaea.* Quare, quum et divinitus concessum sit fidelibus, ut petant haec subsidia rerum humanarum, et perfecta haec a Christo domino tradita sit orandi formula; ne illud quidem dubium relinquitur, unam ex septem hanc esse petitionem.

10. *Panis nomine quid hic ad corporis necessitatem pertinens intelligatur.*

Petitionis sententia illustratur. Panis nomen interdum victum et amictum significat.

- Petimus praeterea panem quotidianum, id est victui necessaria; ut panis nomine, quod satis sit et vestium ad tegendum, et cibi ad vescendum, sive panis is sit, sive caro, sive piscis, sive quodcumque aliud, intelligamus. Videmus enim, usum esse hoc loquendi modo Eliseum, quum regem moneret, <sup>5</sup> ut praeberet panem militibus Assyriis, quibus magna ciborum copia data est. Illud etiam de Christo domino scriptum scimus: <sup>6</sup> *Ingressus est in domum cuiusdam principis pharisaeorum sabbato manducare panem: qua voce, quae ad cibum quaeque ad potum pertinent, significari videmus.* Ad huius petitionis absolutam significationem praeterea animadvertendum est, hoc panis vocabulo, non abundantem et exquisitam ciborum ac vestium copiam, sed necessariam ac simplicem intelligi debere; quemadmodum scripsit Apostolus: <sup>7</sup> *Habentes alimenta et*

5) 4. Reg. 6, 22, 23.

6) Lucae 14, 1. Panis subinde cibum et potum significat.

Panis nomen non delicias, sed necessariae vitae includit.

7) 1. Tim. 6, 8.

quibus tegamur, his contenti simus; et Salomon, ut diximus: <sup>1</sup> *Tribue tantum victui meo necessaria.* 1) Prov. 30, 8.

11. *Cur non simpliciter panem, sed panem nostrum hic petamus.*

Huius quoque frugalitatis et parsimoniae illa voce, quae proxime sequitur, admonemur. Quum enim *nostrum* dicimus, panem illum ad necessitatem nostram, non ad luxuriam petimus; non enim *nostrum* dicimus, quia eum nobis opera nostra, sine Deo, parare possimus (est enim apud Davidem: <sup>2</sup> *Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate*; et alio loco: <sup>3</sup> *Oculi omnium in te sperant, Domine; et tu das escam illorum in tempore opportuno*); sed quia necessarius est, et a parente omnium Deo, <sup>4</sup> qui omnes sua providentia alit animantes, nobis attributus.

Quem primo, Panem nostrum hic dicamus.

2) Ps. 103, 27.  
28, 29.

3) Ps. 144, 15.

4) Ps. 146, 9.

12. *Labore nostro parandus est nobis panis, quem esse volumus, si nostrum panem postulamus.*

Ob eam quoque causam panis *noster* appellatur, quod iure est a nobis acquirendus, non iniuria, fraude aut furto parandus; quae enim nobis malis artibus conciliamus, non nostra sunt, sed aliena, saepiusque illorum calamitosa est vel adeptio, vel possessio, vel certe iactura. Contra vero honestis ac laboriosis piorum hominum lucris, ex Prophetæ sententia, tranquillitas inest et magna felicitas. <sup>5</sup> *Labores, enim inquit, manuum tuarum quia manducabis: beatus es, et bene tibi erit.* Iam vero iis, qui iusto labore victum quaerunt, fructum suae benignitatis eo loco pollicetur Deus: <sup>6</sup> *Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, et super omnia opera manuum tuarum; benedicetque tibi.*

Secundo, panis noster dicitur iusto labore paratus.

5) Ps. 127, 2.

6) Deut. 28, 8.

Neque solum petimus a Deo nobis, ut illo uti liceat, quod nostro sudore ac virtute peperimus eius adiumento benignitatis; id enim vere dicitur *nostrum*; sed etiam bonam mentem postulamus, ut recte partis, recte item ac prudenter uti possimus.

Postulatur etiam hic, ut nostro pane recte utamur.

## QUOTIDIANUM.

13. *Quare et haec particula Quotidianum adiiciatur.*

Prima ratio, ob quam panem quotidianum postulare iubeamur. Deliciae, et habendi cupiditas reprehensa.

1) Isa. 5, 8.

2) Eccl. 5, 9.

3) I. Tim. 6, 9.

Huic etiam voci subiecta est ea notio frugalitatis ac parsimoniae, quam proxime diximus. Non enim multiplicem aut delicatum cibum postulamus, sed eum, qui naturae necessitati satisficiat; ut eos pudeat hoc loco, qui fastidio communis cibi et potionis, exquisitissima escarum ac vinorum genera persequuntur. Nec minus hac voce *quotidianum* improbantur ii, quibus horrendas illas minas proponit Isaias: <sup>1</sup> *Vae, qui coniungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terrae?* Etenim est inexplebilis horum hominum cupiditas, de quibus illud scriptum est a Salomone: <sup>2</sup> *Avarus non implebitur pecunia;* ad quos dictum etiam illud pertinet Apostoli: <sup>3</sup> *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli.*

*Quotidianum* praeterea panem appellamus, quod vescimur eo ad reficiendum vitalem humorem, qui quotidie consumitur vi naturalis caloris. Est denique illa huius ratio nominis, quod assidue petendus est, ut in hac consuetudine amandi et colendi Deum retineamur, nobisque omnino persuadeamus, id quod est, vitam ac salutem nostram ex Deo pendere.

## DA NOBIS.

14. *Quid haec duo verba: da nobis, sibi velint.*

4) Ps. 23, 1.

5) Lucae 4, 6.

Dei nutu cuncta distribuuntur, et conservantur.

Quantam hae duae voces materiam praebeant ad cohortandos fideles, ut infinitam Dei potentiam pie sancteque colant ac venerentur, in cuius manu sunt omnia, et ut nefariam illam satanae ostentationem detestentur: <sup>5</sup> *Mihi tradita sunt omnia, et cui volo do illa;* nemo non videt; nam unius nutu Dei distributa cuncta, et conservantur, et augentur.

15. *Cur divites, etiamsi rebus omnibus abundant, his verbis uti debeant.*

Sed quae divitibus haec est imposita necessitas, dixerit quispiam, petendi *quotidianum* pa-

nem, quum rebus omnibus abundant? Haec illis necessitas est orandi in hunc modum, non ut dentur eis, quorum Dei benignitate habent copiam, sed ne, quae abunde illis adsunt, amittant. Quamobrem, ut scribit Apostolus, <sup>1</sup> hinc discant divites *non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum.* Huius autem necessariae petitionis hanc causam affert sanctus <sup>2</sup> Chrysostomus, non solum ut nobis suppetat cibus, sed ut eum nobis suppetat Domini manus, quae salubrem atque adeo salutarem vim inserens pani quotidiano, efficit, ut et cibus corpori prosit, et corpus animae serviat.

<sup>1</sup>) 1. Tim. 6, 17.

<sup>2</sup>) Cur petimus ut Deus det nobis panem.

Chrys. hom. 14. oper. imperf. in Matt.

16. *Cur: da nobis, non: da mihi, dicamus.*

Sed quid est quamobrem: *da nobis*, numero multitudinis dicimus, non autem *mihi*? Quia proprium illud est christianae charitatis, non <sup>3</sup> ut quisque de se uno sollicitus sit, sed ut praeterea de proximo laboret, et in cura suae utilitatis meminerit etiam aliorum. Accedit eo, quod, quae alicui munera divinitus tribuuntur, non idcirco tribuuntur, ut solus ea possideat, vel in illis luxuriose vivat, se ut cum aliis communicet, quae necessitati superfuerint. Nam, inquit sancti Basilius et Ambrosius: *Esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est, quod tu recludis; miserorum redemptio est et absolutio, pecunia, quam tu in terram defodis. Tot te ergo scias invadere bona, quot possis praestare, et nolis.*

<sup>3</sup>) 1. Cor. 13, 5. Vide item Cyprian, in lib. de orat. et d. Th. in 2. 1. q. 82. art. 7. ad primam.

Basil. hom. 6. variorum argum. quam deinde divus Ambros. latinam fecit, estque inter eius ser. 81. in fin.

#### HODIE.

17. *Quid vocula Hodie hic apposita insinuet.*

Admonet nos haec vox communis infirmitatis. Quis enim est, qui, si minus sua unius opera providere se posse sperat in longinquum tempus necessarios vitae sumptus, saltem in diem victus subsidia paraturum non confidat? Sed ne huius quidem fiduciae facultas nobis a Deo permittitur, qui nos singulorum etiam dierum cibum a se petere iussit. Quae sententia habet illam necessariam rationem, quia quotidiano pane egemus

Vocula Hodie duo insinuat.

Oratio dominica quotidie dicenda.

1) Matt. 5, 45.

Cibus animae, ut et corporis est multiplex. Verbum Dei panis.

2) Prov. 9, 5.

Quomodo Deus fame verbi sui homines premit.

3) Amos 8, 11.

Desperata est reipublicae salus, in qua verbum Dei reiicitur.

4) Iob 21, 14.

5) Ioan. 6, 41.

omnes, quotidie etiam dominica precatione singulis utendum esse. Haec de pane, qui ore perceptus corpus alit atque sustentat, qui communis fidelium et infidelium, piorum et impiorum, admirabili Dei bonitate, <sup>1</sup> *qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos*, omnibus impertitur.

18. *Quidnam spirituali pane, qui amplitudine huius petitionis etiam includitur, hic intelligendum sit.*

Reliquus est spiritualis panis, quem etiam hoc loco petimus, quo significantur omnia, quaecumque in hac vita ad spiritus et animae salutem et incolunitatem requiruntur. Ut enim multiplex est cibus, quo corpus alitur et sustentatur; sic non est unius generis esca, quae spiritus et animae vitam continet: nam et verbum Dei cibus est animae; sapientia enim inquit: <sup>2</sup> *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis.* Huius autem verbi facultatem quum adimit Deus hominibus, quod efficere solet, quum gravius nostris sceleribus offenditur, fame dicitur premere genus humanum. Sic enim est apud Amos: <sup>3</sup> *Mittam famem in terram; non famem panis, neque sitim aquae, sed audiendi verbum Domini.*

Ut autem illud est certum propinquae mortis signum, quum non possunt homines vel cibum sumere, vel sumptum retinere; sic magnum est desperatae salutis argumentum, quum vel non quaerunt verbum Dei, vel, si adsit, non sustinent, et illam impietatis vocem in Deum effundunt: <sup>4</sup> *Recede a nobis; scientiam viarum tuarum nolumus.* In hoc furore animi, et mentis caecitate versantur illi, qui, neglectis iis, qui legitime eis praesunt, catholicis et episcopis et sacerdotibus, a sancta romana ecclesia desciscentes, corruptoribus Dei verbi haereticis se in disciplinam tradiderunt.

19. *De vero pane supersubstantiali, qui est Christus dominus.*

Iam vero panis est Christus dominus, animae cibus; nam inquit ipse de se: <sup>5</sup> *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.* Incredibile est,

quanta voluptate ac laetitia perfundat piorum animas hic panis tum, quum maxime terrenis molestiis et incommodis conflictantur. Exemplo nobis est sanctus ille chorus apostolorum, de quibus exstat: <sup>1</sup> *Illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Referti sunt huiusmodi exemplis libri de vita sanctorum hominum; et de intimis his bonorum gaudiis ita loquitur Deus: <sup>2</sup> *Vincenti dabo manna absconditum.*

1) Act. 5, 41.

2) Apoc. 2, 17.

20. *Christus in eucharistiae sacramento vere continetur, atque ideo proprie panis noster dicitur.*

Praecipue autem panis noster est ipse Christus dominus, qui in sacramento eucharistiae substantialiter continetur. Hoc inexplicabile pignus charitatis dedit nobis rediturus ad Patrem, de quo dixit: <sup>3</sup> *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* <sup>4</sup> *Accipite, et manducate: hoc est corpus meum.* Ea petent parochi, quae ad fidelis populi utilitatem pertinebunt, ex eo loco, quo separatim huius sacramenti vis ac ratio continetur. Et vere dicitur hic panis noster, quia fidelium solummodo hominum est, idest eorum, qui charitatem cum fide coniungentes, poenitentiae sacramento sordes eluunt peccatorum; qui non dimittentes memoriam, se Dei filios esse, divinum sacramentum sumunt, et colunt quanta maxima possunt sanctitate ac veneratione.

21. *Cur eucharistia quotidianus noster panis dicatur.*

Quotidianus vero quamobrem dicatur, in promptu duplex ratio est: altera, quod in sacris christianae ecclesiae mysteriis quotidie et offertur Deo, et datur pie sancteque postulanti; altera, quod quotidie sumendus est, vel certe ita vivendum, ut quotidie, quoad eius fieri possit, digne sumere queamus. Audiant, qui contra sentiunt, nisi longo intervallo salutaribus his epulis animae vesci non oportere, quid sanctus dicat Ambrosius: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? Accipe quotidie, quod*

Sacramentum corporis Christi panis est animae, sic hanc petitionem interpretatur Tertull. l. de orat. Cyprian. item, et Aug. et alii.

3) Ioan. 6, 57.

4) Matt. 26, 26.

Frequenter communicandum.

S. Ambr. in l. 5. de sacram. c. 4.

*quotidie tibi prosit; sic vive, ut quotidie merearis accipere.*

22. *Quo modo affecti esse debeamus, si petitum panem mox non impetremus.*

Sed in hac petitione ad illud praecipue cohortandi sunt fideles, ut, quum recte et consilium et industriam suam posuerint in comparandis rebus vitae necessariis, rei exitum Deo permittant, suumque desiderium ad eius referant voluntatem, <sup>1</sup> *qui non dabit in aeternum fluctuationem iusto.* Nam vel concedet Deus, quae petuntur; et ita suum optatum consequentur: vel non concedet; et id erit certissimum argumentum, nec salutare illud esse nec utile, quod piis a Deo negatur, cui magis curae est de eorum salute, quam illis ipsis. Quem locum instruere poterunt, explicandis iis rationibus, parochi, quae a sancto Augustino in epistola ad Probam praeclare colliguntur.

1) Ps. 54, 23.

S. Aug. in ep. 122. ad Probam c. 14.

23. *Cuius rei meditandae occasio se hic exhibeat.*

Extremum illud erit in huius tractatione petitionis, ut meminerint divites, facultates suas et copias Deo acceptum referre; cogitentque se ideo illis bonis esse cumulosos, ut illa distribuant indigentibus. In quam sententiam conveniunt, quae in <sup>2</sup> prima epistola ad Timotheum ab Apostolo disseruntur: unde magnam vim parochis petere licebit divinorum praeceptorum ad hunc locum utiliter ac salutariter illustrandum.

2) 1. Tim. 6. 17. 18. 19.

## DE QUINTA PETITIONE.

### CAPUT XIV.

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICUT ET NOS  
DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS.

1. *Ex passione Christi omnium peccatorum  
nostrorum remissio emanavit.*

Nihil magis  
charitatem  
Dei erga ho-  
minem decla-

Quum ita multa sint, quae infinitam Dei potentiam cum pari sapientia ac bonitate coniunctam significant, ut, quocumque oculos cogita-



tionemque converteris, certissima signa immensa potestatis ac benignitatis occurrant; nihil profecto est, quod summum eius amorem et admirabilem in nos charitatem magis declaret, quam inexplicabile mysterium Iesu Christi passionis, unde perennis ille fons ad eluendas peccatorum sordes erupit; quo perfundi et expiari, Deo duce ac largitore, exoptamus, quum illud ab eo petimus: *dimitte nobis debita nostra.*

2. *Quid haec quinta petitio contineat.*

Continet autem haec petitio summam quandam eorum bonorum, quibus per Iesum Christum cumulatam est humanum genus. Id enim docuit Isaias: <sup>1</sup> *Dimittetur, inquit, iniquitas domui Iacob, et iste omnis fructus, ut auferatur peccatum eius.* Quod David etiam ostendit beatos praedicans eos, qui salutarem illum fructum percipere potuerunt, his verbis: <sup>2</sup> *Beati, quorum remissae sunt iniquitates.* Quare est accurate ac diligenter pastoribus huius postulationis animadvertenda et exponenda sententia, quam ad caelestem vitam consequendam tantum valere intelligimus.

3. *Quo modo hic non sit eadem precandi ratio, quae in superioribus fuit.*

Ingredivimur autem novam precandi rationem. Nam hactenus a Deo non solum aeterna et spiritualia bona, sed caduca, et quae ad hanc vitam pertinent, commoda petivimus: nunc vero mala deprecamur et animae et corporis, et huius et sempiternae vitae.

4. *Quae in eo, qui veniam peccati impetrare velit, requirantur.*

Sed quoniam ad impetrandum quod postulamus, requiritur recta postulandi ratio; quo modo affectos esse oporteat eos, qui Deum hoc orare velint, dicendum videtur. Monebunt igitur parochi fidelem populum, primum necesse esse, ut is, qui ad hoc petendum velit accedere, suum ipse peccatum agnoscat; deinde, ut eius sensu ac dolore commoveatur; tum, ut sibi omnino persuadeat, Deum in hac esse voluntate, ut iis, qui peccaverunt, ita, ut diximus, affectis et

rat, quam Dei passio.

1) Isa. 27, 9.

2) Ps. 31, 2.

Quomodo ante Christi adventum passio sit operata remissionem nostrorum peccatorum. Vide Thom. 3. p. q. 49. art. 1. D. Th. 2. 2. q. 85. art. 9.

Agnitio peccati est primum ad poenitentiam gradus.

Bern. serm. 3. de S. Andrea.

Secundus. Dolor de peccatis est ad peccati remissionem necessarius.

Aug. ep. 48. ad Vinc. et habetur de poenit. dist. cap. Neminem.

Tertius, spes veniae.

1) Gen. 4, 13.

2) Matt. 27, 4.

Nemo est, qui se peccatorem esse agnoscere non debeat, et egerere Dei gratia.

3) Ps. 13, 3.

4) Eccl. 7, 21.

5) Prov. 20, 9.

6) I. Ioan. I, 8.

7) Ier. 2, 35.

Sed legat parochus totum hoc caput, ex quo multa ad concionandum argumenta desunt.

Milevitannum conc. can. 8. et 9. Item concil. trid. sess. 6. de iustificatione c. 12.

comparatis, ignoscat; ne forte acerbam delictorum recordationem ac recognitionem illa veniae desperatio consequatur, quae olim <sup>1</sup> Cain et <sup>2</sup> Iudae animum occupavit, qui Deum modo vindicem et ultorem, non etiam mitem et misericordem existimarunt. Ergo in hac petitione sic affecti simus oportet, ut dolenter peccata nostra recognoscentes, ad Deum, tamquam ad parentem, non quasi ad iudicem confugiamus, a quo, non ut ex iustitia nobiscum agat, sed ex misericordia, postulemus.

5. *Quibus rationibus homo ad cognitionem peccatorum perducatur.*

Facile autem adducemur, ut peccatum nostrum agnoscamus, si ipsum audierimus Deum nos in sacris litteris huius rationis admonentem; est enim illud apud Davidem: <sup>3</sup> *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* In eadem sententiam loquitur Salomon: <sup>4</sup> *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.* Quo illud etiam pertinet: <sup>5</sup> *Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato? Quod idem a sancto Ioanne, ad deterrendos homines ab arrogantia, scriptum est: <sup>6</sup> *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Et a Ieremia: <sup>7</sup> *Dixisti: absque peccato et innocens ego sum, et propterea avertatur furor tuus a me. Ecce ego iudicio contendam tecum, eo quod dixeris: non peccavi.* Quorum sententias omnium idem, qui eas eorum ore protulerat, Christus dominus hoc petitionis praescripto confirmat, quo iubet nos delicta nostra confiteri. Id enim secus interpretari prohibuit auctoritas Milevitani concilii in hunc modum: *Placuit, ut, quicumque verba ipsa dominicae orationis, ubi dicimus: dimitte nobis debita nostra, ita vult a sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, et non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, et corde dicit, quae sibi dimittantur, debita non habere?**

6. *Quo pacto post agnitum peccatum dolor remordens, et vera eiusdem poenitentia in animo excitetur.*

Verum in necessaria recognitione peccatorum non est satis illa leviter recordari: nam, ut acerba nobis sit ea memoria, ut cor pungat, animum stimulet, et dolorem inurat, necesse est. Quare pertractabunt locum hunc diligenter parochi, ut non solum facinorum ac flagitiorum suorum meminerint fideles auditores, sed ut moles dolenterque meminerint; ut, quum angantur intimis sensibus, conferant se ad patrem Deum, a quo, ut inhaerentes evellat scelerum aculeos, suppliciter petant. Nec vero solum erratorum turpitudinem studebunt subiicere oculis fidelis populi, verum etiam indignitatem ac sordes hominum, qui, quum nihil simus, nisi putida caro, nisi summa foeditas, incomprehensibilem illam Dei maiestatem, et inexplicabilem praestantiam, incredibilem in modum audeamus offendere, praesertim a quo procreati, liberati, innumerabilibus maximisque beneficiis aucti sumus.

De hominum  
vanitate lege  
Isa. 40, 6, 7.  
Eccles. 14, 18.  
Iacob. I, 10.  
I. Petr. I, 24.  
Iob 7, 10.  
De Dei incom-  
prehensibili  
maiestate, vi-  
de Iob 9. et  
12.  
Ier. 10, 16.

7. *Quo modo per peccatum gravissimae diaboli servituti nos tradamus.*

Ut quid? ut <sup>1</sup> abalienati a patre Deo, qui summum bonum est, turpissima peccati mercede, <sup>2</sup> diabolo nos addicamus in miserrimam servitutem: neque enim dici potest quam crudeliter ille dominetur in eorum animis, qui, repulso suavi iugo Dei, ruptoque charitatis amabilissimo nodo, quo parenti Deo spiritus noster adstringitur, ad hostem acerrimum desciverunt; qui eo nomine <sup>3</sup> princeps, et <sup>4</sup> rector mundi, et princeps tenebrarum, et <sup>5</sup> rex super universos filios superbiae, dicitur in divinis litteris. In eos autem, qui daemonis tyrannide opprimuntur, vere convenit illa vox Isaiae: <sup>6</sup> *Domine Deus noster possederunt nos domini absque te.*

1) Ier. 3, per totum, et 5, per totum.  
2) Diabolo esse per peccatum homines addicunt.

3) Ioan. 12, 32. et 14, 30.  
4) Ephes. 6, 12.  
5) Iob 41, 25.

6) Isa. 26, 13.

8. *Quanta mala peccatum in animam invehat.*

Haec si nos minus movent rupta foedera charitatis, moveant certe calamitates et aerumnae, in quas per peccatum incidimus. Violatur enim

2) Anima est sponsa Christi.

ler. 2, 2.

Osee 2, 19.

3) Est templum Domini, idest Spiritus sancti.

1. Cor. 3, 17.

3) 1. Cor. 3, 17.

4) Ps. 37, 4.

4) Ps. 37, 4.

5) Prov. 26, 6.

6) Isa. 42, 18.

et 43, 8.

7) Ps. 37, 14.

8) Isa. 42, 18.

43, 8.

Bellum est sceleratis cum Deo.

Isa. 59, 10.

9) Rom. 2, 9.

Peccato commisso, remanet macula et reatus.

Exemplo Davidis excitandus est animus ad poenitentiam.

Utilitas verae poenitentiae, et contritionis.

10) ler. 2, 19.

sanctitas animae, quam <sup>1</sup> Christo desponsam esse scimus; profanum fit illud idem <sup>2</sup> templum Domini, quod qui contaminant, in eos dicit Apostolus: <sup>3</sup> *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Innumerabilia sunt mala, quae peccatum invexit in hominem; quam paene infinitam pestem David his verbis expressit: <sup>4</sup> *Non est sanitas in carne mea, a facie irae tuae; non est pax ossibus meis, a facie peccatorum meorum.* Nimirum norat hanc plagae vim, quum nullam sui partem pestifero peccato intactam fateretur: pervaserat enim in ossa peccati virus, id est rationem et voluntatem, quae maxime solidae sunt animae partes, infecerat. Hanc late patentem pestem indicant sacrae litterae, quum peccatores <sup>5</sup> claudos, <sup>6</sup> surdos, <sup>7</sup> mutos, <sup>8</sup> caecos, et omnibus membris captos appellant. Sed praeter dolorem, quem ex peccatorum quasi scelere sentiebat, magis etiam angebatur David ex ira Dei, quam in se propter peccatum commotam intelligebat. Bellum enim est sceleratis cum Deo, quorum sceleribus incredibiliter offenditur; inquit enim Apostolus: <sup>9</sup> *Ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Nam, etsi transierit actio peccati, tamen peccatum macula et reatu permanet; cui semper imminens ira Dei illud persequitur, tamquam umbra corpus.

9. Quo modo, perspecta peccatorum calamitate, ad poenitentiam converti debeamus.

Quum igitur David his vulneraretur aculeis, ad petendam delictorum veniam excitabatur; cuius et exemplum doloris, et doctrinae rationem, ex quinquagesimo eius psalmo depromptam, proponunt parochi fidelibus auditoribus, ut prophetae imitatione et ad doloris sensum, idest ad veram poenitentiam, et ad veniae spem erudiri possint. Quantam habeat utilitatem haec docendi ratio, ut ex peccatis dolere discamus, illa Dei apud Ieremiam declarat oratio, qui quum Israellem ad poenitentiam hortaretur, admonebat eum, ut malorum sensum perciperet, quae peccatum consequuntur: <sup>10</sup> *Vide enim, inquit, quia*

*malum et amarum est, reliquisse te dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum.* Qui carent necessario hoc recognitionis ac doloris sensu, ii apud prophetas Isaiam, Ezechielem et Zachariam <sup>1</sup> cor durum, <sup>2</sup> lapideum et <sup>3</sup> adamantinum habere dicuntur. Sunt enim instar lapidis nullo dolore molliti, nullum vitae, idest salutaris recognitionis, sensum habentes.

1) Isa. 46, 12.  
2) Ezech. 36, 26.  
3) Zach. 7, 12.

10. *Quibus meditationibus post peccati agnitionem et detestationem spes impetrandae veniae concipienda sit.*

Sed, ne peccatorum gravitate deterritus, se populus veniam impetrare posse desperet, ipsum ad spem vocare parochi debebunt his rationibus, quod et ecclesiae Christus dominus <sup>4</sup> potestatem dedit remittendi peccata, quemadmodum sacrosancti symboli articulo declaratur, et hac petitione docuit, quanta esset Dei bonitas ac liberalitas in genus humanum: nisi enim promptus esset ac paratus Deus ad condonandum peccata poenitentibus, numquam nobis hanc precandi formulam praescripsisset: *Dimitte nobis debita nostra.* Quamobrem illud fixum in animis nostris tenere debemus, fore, ut is paternam misericordiam nobis impertiat, qui ipsam his precibus iussit exposcere.

Quomodo spes sit peccatoribus excitanda.

4) Matt. 16, et 18, 19, et Ioan. 20, 23.

Promptus est Deus ad ignoscendum, si nobis ipsi non desimus. Vide Ierem. 31.

11. *Quo modo, si nos poeniteat, Deus facile peccatis nostris indulgeat.*

Nam omnino sub hac petitione illa est subiecta sententia, sic esse in nos affectum Deum, ut vere poenitentibus libenter ignoscat. Est enim Deus is, in quem, abiecta obedientia, peccamus; cuius ordinem sapientiae perturbamus, quantum est situm in nobis; quem offendimus, quem factis dictisque violamus. Verum idem est ille beneficentissimus parens, qui, quum possit omnia condonare, non modo se id velle declaravit, sed etiam impulit homines, ut a se veniam peterent, et, quibus verbis id facerent, docuit. Quare nemini dubium esse potest, quin, illo auctore, in nostra potestate sit, nobis Dei gratiam reconciliare. Et quoniam haec testificatio propensae ad

Peccatum proprie adversus Deum pugnat.

ignoscendum divinae voluntatis fidem auget, spem alit, charitatem inflammat; operae pretium est ornare hunc locum nonnullis divinis testimoniis et hominum exemplis, quibus maxime scelerum poenitentibus Deus veniam concesserit. Quam sententiam quoniam persequi sumus, quantum res ferebat, in prooemio huius precationis, et in ea symboli parte, quae est de remissione peccatorum; inde assument parochi, quae ad hunc locum instruendum pertinere videbuntur, reliqua haurient ex divinarum litterarum fontibus.

12. *Quid in illa petitionis sententia debitorum nomine intelligendum sit.*

Poenitentiae vera exempla suot Iudic. 10. et 10. Reg. 12. 24. 7. 2. et 2. Paralip. 12, 33. et Ionae 1. per totum. Iud. 7. novi testamenti exempla notiora sont.

Deo debemus amorem ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente.

Tum vero eodem utantur instituto, quo in ceteris petitionibus utendum duximus, ut intelligant fideles, quid hic *debita* significant; ne forte decepti ambiguo, aliud ab eo, quam quod petendum sit, postulent.

Primum autem scire oportet, minime petere nos, nobis ut remittatur amor ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente nostra, quem omnino Deo debemus, et cuius debiti solutio est ad salutem necessaria.

Neque vero, quia debiti nomine etiam obedientia, cultus, veneratio, et cetera huius generis officia continentur, postulamus, ut non amplius ea debeamus, sed precamur, ut liberet a peccatis: sic enim sanctus <sup>1</sup> Lucas est interpretatus; qui peccata pro debitis posuit, ob eam causam, quod illis committendis rei efficiamur Deo, et debitis poenis propositi, quas vel satisfaciendo, vel patiendo pendimus. Huius generis debitum fuit, quod Christus dominus loquutus est ore Prophetarum: <sup>2</sup> *Quae non rapui, tunc exsolvebam.* Qua Dei verbi sententia licet intelligere, non solum nos debitores esse, sed etiam non esse solvendo, <sup>3</sup> quum peccator per se satisfacere nullo modo possit.

1) Luc. 7. 41.

2) Psal. 68, 5.

3) Luc. 7. 41.

Christi implorandum patrocium ut ex thesauro passionis eius praestetur

quo contracta per peccatum debita nostra dissolvatur.

4) Psal. 100, 1.

12. *Quum peccator per se non sit solvendo, unde debito per peccatum contracto satisfieri possit.*

Quare confugiendum nobis est ad Dei misericordiam; cui, quia <sup>4</sup> par iustitia respondet, cuius

est retinentissimus Deus, utendum erit <sup>1</sup> deprecatione et patrocinio passionis domini nostri Iesu Christi, sine qua nemo umquam veniam delictorum impetravit; a qua omnis et satisfaciendi vis et ratio, tamquam ex fonte profluxit. Nam pretium illud in cruce a Christo domino persolutum, et nobiscum per sacramenta, re, vel studio ac desiderio adhibita, communicatum, tanti est, ut nobis impetret et conficiat, quod hac petitione postulamus, ut peccata nostra remittantur.

1) I. Ioan. 2, 1. Christi passio est fons omnis nostrae satisfactionis.

14. *Hic pro indulgentia ac remissione culpae venialis et mortiferae oratur.*

Quo loco non id modo pro levibus erratis et facillimis ad impetrandam veniam, sed pro gravibus et mortiferis peccatis deprecamur: quae precatio in scelerum gravitate pondus non habebit, nisi id a poenitentiae sacramento, re vel certe desiderio suscepto, ut iam dictum est, assumperit.

Pro remissione peccatorum venialium et capitalium fit haec oratio.

15. *Non eadem est ratio, cur debita nostra hic dicamus, quae fuit, dum panem nostrum peteremus.*

Dicimus autem debita nostra longe aliter, atque panem nostrum antea diximus. Noster enim ille est panis, quia nobis Dei munere tribuitur; at peccata nostra sunt, quia illorum culpa residet in nobis, nam nostra voluntate suscipiuntur; quae peccati vim non haberent, nisi essent voluntaria. Nos igitur eam culpam sustinentes et confitentes, ad expiandum peccata necessariam Dei clementiam imploramus. In quo non utimur excusatione cuiusquam, nec causam in quemquam transferimus, ut primi homines <sup>2</sup> Adam et Eva fecerunt: ipsi nos iudicamus, illam, si sapimus, Prophetae precationem adhibentes: <sup>3</sup> *Non declines cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis.*

Aliter panem nostrum, aliter debita nostra dicitur.

Peccatum omne voluntarium.

Aug. lib. I. retract. c. 13. et 15. de vera relig. c. 14. et alibi saepe, vide Mag. in 2. dist. 41. litt. C. et F.

2) Gen. 3, 12. 13.

3) Psal. 140, 4.

16. *Cur in numero multitudinis: dimitte nobis debita, postulemus.*

Nec vero dicimus: *dimitte mihi*, sed: *nobis*, quod fraternae necessitudo et charitas, quae inter omnes homines intercedit, a nobis singulis postulat, ut de communi proximorum salute

Alii pro aliis orare debemus.

- solliciti, quum pro nobis preces facimus, pro illis etiam deprecemur. Hunc orandi morem a Christo domino traditum, deinceps ab ecclesia Dei acceptum perpetuoque servatum, <sup>1</sup> ipsi et maxime tenuerunt apostoli, et, ut ceteri adhiberent, auctores fuerunt. Huius autem flagrantis studii et cupiditatis in deprecando pro salute proximorum habemus in utroque testamento sanctorum Mosis et Pauli praedelarum exemplum; quorum alter sic Deum precabatur: <sup>2</sup> *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*; alter in hunc modum: <sup>3</sup> *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.*
- 1) Rom. I, 9.  
2. Cor. 11. 28.  
3. Petr. 1, 15.
- 2) Exod. 32, 32.
- 3) Rom. 9, 3.

## SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS.

17. Quo modo haec verba: sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, sint intelligenda.

Duplex acceptio particulae sicut.

Primo, Greg. I. 17. moral. cap. 6.  
Secundo,

4) Matth. 6, 14, 15.

Illud sicut dupliciter intelligi potest; nam et similitudinis vim habet, quum videlicet a Deo petimus, ut, quemadmodum nos iniurias et contumelias remittimus iis, a quibus laesi sumus, sic ipse nobis peccata condonet. Est praeterea conditionis nota; in quam sententiam Christus dominus eam formulam interpretatur: <sup>4</sup> *Si enim dimiseritis, inquit, hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester caelestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Verum habet uterque sensus eandem ignoscendi necessitatem: ut, si volumus nobis Deum veniam concedere delictorum, parcamus illis ipsis necesse sit, a quibus iniuriam accepimus. Sic enim Deus oblivionem iniuriarum, mutuumque studium et amorem requirit a nobis, ut eorum, <sup>5</sup> qui in gratiam non sunt reconciliati, dona ac sacrificia reiiciat et aspernetur.

5) Matth. 5, 24, 25.

18. Remissio omnium iniuriarum probatur esse et naturae praeceptis, et Christi mandatis consentanea.

6) Matth. 7, 12.

Est etiam naturae lege sancitum; <sup>6</sup> ut tales nos aliis praebeamus, quales eos in nos esse cupimus; vere ut impudentissimus ille sit, qui postulet a Deo, ut sui sceleris poenam praeter-



mittat, quum ipse in proximum animum retineat armatum. Quare parati et prompti ad ignoscendum esse debent ii, quibus impositae sunt iniuriae; quum et urgeantur hac precandi formula, et apud sanctum Lucam id iubeat Deus: <sup>1</sup> *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: et si poenitentiam egerit, dimitte illi; et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens: poenitet me; dimitte illi;* <sup>2</sup> *Diligite inimicos vestros;* <sup>3</sup> et Apostolus, et ante eum <sup>4</sup> Salomon scripserit: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere;* et sit apud sanctum Marcum evangelistam: <sup>5</sup> *Quum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester, qui in caelis est, dimittat vobis peccata vestra.*

<sup>1</sup> Luc. 17, 3, 4.

<sup>2</sup> Matth. 5, 44.

<sup>3</sup> Rom. 12, 20.

<sup>4</sup> Prov. 25, 21.

<sup>5</sup> Marc. 11, 25.

19. *Quibus rationibus flectendi sint hominum animi ad lenitatem, quam hic Deus exigit.*

Sed quoniam, depravatae naturae vitio, nihil aegrius fit ab homine, quam ut inferenti condonet iniurias; omnem conferant parochi animi et ingenii vim ad commutandos et flectendos animos fidelium ad hanc lenitatem et misericordiam christiano homini necessariam. Commorentur in traditione <sup>6</sup> divinorum oraculorum, in quibus audire licet imperantem Deum, inimicis ignoscendum. Praedicent id, quod verissimum est, magno esse argumento hominibus, eos esse Dei filios, si facile remittant iniurias, et inimicos diligant ex animo. Elucet enim in eo, quod inimicos diligimus, similitudo quaedam cum parente Deo, <sup>7</sup> qui sibi inimicissimum et infestissimum genus hominum, filii sui morte ab aeterno exitio redemptum, reconciliavit. Sit autem huius cohortationis et praecepti clausula illud imperium Christi domini, quod recusare non possumus sine summo dedecore et pernicie: <sup>8</sup> *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos; ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est.*

<sup>6</sup> Praeter superiora, haec illis iudicanda duximus. Exod. 23, 4. Levit. 29, 17. Deut. 22, 1. I. Reg. 24, 5. et 26, 10, 11. Iob 31, 29. Psal. 7, 5. Prov. 20, 22. Exod. 25, 22. <sup>7</sup> Rom. 5, 9, 10.

<sup>8</sup> Matth. 5, 44. 45.

20. *Quo modo cum iis agendum sit, qui ex animo iniuriarum oblivionem delere nequeunt.*

Verum hoc loco non vulgaris pastorum praeceptum: *Quanta obli-*

vio iniuriarum  
requiratur a  
christianis, vi-  
de D. Thom.  
in 2. 2. q. 25.  
art. 9.

1) Matth. 26,  
47.

Orant christia-  
ni nomine to-  
tius ecclesiae.  
Thom. in 2. 2.  
q. 83. art. 16.

Quum petitur  
aliquid a Deo,  
petitur etiam  
facultas perfici-  
endi illud,  
quod homini  
alioqui esse vi-

dentia requiritur, ne quis, cognita huius diffi-  
cultate ac necessitate praecepti, salutem despe-  
ret. Sunt enim qui, quum se debere intelligant  
conterere iniurias oblivione voluntaria, et eos  
diligere, qui laeserunt, id cupiunt et pro viri-  
bus faciunt, sed universam memoriam iniuria-  
rum sibi exhauriri non posse sentiunt; nam re-  
sident in animo quaedam reliquiae simultatis:  
quamobrem magnis agitantur conscientiae flucti-  
bus verentes, ne, parum simpliciter et candide  
positis inimicitiis, Dei iusso non obediant. Hic  
igitur pastores <sup>1</sup> contraria studia carnis et spi-  
ritus explicabunt; quod illius sensus sit ad vin-  
dicationem proclivis, huius ratio propensa ad  
ignoscendum; hinc inter ipsos perpetuam tur-  
bam ac rixam existere: quare saluti minime  
diffidendum esse demonstrabunt, reclamitantibus  
et adversantibus rationi corruptae naturae appe-  
titionibus, modo spiritus perstet in officio et vo-  
luntate remittendi iniurias, proximumque dili-  
gendi.

21. *Qui appetitum vindictae adhuc retinent, possunt  
et debent orationem dominicam absque culpa re-  
citare.*

Quod autem aliqui fortasse fuerint, qui quum  
nondum animum inducere possint, ut obliti iniu-  
rias, ament inimicos, propterea deterriti ea,  
quam diximus, conditione huius petitionis, do-  
minica precatione non utantur; duas has ratio-  
nes afferent parochi, quibus exitiosum hunc er-  
rorem illis eripiant. Nam quivis unus e fidelium  
numero preces has facit totius ecclesiae nomine;  
in qua pios aliquot esse necesse est, qui debi-  
toribus ea, quae hic commemorantur, debita  
remiserunt.

Accedit eo, quod id a Deo petentes, una etiam  
petimus quidquid ad illud impetrandum in eam  
petitionem a nobis necessario conferendum est.

Petimus enim et veniam peccatorum, et donum  
verae poenitentiae; petimus facultatem intimi  
doloris; postulamus, ut a peccatis abhorrere, et  
illa sacerdoti vere ac pie confiteri possimus. Ita-  
que quum necesse etiam nobis sit parcere iis,

qui damnum aut malum aliquod dederint, quum, detur impossibile. ut nobis Deus ignoscat, precamur, simul oramus, ut facultatem largiatur reconciliandi nos illis, quos odimus. Quare deterrendi sunt ab ea opinione, qui inani et pravo illo timore commoventur, ne sibi Deum reddant offensiohem hac precatione; contraque etiam cohortandi ad frequentem orationis usum, quo a parente Deo postulent, ut sibi det eam mentem, ut iis, qui laeserint, ignoscant, et inimicos diligant.

22. *Quid illi sit faciendum, qui orationem de remissione peccatorum sibi cupit esse fructuosam.*

Sed ut precatio omnino fructuosa sit, primum haec in ea cura meditatioque adhibenda, nos Deo supplices esse, et ab eo veniam petere, quae non datur nisi poenitenti: itaque nos ea charitate et pietate praeditos esse oportere, quae poenitentibus conveniat; convenire autem maxime iis subiecta quasi oculis propria flagitia atque facinora lacrimis expiare. Cum hac cogitatione coniungenda est cautio in posterum earum rerum, in quibus fuit aliqua occasio peccandi, quaeque nobis ansam dare possint ad offendendum parentem Deum. In his curis versabatur David, quum diceret: <sup>1</sup> *Et peccatum meum contra me est semper*; et alio loco: <sup>2</sup> *Lavabo per singulas noctes lectum meum; lacrimis meis stratum meum rigabo*. Proponat sibi praeterea unusquisque ardentissimum orandi studium eorum, qui a Deo precibus impetraverunt veniam delictorum, <sup>3</sup> ut Publicani illius, qui longe consistens prae pudore ac dolore, et oculis humi defixis, tantum pulsabat pectus, eam habens orationem: *Deus, propitius esto mihi peccatori*; tum <sup>4</sup> illius peccatricis mulieris, quae Christo domino retro stans, rigatos a se eius pedes, capillis etiam abstergens osculabatur; <sup>5</sup> Petri denique principis apostolorum, qui *egressus foras, flevit amare*.

23. *Quae sint praecipua ad sananda animae vulnera remedia.*

Deinde cogitandum est, quo infirmiores sunt homines, et ad morbos animi, quae sunt peccata,

Occasiones peccatorum evitandae.

1) Psal. 50, 5.

2) Psal. 6, 7. Exempla eorum proponenda, qui precibus veniam impetrarunt.

3) Luc. 18, 13.

4) Luc. 7, 38.

5) Matth. 26, 75.

Remedia praecipua aegrotantis animae

sunt poenitentia et eucharistia.

Eleemosynae virtus.

1) Vide Deut. 15, 6, 7, 8, Tob. 4, 7, Pral. 40, 1, Prov. 14, 19, 31, Eccl. 3, 33, Lucas 11, 12, et alibi saepe.

2) Tob. 12, 9.

3) Dan. 4, 24.

Optima eleemosyna etiam iniuriarum oblitio.

propensiores, eo pluribus et frequentioribus medicamentis indigere: sunt autem aegrotae animae remedia, poenitentia et eucharistia. Haec igitur saepissime adhibeat fidelis populus; deinde eleemosyna, quemadmodum tradunt <sup>1</sup> divinae litterae, medicina est accommodata sanandis animae vulneribus: quare, qui pie hac prece uti cupiunt, pro viribus benigne faciant egentibus. Quantam enim vim habeat ad delendas scelerum maculas, testis est in Tobia angelus Domini sanctus Raphael, cuius est illa vox: <sup>2</sup> *Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam*; testis est Daniel, qui Nabuchodonosor regem sic admonebat: <sup>3</sup> *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.*

Optima autem largitio et impertiendae misericordiae ratio est oblitio iniuriarum et bona voluntas erga eos, qui rem, vel existimationem, vel corpus tuum tuorumve violaverint. Quicumque igitur cupit in se esse maxime misericordem Deum, is ipsi Deo suas donet inimicitias, remittatque omnem offensionem, et pro hostibus libentissime deprecetur, omnem captans occasionem de illis ipsis bene promerendi. Sed quoniam hoc argumentum explicatum est, quum homicidii locus tractavimus, eo reiicimus parochos; qui tamen hanc petitionem hoc fine concludant, nihil iniustius esse aut fingi posse, quam eum, qui quum hominibus durus sit, ut nemini se det ad lenitatem, idem postulet, ut in se sit mitis et benignus Deus.



# DE SEXTA PETITIONE

## CAPUT XV.

ET NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM.

1. *Quantum periculum sit, ne, post peccatorum remissionem perceptam, iterum in peccatum relabamur.*

Non dubium est, quin filii Dei post impetratam delictorum veniam, quum incensi studio adhibendi Deo cultum et venerationem, caeleste regnum exoptant, et omnia divino numini tribuentes pietatis officia, toti pendent a paterna eius voluntate ac providentia; tum eo magis humani generis hostis omnes adversus illos artes excogitet, omnes machinas paret, quibus oppugnentur sic, ut verendum sit, ne, labefactata et mutata sententia, rursum in vitia delabantur, longaque deteriores evadant, quam antea fuerint: de quibus illud principis apostolorum iure dicit possit: <sup>1</sup> *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.*

2. *Quo modo Christus nos hac oratione adversus vaferrimi hostis insidias munire voluerit.*

Quare nobis a Christo domino datum est huius petitionis praeceptum, ut quotidie nos Deo commendemus, eiusque patriam curam et praesidium imploremus, minime dubitantes fore, ut, si deseramur divino patrocinio, vaferrimi hostis laqueis irretiti teneamur. Neque vero solum in hac orandi regula iussit a Deo petere, ne patiat nos induci in tentationem, sed in illa etiam oratione, quam ad sacros apostolos habuit sub ipsum mortis tempus, quum quidem <sup>2</sup> ipsos mundos esse dixisset, eos huius officii his verbis admonuit: <sup>3</sup> *Orate ut non intretis in tentationem.* Quae iterum a Christo domino adhibita admonitio magnum diligentiae onus imponit parochis excitandi fidelem populum ad frequentem huius

Bern. serm. 14. de assumpt. Quomodo daemones eos maxime impugnet, qui ab eo defecerunt. Vide Luc. 11. 24. 25. 26.

<sup>1</sup>) 2. Petr. 2, 21.

Fortis est, quem adversa non frangunt, fortior, quem prospera non abiciunt, fortissimus, qui hac rerum vicissitudine non commovetur.

<sup>2</sup>) Ioan. 13, 10.

<sup>3</sup>) Matth. 26, 41. Docuit, ut vigilemus, ne incidamus in peccatum, etc.

Ambr. l. 5. ep.  
33. in medio.

usum precationis; ut, quum tanta hominibus ab hoste diabolo in singulas horas pericula huius generis intendantur, a Deo, qui solus illa propulsare potest, petant illud assidue: *Ne nos inducas in tentationem.*

3. *Quibus praecipue rationibus homines huius petitionis necessitatem intelligere possint.*

Intelliget autem fidelis populus, quantopere egeat divini huius adiumenti, si suae imbecillitatis inscitiaeque meminerit; si recordabitur illam Christi domini sententiam: <sup>1</sup> *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*; si ei venerit in mentem, quam graves sint et exitiales hominum casus, impellente daemone, nisi sustineantur dexteræ caelestis auxilio. Quod illustrius esse possit humanae infirmitatis exemplum, quam sacer ille chorus apostolorum, <sup>2</sup> qui magno antea animo quum essent, primo quoque obiecto terrore, relicto Salvatore, diffugerunt? Etsi illustrius etiam est illud principis apostolorum, qui in tanta professione singularis et fortitudinis, et amoris in Christum dominum, quum paulo ante, sibi bene fidens, ita dixisset: <sup>3</sup> *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo*; statim unius voce mulierculæ perterritus, se Dominum non nosse iureiurando affirmavit; nimirum illi in summa spiritus alacritate non respondebant vires. Quod si viri sanctissimi humanae naturae fragilitate, cui confidebant, graviter peccaverunt; quid non timendum est ceteris, qui ab eorum sanctitate absunt longissime?

4. *Quot quantisque tentationum periculis hominum vita sit exposita.*

Quare proponat fidei populo parochus proelia et pericula, in quibus assidue versamur, <sup>4</sup> dum anima est in hoc mortali corpore, quos undique caro, mundus et satanas oppugnant. Quid ira, quid cupiditas in nobis possit, quotusquisque est, qui magno suo malo non experiri cogatur? Quis non his lacessitur stimulis? Quis hos non sentit aculeos? Quis subiectis non uritur ardentibus facibus? Et quidem tam varii sunt ictus, tam diversae petitiones, ut difficillimum sit gra-

1) Matth. 26,  
41.

2) Matth. 26,  
56.  
Humanae imbecillitatis exemplum in apostolis.

3) Matth. 26,  
35. 70. 71.

A minori ad maius.

Pericula, inter quae fideles versantur, saepius ad memoriam sunt revocanda.  
4) Iob 7, I. iuxta LXX.

vem aliquam plagam non accipere. Ac praeter hos inimicos, <sup>1</sup> qui habitant et vivunt nobiscum, sunt praeterea illi hostes acerrimi, de quibus scriptum est: <sup>2</sup> *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in caelestibus.*

5. *Quam graves sint daemonum in nos insultus, ex sententia divi Pauli exponitur.*

Accedunt enim ad intimas pugnas externi impetus et impressiones daemonum, qui et aperte nos petunt, et per cuniculos influunt in animas nostras, vix ut ab illis cavere possimus. Illos et *principes* appellat Apostolus propter naturæ excellentiam (nam natura hominibus et ceteris, quæ sub sensum cadunt, creatis rebus antecellunt); et *potestates* vocat, quod non solum naturæ vi, sed potestate etiam superant; et *rectores* nominat mundi *tenebrarum*: non enim clarum et illustrem mundum regunt, id est bonos et pios, sed obscurum et caliginosum, nempe eos, qui flagitiosæ et facinorosæ vitæ sordibus ac tenebris obcaecati, duce tenebrarum diabolo delectantur. Nuncupat etiam daemones *spiritualia nequitiæ*: est enim et carnis, et spiritus nequitia. Carnalis quæ dicitur nequitia, incendit appetitum ad libidines et voluptates, quæ percipiuntur sensibus. Spiritualia nequitiæ sunt mala studia et pravae cupiditates, quæ ad superiorem pertinent animæ partem; quæ tanto peiores sunt, quam reliquæ, quanto mens ipsa et ratio altior est atque præstantior. Quæ satanae nequitia, quia maxime spectat illuc, ut caelesti nos hereditate privet; propterea dixit <sup>3</sup> Apostolus *in caelestibus*. Ex quo licet intelligere, magnas esse hostium vires, invictum animum, immane in nos et infinitum odium, bellum etiam perpetuum eos gerere nobiscum, ut nulla pax esse cum illis, nullæ induciæ fieri possint.

6. *Quanta sit diaboli ad tentandum audacia et perversitas.*

Quantum vero audeant, declarat satanae apud

<sup>1</sup>) Matth. 20, 36.

<sup>2</sup>) Ephes. 6, 12.

Daemonum potestas reliquis rebus antecellit. Job 41. vide Gregor. lib. 34. mor. c. 17. Rectores mundi tenebrarum enī dicuntur daemones.

Aug. in Psal. 5. Carnalis et spiritualis nequitia quæ sit.

<sup>3</sup>) Ephes. 6, 12. Ly in, accipitur causative, hoc est propter caelestia sua, facta nostra.

Quanta dae-

monum sit audacia et invidia.

1) Isa. 14, 13.

2) Gen. 3, 1.

3) Job 1, 6.

I. Paral. 21, 1.

4) Luc. 22, 31.

5) Matth. 4, 3.

6) I. Pet. 5, 8. Daemones non singuli, sed plures infestant inter-dum homines.

7) Matth. 8, 18. 19.

8) Matth. 12, 45.

Daemones im-probis infesti non sunt.

Judith. II, 1.

Ego numquam nocui viro etc.

Et Luc. II, 21.

In pace sunt omnia, quae possidet.

Ioan. 15, 19. Si

de mundo fuissetis,

mundus,

quod suum erat,

diligere-t;

et hoc est, quia

vir bonus est

caeli, malus est

telluris alu-

mnus; quos igitur

caelum diligit,

odit hu-

mus.

Ab exemplo

sanctorum.

9) Gen. 3, 2.

10) 2. Reg. 11,

2. 3.

11) 3. Reg. 11.

12) Sampson

etc.

Prophetam vox: <sup>1</sup> *In caelum conscendam.* <sup>2</sup> Ag-gressus est primos homines in paradiso; <sup>3</sup> adortus est prophetas; appetivit apostolos; ut, quem-admodum loquitur apud Evangelistam Dominus, <sup>4</sup> *cribraret eos, sicut triticum:* <sup>5</sup> ne ipsum quidem Christi domini os erubuit: itaque eius inexple-bilem cupiditatem, et immensam diligentiam san-ctus Petrus expressit, quum dixit: <sup>6</sup> *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens, quem devoret.* Quamquam non unus modo tentat homines satan, sed gregatim interdum daemones in singulos impetum faciunt: quod ille confessus est daemon, <sup>7</sup> qui rogatus a Christo domino, quod sibi nomen esset, respondit: *Legio mihi nomen est:* nempe daemonum mul-titudo; quae miserum illum divexerat; et de alio scriptum est: <sup>8</sup> *Assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi, et sunt novissima hominis illius peiora prio-ribus.*

7. *Cur perversi minus, pii autem magis a daemonibus infestentur.*

Multi sunt, qui, quod impulsus atque impe-tus daemonum in se minime sentiunt, totam rem falsam esse arbitrantur; quos ipsos a daemoni-bus non impugnari mirum non est, quibus se sponte tradiderunt: non est in illis pietas, non charitas, non virtus ulla christiano homine digna; quare fit, ut toti sint in potestate diaboli, nec ullis tentationibus opus est ad eos everten-dos, in quorum iam animis, ipsis libentibus, com-moratur. At vero, qui se Deo dicaverunt, in ter-ris caelestem vitam agentes, ii maxime omnium satanae incursibus petuntur; hos acerbissime odit; his in singula temporis momenta struit insidias. Plena est historia divinarum litterarum sancto-rum hominum, quos praesenti etiam animo stan-tes, vel vi vel fraude pervertit. <sup>9</sup> Adam, <sup>10</sup> David, <sup>11</sup> Salomon, <sup>12</sup> alique, quos enumerare difficile sit, experti sunt daemonum violentos impetus et cal-lidam astutiam, cui resisti non possit consilio aut hominum viribus. Quis igitur se suo prae-sidio satis tutum existimet? Itaque pie casteque



petendum a Deo est, <sup>1</sup> ne nos *tentari* sinat *supra id, quod* possumus; *sed faciat etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.*

8. *Daemones, quantum aut quamdiu volunt, homines tentare non possunt.*

Verum hic fideles confirmandi sunt, si qui animi imbecillitate aut rei ignoratione daemonum vim perhorrescunt, ut ipsi tentationum fluctibus agitati in hunc precationis portum confugiant: non enim satan in tanta et potentia, et pertinacia, in capitali odio nostri generis, nec quantum, nec quamdiu vult, tentare nos, aut vexare potest; sed omnis eius potestas Dei nutu et permissu gubernatur. Notissimum est exemplum Iob, de quo nisi diabolo dixisset Deus: <sup>2</sup> *Ecce, universa quae habet, in manu tua sunt;* nihil eius satanas attigisset: contra vero nisi addidisset Dominus: <sup>3</sup> *Tantum in eum ne extendas manum tuam;* uno diaboli ictu cum filiis ipse facultatibusque concidisset. Ita autem alligata est daemonum vis, ut ne <sup>4</sup> in porcos quidem illos, de quibus scribunt evangelistae, non permittente Deo invadere potuissent.

9. *Quid tentandi vox nobis designet, quaque ratione a Deo tentemur.*

Sed ad intelligendam huius petitionis vim dicendum est, quid hic tentatio significet, quid item induci in tentationem. *Est autem tentare, periculum facere de eo, qui tentatur, ut ab ipso, quod cupimus, elicientes, verum exprimamus:* qui tentandi modus in Deum minime cadit; quid enim est, quod nesciat Deus? <sup>5</sup> *Omnia enim, inquit, nuda et aperta sunt oculis eius.*

Est alterum tentandi genus, quum longius progrediendo, aliud quaeri solet in bonam vel in malam partem. In bonam, quum ea re tentatur alicuius virtus, ut, illa perspecta et cognita, is commodis et honoribus augeatur, eiusque exemplum ceteris imitandum proponatur, ac denique omnes ob id ipsum ad Dei laudes excitentur; quae tentandi ratio sola convenit in Deum. Huius exemplum tentationis est illud in Deuteronomio: <sup>6</sup> *Tentat vos dominus Deus vester, ut palam fiat*

Iud. 16.  
Reg. 15.  
Ezech. 4.  
4. Reg. 20, 13.  
1) 1. Cor. 10, 13.

Daemonum in nos potentia limitata est.  
Apoc. 1. et 20.  
Vide Cassiau. coll. 8. cap. 18.  
Aug. in Ps. 61.

1) Iob 1, 21.

3) Ibidem 16.

4) Matth. 8, 31.

Tentare quid sit. Thom. in 1. p. q. 14. art. 1. et 2. 2. q. 97. art. 1.

5) Hebr. 4, 13.

Quomodo Deus hominem tentet; vide item Aug. epist. 146. et in exp. q. 58. et 74.

6) Dent. 13, 3.  
Vide Aug. in Ps. 5. et 6.

*utrum diligatis eum, an non.* Quo modo etiam tentare suos dicitur Deus, quum inopia, morbo et aliis calamitatum generibus premit; quod probandae eorum patientiae causa facit, et ut aliis documentum sint christiani officii. In hanc partem <sup>1</sup> legimus Abraham esse tentatum, ut filium immolaret: quo facto, fuit is obedientiae et patientiae exemplum singulare ad memoriam hominum sempiternam. In eandem sententiam dictum est de Tobia: <sup>2</sup> *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.*

10. *Quo modo daemon homines tentet.*

Tentatio deceptionis causa diaboli est propria Aug. ep. 146. et alibi frequenter.

3) Matth. 4, 3.

In malam partem tentantur homines, quum ad peccatum aut exitium impelluntur; quod proprium diaboli officium est. Is enim eo animo tentat homines, ut decipiat agatque praecipites: quamobrem <sup>3</sup> *tentator* in divinis litteris appellatur. In iis vero tentationibus modo intimos nobis admovens stimulos, animae affectiones et commotiones adhibet administras; modo nos exagitant extrinsecus, externis rebus utitur, vel prosperis ad efferendos, vel ad frangendos adversis: nonnumquam habet emissarios et excursos, perditos homines, in primisque haereticos, qui <sup>4</sup> *sedentes in cathedra pestilentiae*, malarum doctrinarum mortifera semina dispergunt, ut illos, qui nullum delectum aut discrimen habent virtutis et vitiorum, homines per se proclives ad malum, nutantes ac praecipitantes impellat.

4) Ps. 1, 1.

Quid sit induci in tentationem, quodque multipliciter fieri possit, vide Aug. lib. I. de serm. Dom. in monte, c. 4. Deus peccati non est auctor, sed illud odit.

5) Ps. 5, 7. Basil. in hom. quod Deus non sit auctor malorum.

6) Iacob. I, 13.

Quomodo a Deo in tentationem inducimur.

11. *Quibus modis dicatur quis in tentationem induci.*

Dicimur autem induci in tentationem, quum tentationibus succumbimus. Inducimur vero in tentationem dupliciter. Primum, quum de statu dimoti, in id ruimus malum, in quod tentando nos aliquis impulerit. At nemo quidem a Deo hoc modo in tentationem inducitur, quia nemini est peccati auctor Deus, immo vero <sup>5</sup> *odit omnes qui operantur iniquitatem.* Sic vero etiam est apud sanctum Iacobum: <sup>6</sup> *Nemo, quum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est.*

Deinde dicitur nos in tentationem inducere is, qui etsi non tentat ipse, neque operam dat,

quo tentemur, tentare tamen dicitur, quia, quum possit prohibere, ne id accidat aut ne tentationibus superemur, non impedit. Hoc modo Deus bonos et pios tentari quidem sinit, verumtamen sua gratia sustentatos non deserit. Nec vero non interdum iusto et occulto Dei iudicio nostris id sceleribus postulantis, nobis ipsi relictis concedimus.

12. *Beneficia Dei quandoque nos in tentationem inducunt.*

Praeterea nos in tentationem Deus inducere dicitur, quum eius beneficiis, quae nobis ad salutem dedit, abutimur ad perniciem, et <sup>1</sup> patris *substantiam*, ut prodigus ille filius, dissipamus, *vivendo luxuriose*, nostris cupiditatibus obsequentes. Quamobrem id dicere possumus, quod de lege dixit Apostolus: <sup>2</sup> *Inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem*. Opportunum rei exemplum est Hierosolyma, teste Ezechiele, quam Deus omni ornamentorum genere locupletarat, ut eius ore prophetae diceret Deus: <sup>3</sup> *Perfecta eras in decore meo, quem posueram super te; et tamen illa civitas divinis cumulata bonis, tantum abest, ut optime de se merito ac merenti Deo gratiam habens, caelestibus beneficiis ad beatitudinem consequendam, cuius gratia ea acceperat, uteretur, ut, ingrattissima in parentem Deum, abiecta spe et cogitatione caelestium fructuum, tantum praesenti abundantia luxuriose ac perditate frueretur; quod <sup>4</sup> Ezechiel eodem capite pluribus verbis persequutus est. Quare sunt eodem loco ingrati in Deum homines, qui praebitam sibi ab eo divinitus uberem materiam recte factorum, ad vitia, illo permittente, convertunt.*

13. *Quo modo scripturas verba intelligenda sint, quae de permissione Dei per verba operationem significantia loquuntur.*

Sed oportet hunc divinae scripturae morem diligenter attendere, quae Dei permissionem iis interdum verbis significat, quae, proprie si accipiantur, tamquam actionem in Deo significant; nam in Exodo sic est: <sup>5</sup> *Indurabo cor Pharaonis;*

De hac hominum nequitia, vide Deut. 32, 25, et 1. Reg. 2. et 2. Reg. 12. et 5.  
1) Luc. 15, 12.  
13, 14.

2) Rom. 7, 10.

3) Ezech. 16, 14.

4) Ibid. 19, 20. Ingrati in Deum homines reprehenduntur.

Mos loquendi Scripturarum improprie, quando verbis activis Dei permissio significatur.  
5) Exod. 7, 3.

1) Isa. 6, 10. et apud Isaiam: <sup>1</sup> *Excaeca cor populi huius; et*  
 2) Rom. 1, 26. ad Romanos scribit Apostolus: <sup>2</sup> *Tradidit illos*  
 Conc. trid. sess. *Deus in passiones ignominiae, et in reprobum*  
 6. can. 6. *sensum.* Quibus in locis aliisque similibus, non  
 id omnino esse actum a Deo, sed permissum,  
 intelligendum est.

14. *In hac precationis parte non postulatur, ut prorsus ab omni tentatione immunes simus, sed ne in tentationibus a Deo deseramus.*

Tentationum  
utilitas.

3) Iob 7, 1. secundum LXX.  
\* Al. leg. Militia.

4) I. Pet. 5, 6.

5) Ibidem 4.

6) 2. Tim. 2, 5.

7) Iacob, 1, 12.

8) Hebr. 4, 15.

Non modo generatim, sed speciatim postulandum Dei auxilium in tentationibus.

9) Ps. 118, 43.

10) Ibid. 36.

His positus, non erit difficile scire, quid in hac precationis parte postulemus. Nec vero petimus, ne omnino tentemur: <sup>3</sup> *Est enim \* tentatio vita hominis super terram.* Est autem ea res utilis et fructuosa hominum generi: nam in tentationibus nos ipsos, idest vires nostras, cognoscimus. Quamobrem etiam <sup>4</sup> *humiliamur sub potenti manu Dei,* viriliterque decertantes, <sup>5</sup> *exspectamus immarcescibilem coronam gloriae. Nam et <sup>6</sup> qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit;* et, ut inquit sanctus Iacobus: <sup>7</sup> *Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam, quum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.* Quod si urgemur nonnumquam hostium tentationibus, magnae nobis erit levationi illa cogitatio habere nos adiutorem *pontificem,* <sup>8</sup> *qui possit compati infirmitatibus nostris, tentatum ipsum per omnia.* Quid hic igitur petimus? ne divino praesidio deserti, tentationibus vel decepti asentiamur, vel cedamus afflicti, ut praesto sit nobis Dei gratia, quae quum defecerint nos propriae vires, in malis recreet ac reficiat.

15. *Quo modo a Deo in nostris tentationibus opem implorare debeamus.*

Quare et generatim Dei opem implorare debemus in omnibus tentationibus, et nominatim, quum singulis affligimur, ad precationem confugere oportet. Quod a Davide factum legimus pae-  
 nite in unoquoque tentationum genere; nam in mendacio sic precabatur: <sup>9</sup> *Ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque.* In avaritia ad hunc modum: <sup>10</sup> *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.* In rebus vero

inanibus huius vitae, et illecebris cupiditatum, hac prece utebatur: <sup>1</sup> *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Ergo postulamus, ne morem geramus cupiditatibus, neve <sup>2</sup> defatigemur in tentationibus sustinendis, ne <sup>3</sup> declinemus de via Domini, ut tam in rebus incommodis, quam in prosperis, aequitatem animi constantiamque servemus, et nullam nostri partem Deus sua tutela vacuam relinquat. <sup>4</sup> Petimus denique, *ut satanam conterat sub pedibus nostris.*

1) Ibid. 37.

2) Hebr. 12, 3.

3) Deut. 31, 29.

4) Rom. 16, 20.

16. *Quo modo de tentatione victoria reportari, et quo auctore illa obtineri possit.*

Reliquum est, ut fidelem populum ad ea parochus cohortetur, quae in hac precatatione maxime cogitare et meditari oporteat: in qua erit illa optima ratio, si, quanta sit hominum infirmitas, intelligentes, viribus nostris diffidamus, et, omni spe nostrae incolumitatis in Dei benignitate collocata, eo freti patrocinio, vel in maximis periculis magnum animum habuerimus, praesertim cogitantes, quam multos hac spe atque hoc animo praeditos ex hiantibus satanae faucibus liberarit Deus. An non <sup>5</sup> Ioseph undique circumdatum ardentibus insanae mulieris facibus, e summo ereptum periculo, <sup>6</sup> ad gloriam extulit? Non <sup>7</sup> Susannam, a satanae ministris obsessam, tum quum nihil propius esset, quam ut nefariis sentiis interficeretur, servavit incolumem? Neque mirum: <sup>8</sup> *Erat enim, inquit, cor eius fiduciam habens in Domino.* Insignis est laus et gloria Iob, qui de mundo, de carne, de satana triumphavit. Plurima sunt huius generis exempla, quibus parochus diligenter pium populum ad eam spem fiduciamque cohortari debet.

Victoriam ex tentatione possumus referre per fiduciam in Deum.

5) Gen. 39, 7.

8. 9.

6) Gen. 41, 38.

39.

7) Dan. 13, 61.

62.

8) Ibid. 35.

17. *Nostri certaminis antesignanus Christus est, socii sancti omnes, quos qui non sequuntur, vecordes sunt.*

Cogitent etiam fideles, quem in hostium tentationibus ducem habeant, nempe Christum dominum, qui <sup>9</sup> victoriam ex illo certamine retulit. Vicit ipse diabolus: est <sup>10</sup> is ille fortior, qui perveniens fortem superavit armatum; quem et

9) Math. 4, 4.

10) Luc. 11, 22.

- armis nudavit et spoliis. De eius victoria, quam de mundo reportavit, est apud sanctum Ioannem: <sup>1</sup> *Confidite, ego vici mundum*; et in Apocalypsi dicitur <sup>2</sup> ipse *leo vincens*, et <sup>3</sup> *exiisse vincens, ut vinceret*: qua in victoria suis etiam cultoribus facultatem vincendi dedit. Est Apostoli ad Hebraeos epistola plena victoriis sanctorum hominum, qui <sup>4</sup> *per fidem devicerunt regna, obturaverunt ora leonum*, et quae sequuntur. Ex his vero quae sic acta legimus, eas victorias cogitatione complectamur, quas quotidie reportant ex intimis et externis daemonum proeliis homines fide, spe et charitate praestantes; quae tam multae sunt tamque insignes, ut, si sub aspectum caderent oculorum, nihil frequentius accidere iudicaremus, nihil gloriosius; de quorum hostium clade his verbis scripsit sanctus Ioannes: <sup>5</sup> *Scribo vobis iuvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicistis malignum.*

18. *Quo modo diabolus a nobis superari possit.*

- Labore, virtutibus, et vigilantia daemones superantur. Vincitur autem satanas non otio, somno, vino, comissione, libidine; sed oratione, labore, vigilia, abstinentia, continentia, castitate. <sup>6</sup> *Vigilate, et orate*, inquit, ut iam diximus, *ut non intretis in tentationem*. Qui iis armis ad illam pugnam utuntur, in fugam convertunt adversarios: qui enim resistunt diabolo, is fugiet ab eis. In his tamen sanctorum hominum victoriis, quas diximus, nemo sibi placeat, nemo se efferat insolentius, ut se suis viribus hostiles daemonum tentationes impetusque sustinere posse confidat: non est hoc naturae nostrae, non humanae imbecillitatis, sed solius divinae potestatis.

19. *Quo modo omnes nobis ad vincendum vires a Deo dentur.*

- Citra Dei auxilium nihil possumus. Hae vires, quibus prosternimus satanae satellites, dantur a Deo, <sup>7</sup> qui ponit, *ut arcum aereum, brachia nostra*; <sup>8</sup> cuius beneficio *arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore*; qui <sup>9</sup> dat nobis *protectionem salutis*; <sup>10</sup> cuius nos dextera suscepit; <sup>11</sup> qui docet manus nostras *ad proelium, et digitos nostros ab bel-*

1) Ioan. 16, 33.

2) Apoc. 5, 5.

3) Apoc. 6, 2.

4) Hebr. 11, per totum.

Quod Christus nobis prostrato diabolo, vincendi facultatem dederit, et exemplum praebuerit. Vide Aug. lib. 4. de trin. c. 12. Greg. hom. 16. in Evang.

Thom. in 3. p. q. 41. art. 1.

5) I. Ioan. 2, 14.

Labore, virtutibus, et vigilantia daemones superantur.

6) Matt. 26, 41. Etsi propriam infirmitatem in certamine agnoscamus.

Citra Dei auxilium nihil possumus.

7) Ps. 17, 35.

8) I. Reg. 2, 4.

9) Ps. 17, 36.

10) Ps. 62, 9.

11) Ps. 143, 1.

lum: ut uni Deo pro victoria sint agenda et habendae gratiae, quo uno et auctore, et adiutore vincere possumus, quod fecit Apostolus; ait enim: <sup>1</sup> *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per dominum nostrum Iesum Christum.* <sup>1) I. Cor. 15, 57.</sup>

Eundem auctorem victoriae praedicat caelestis illa vox in Apocalypsi: <sup>2</sup> *Facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi eius, quia proiectus est accusator fratrum nostrorum; et ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni.* Testatur idem liber, Christi dominipartam ex mundo carneque victoriam eo loco: <sup>3</sup> *Hi cum agno pugnabunt, et agnus vincet illos.* Haec de causa et de modo vincendi. <sup>2) Apoc. 12, 10, 11. 3) Apoc. 17, 14.</sup>

20. *Quae sint in spirituali illo certamine victorum praemia.*

Quibus expositis, proponent fideli populo parochi, a Deo paratas coronas, et constitutam victoribus sempiternam praemiorum amplitudinem, quorum ex eadem Apocalypsi divina proferent testimonia: <sup>4</sup> *Qui vicerit, non laedetur a morte secunda;* et alio loco: <sup>5</sup> *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen eius de libro vitae, et confitebor nomen eius coram Patre meo, et coram angelis eius;* et paulo post Deus ipse ac Dominus noster ita loquitur ad Ioannem: <sup>6</sup> *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius;* tum inquit: <sup>7</sup> *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno eius.* Denique quum sanctorum gloriam, et perpetuam illam bonorum vim, quibus in caelo fruuntur, exposuisset, adiunxit: <sup>8</sup> *Qui vicerit, possidebit haec.* <sup>4) Apoc. 2, 11. 5) Apoc. 3, 5. 6) Apoc. 3, 12. 7) Apoc. 3, 21. 8) Apoc. 21, 7.</sup>

# DE SEPTIMA PETITIONE

## CAPUT XVI.

SED LIBERA NOS A MALO.

1. *Nihil continetur superioribus petitionibus, quod ista non includatur.*

Postrema peti-  
tio vim sex su-  
periorum sua  
amplitudinae  
concludit.

1) Ioan. 17, 15.

Cypr. serm. 6.  
de orat. dom.

Postrema haec petitio est instar omnium, qua Dei filius divinam hanc orationem conclusit; cuius etiam vim et pondus ostendens, ea usus est orandi clausula, quum e vita migraturus Deum patrem pro hominum salute deprecaretur:

<sup>1</sup> *Rogo enim, inquit, ut serves eos a malo.* Ergo hac precationis formula, quam et praecepto tradidit, et exemplo confirmavit, quasi quadam epitome summam complexus est vim et rationem ceterarum petitionum. Quum enim id, quod ea prece continetur, impetraverimus; *nihil, auctore sancto Cypriano, reliquum est, quod ultra adhuc debeat postulari, quum semel protectionem Dei adversus malum petamus: qua impetrata, contra omnia, quae diabolus et mundus operantur, securi stamus et tuti.* Quare, quum tanti sit haec petitio, quanti diximus, debet parochus in ea fidelibus explicanda summam adhibere diligentiam. Differt autem haec et proxima petitio, quod illa vitiationem culpae, hac poenae liberationem postulamus.

2. *Quid nos urgeat, ut hanc precationem coram Domino effundamus.*

Quare non iam monendus est fidelis populus, quantopere et laboret ex incommodis et calamitatibus, et caelestis egeat adiumenti: nam quot et quantis miseriis proposita sit hominum vita, praeterquam quod et sacri et profani scriptores hoc argumentum sunt copiosissime persequuti, nemo fere est, quin intelligat et suo et alieno periculo. Persuasum enim est omnibus, quod exemplum patientiae Iob memoriae prodidit:

2) Iob 14, 1. 2.

<sup>2</sup> *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis; qui quasi flos egre-*



*ditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et numquam in eodem statu permanet.* Nec vero ullum praeterire diem, qui propria aliqua molestia aut incommodo notari non possit, testis est illa Christi domini vox: <sup>1</sup> *Sufficit diei malitia sua.* Etsi conditionem humanae vitae declarat ipsius Domini monitum illud, <sup>2</sup> quo crucem quotidie sumi, seque docuit sequi oportere. Ut igitur quisque sentit, quam laboriosa sit et periculosa haec vivendi ratio, ita facile persuadebitur fideli populo, malorum liberationem a Deo implorandam esse; praesertim quum nulla re magis ad orandum adducantur homines, quam cupiditate et spe liberationis eorum incommodorum, quibus premuntur, aut quae impendeant. Est enim haec insita ratio in animis hominum, ut in malis statim ad Dei auxilium confugiant. Quae de re est illud scriptum: <sup>3</sup> *Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum, Domine;* et: <sup>4</sup> *Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.*

1) Matth. 6, 34.

2) Luc. 9, 23.

In calamitatibus propensionibus sunt homines ad Deum invocandum.

3) Ps. 82, 17.

4) Ps. 15, 4.

3. *Quanam ratione periculorum et calamitatum depulsio a Deo postulanda sit.*

Sed si illud fere sua sponte faciunt homines, ut in periculis et calamitatibus invocent Deum, certe, quo modo id recte facere possint, ab iis, quorum fidei ac prudentiae commissa est eorum salus, maxime docendi sunt. Non enim desunt, qui contra Christi domini iussum praepostero utantur ordine precationis. Nam, <sup>5</sup> qui iussit nos ad se confugere in die tribulationis, idem orationis ordinem nobis praescripsit: voluit enim, ut prius, quam precaremur, ut nos liberaret a malo, peteremus uti nomen Dei sanctificaretur, et adveniret regnum eius, et reliqua postularem, quibus, quasi gradibus quibusdam, in hunc locum pervenitur. Sed quidam, si caput, si latus, si pes condoluit, si rei familiaris iacturam faciunt, si minae, si pericula ab inimicis intenduntur, in fame, in bello, in pestilentia, omissis mediis dominicae precationis gradibus, tantum petunt, ut ex illis eripiantur malis. At huic consuetudini repugnat Christi domini ius-

Quod non recte precetur qui primis et mediis dominicae orationis gradibus omissis, calamitatum depulsionem postulat.

5) Ps. 49, 15.

- 1) Matt. 6, 33. sum : <sup>1</sup> *Quaerite primum regnum Dei*: itaque, qui recte preces faciunt, quum deprecantur calamitates, incommoda, malorum depulsionem, id referunt ad Dei gloriam. Sic David illi pre-  
 2) Ps. 6, 2. cationi : <sup>2</sup> *Domine, ne in furore tuo arguas me*, subiecit rationem, qua se Dei gloriae cupidissimum ostendit; inquit enim : <sup>3</sup> *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?* Et idem, quum oraret  
 3) Ibid. 6, 6. Deum, <sup>4</sup> sibi ut misericordiam impertiret, subiungit illud : <sup>5</sup> *Docebo iniquos vias tua; et impii ad te convertentur.* Ad hanc orandi salutarem rationem, et ad exemplum Prophetae incitandi sunt fideles auditores, et simul docendi, quantum intersit inter infidelium et christianorum hominum preces.

4. *Infideles se liberari a malo, ac christiani, non perinde petunt.*

Quod in morbis, et rebus adversis praecipua res in externis remediis non sit ponenda, exemplo sit Asa rex Iuda, qui ob id 2. Paralip. 16. reprehenditur.

- Petunt vehementer illi quidem a Deo, ut possint ex morbis vulneribusque convalescere, sibi ut ex urgentibus vel imminentibus malis evadere liceat; sed tamen illius praecipuam spem liberationis ponunt in remediis, natura vel hominum industria comparatis: quin etiam sibi datum a quovis medicamentum, etiam si canticibus, si veneficiis, si daemonum opera confectum sit, siue ulla religione adhibent, modo aliqua valetudinis spes ostendatur. Longe alia est ratio christianorum, qui in morbis, et omnibus adversis rebus habent summum perfugium et praesidium salutis Deum; unum illum omnis auctorem boni, et liberatorem suum agnoscunt ac venerantur: remediis vero, quae inest ad sanandum vis, insitam a Deo esse pro certo habent, tantumque illa aegrotis prodesse existimant, quantum ipse voluerit Deus. Est enim a Deo data hominum generi medicina, qua morbos sanaret. Hinc est illa Ecclesiastici vox: <sup>6</sup> *Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa.* Itaque, qui Iesu Christo nomen dederunt, non in illis remediis summam spem reponunt recuperandae valetudinis, sed ipsi medicinae auctori Deo maxime confidunt.
- 6) Eccl. 38, 4.

5. Quo modo in morbis soli Deo fidendum sit, qui plurimos a praesentissimis periculis liberavit.

Quare etiam in <sup>1</sup> divinis litteris reprehenduntur ii, qui, medicinae fiducia, nullum Dei auxilium requirunt: immo vero qui vitam agunt ex divinis legibus, abstinere omnibus remediis, <sup>2</sup> quaecumque ad curationem a Deo non adhibita esse constet. Quod, si etiam eorum usu medicamentorum illis sit explorata spes sanitatis, tamen ab iis, ut carcionibus et daemone artificio, abhorrent. Ad id autem fideles cohortari oportet, ut Deo confidant: ea enim re iussit nos beneficentissimus parens liberationem malorum postulare, ut in eo ipso, quod iussit, spem etiam impetrationis haberemus. Multa sunt in sacris litteris huius rei exempla, ut, qui minus rationibus adducuntur ad bene sperandum, exemplorum multitudine confidere cogantur. <sup>3</sup> Abraham, <sup>4</sup> Iacob, <sup>5</sup> Loth, <sup>6</sup> Ioseph, <sup>7</sup> David sunt in oculis locupletissimi testes divinae benignitatis. Sacrae novi testamenti litterae tam multos enumerant, qui ex maximis discriminibus erepti sunt piae pondere precatationis, ut res exemplorum commemoratione non egeat. Una igitur illa Prophetarum sententia contenti erimus, quae vel infirmissimum quemque confirmare potest: <sup>8</sup> *Clamaverunt, enim inquit, iusti, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.*

6. Quid mali nomine hic intelligatur, et quae huius petitionis sit sententia.

Sequitur huius vis et ratio petitionis, ut fideles intelligant, non omnino petere nos hoc loco, ut a malis omnibus liberemur. Sunt enim quaedam, quae communiter mala putantur, quae tamen sunt illis fructuosa, qui patiuntur, <sup>9</sup> ut ille *stimulus*, qui Apostolo erat adhibitus, ut, Dei gratia adiuvante, *virtus in infirmitate* perficeretur: haec, si cognita sit eorum vis, summa voluptate pios afficiunt: tantum abest, ut a Deo petant, ut auferantur. Quare tantum ea mala deprecamur, quae nullam animae utilitatem af-

<sup>1</sup>) Asa, sicut dictum est 2. Paral. 16, 22. Sine Deo nullam opem afferre medicina, iudicat ler. 9, et 46, 11.  
<sup>2</sup>) Non est utendum remediis a Deo non constitutis ad sanitatem recuperandam. Lev. 10, 6.  
 1. Reg. 28, 7-8.

<sup>3</sup>) Gen. 12, 2.  
<sup>4</sup>) Gen. 28, 14.  
<sup>5</sup>) Gen. 14, 20.  
<sup>6</sup>) Gen. 39, 2.  
<sup>7</sup>) 1. Reg. 27, 14, 15.

<sup>8</sup>) Ps. 33, 18.

<sup>9</sup>) 2. Cor. 12, 7, 8, 9.

ferre possunt, reliqua minime, modo aliquis inde salutaris fructus existat.

7. *Quot et quanta sint malorum genera, a quibus liberari cupimus.*

Mala, a quibus liberari cupimus, quae et qualia sint. Psal. 118. Cant. 8. Psal. 26.

Omnino igitur huic voci ea subiecta vis est, ut a peccato liberati, a tentationis etiam periculo, ab intimis externisque malis eripiamur; ut tuti simus ab aqua, ab igne, a fulgure; ne grandio noceat frugibus; ne annonae caritate, seditioibus, bello laboremus; petimus a Deo, ut morbos, pestem, vastitatem arceat, vincula, carcerem, exsilium, prodiones, insidias, ceteraque omnia prohibeat incommoda, quibus maxime terreri ac premi solet hominum vita; omnes denique flagitiorum et facinorum causas avertat. Neque haec solum, quae omnium consensione mala sunt, deprecamur; sed illa etiam, quae paene omnes bona continentur, divitias, honores, valetudinem, robur, hanc ipsam vitam; petimus, inquam, ne ad malum, et ad animae nostrae exitium haec convertantur. Oramus etiam Deum, ne morte opprimamur repentina; ne in nos iram Dei concitemus; ne, quae impios manent, supplicia subeamus; ne igne Purgatorii torqueamur, a quo ut alii liberentur, pie et sancte precamur. Hanc petitionem et in missa, et in litanis sic interpretatur ecclesia, nos videlicet ea *praeterita, praesentia, futura mala* deprecari.

8. *Deus et impendentia mala arceat, et praesentibus quandoque mirabiliter eripit.*

Non uno autem modo Dei nos benignitas eripit a malis; nam impendentes prohibet calamitates, quo modo legimus magnum illum Iacob esse liberatum ab inimicis, quos in illum concitavit Sichimitarum caedes; exstat enim illud: <sup>1</sup> *Terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, et non sunt ausi persequi recedentes.* Et quidem beati omnes, qui cum Christo domino in caelis regnant, <sup>2</sup> omnibus malis Dei ope liberati sunt; nos autem, qui in hac peregrinatione versamur, ab omnibus incommodis solutos esse minime vult, sed eripit a quibusdam; etsi sunt

1) Gen. 35, 5.

2) Isa. 25, 8.

instar liberationis malorum omnium ea solatia, quae dat Deus interdum iis, qui rebus premuntur adversis. His se consolabatur Propheta, quum illa dicebat: <sup>1</sup> *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* Praeterea a malis homines liberat Deus, quum illos in summum discrimen adductos, integros servat et incolumes; quod et <sup>2</sup> pueris illis in ardentem fornacem coniectis, et Danieli contigisse legimus, quem leones nihil laeserunt, quemadmodum neque pueros flamma violavit.

1) Ps. 93, 19.

2) Dan. 3, 21. et 6, 21. et 14, 39.

Diabolus est malitiae inventor et auctor.

9. *Diabolus hic malus dicitur, quod mali culpa auctor, et mali poenae exactor sit.*

Malus vero etiam ex sententia sanctorum <sup>3</sup> Basilii magni, <sup>4</sup> Chrysostomi et <sup>5</sup> Augustini praecipue dicitur daemon, quod hominum culpa, id est sceleris et peccati auctor fuit; quo etiam ministro utitur Deus in repetendis poenis a sceleratis et facinorosis: <sup>6</sup> dat enim Deus omne malum hominibus, quod illi peccati causa patiuntur. In quam sententiam loquuntur divinae litterae illis verbis: <sup>7</sup> *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* item: <sup>8</sup> *Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum.*

3) Basil. in homil. quod Deus non sit auctor malorum.

4) Chrysost. homil. 20. in Matth.

5) Aog. de eccl. dogm. cap. 57.

6) Dan. lib. 4. de orth. fide c. 10.

7) Amos 3, 6.

8) Isa. 45, 7.

Malus quoque dicitur daemon ob eam causam, quod, etsi eum nihil laeserimus, tamen perpetuum bellum nobis infert, et capitali nos insectatur odio. Quod si nobis et fide armatis, et innocentia tectis nocere non potest, tamen nullum finem facit tentandi nos externis malis, et quacumque potest ratione divexandi. Quamobrem Deum precamur, ut nos a malo liberare velit.

Deus est auctor mali poenae, non culpa.

Daemon nobis nocere non potest, nisi permittente Deo, Aog. in Psal. 96.

10. *Cur singulari, non autem multitudinis voce, a malo liberari petamus.*

Dicimus autem a malo, non a malis, ob id, quod mala, quae in nos a proximis proficiscuntur, illi assignamus, tamquam auctori et impulsori, quo minus etiam proximis irasci debemus; quin odium et iracundiam in ipsum satanam convertere oportet, a quo homines ad iniuriam inferendam impelluntur. Itaque, si te

Omnia mala,

quae nobis infernat proximi, a daemone proficiscuntur. Vide Aug. serm. 85. de temp.

aliqua re laeserit proximus, quum preces facis parenti Deo, pete, ut non modo te liberet a malo, id est ab iis, quas tibi proximus imponit, iniuriis; sed illum ipsum eripiat proximum ex diaboli manu, cuius impulsu homines in fraudem inducuntur.

11. *Quo modo in malis affecti esse debeamus, etiamsi continuo non liberemur.*

Cam a malis non liberamur, ea nobis patienter ferenda sunt.

Illud denique sciendum est, si in precibus et votis non liberamur a malis, debere nos, quae premant, ferre patienter, intelligentes placere divino numini, ut toleranter ea patiamur. Quare minime nos indignari aut dolere par est, quod preces nostras non audiat Deus, sed omnia ad eius nutum ac voluntatem referre oportet, existimantes, id utile, id esse salutare, quod Deo placet ut ita sit, non autem id, quod secus nobis videatur.

12. *Quot et quanta commoda ex tribulationibus ad nos proveniant.*

Aug. serm. 85. de temp.  
Dam. lib. 2. de orth. fide c. 4.

Postremo docendi sunt pii auditores, dum in hoc vitae curriculo versantur, eos ad omne incommodorum et calamitatum genus non solum aequo, sed etiam gaudenti animo ferendum paratos esse debere: <sup>1</sup> *Omnes enim, inquit, qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Item: <sup>2</sup> *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Rursum: <sup>3</sup> *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Non enim aequum est, <sup>4</sup> servum esse maiorem Domino suo; sicuti *turpe est, e sententia S. Bernardi, membra esse delicata sub spinoso capite.* Praeclarum illud est exemplum Uriae propositum ad imitandum, qui, adhortante Davide, domi ut se contineret, inquit: <sup>5</sup> *Arca Dei, et Israel, et Iuda habitant in papilionibus, et ego ingrediar domum meam?* His instructi rationibus ac meditationibus, si ad orandum veniemus, illud assequemur, ut si minis undique cincti, malisque circumdati, <sup>6</sup> quemadmodum tres illi pueri intacti ab igne, sic nos inviolati servemur; certe, ut <sup>7</sup> Machabaei, casus adversos constanter ac fortiter feramus. In con-

1) 2. Tim. 3, 12.

2) Act. 14, 21.

3) Luc. 24, 26.

4) Matth. 10, 24.

Luc. 6, 40.

Ioan. 13, 16. et

15, 20.

Bern. serm. 5.

de omnibus

sauetis.

5) 1. Reg. 11,

11.

6) Dan. 3, 49.

7) 1. Mach. 2,

16.

tumeliis et cruciatibus sacros imitabimur apostolos, <sup>1</sup> qui caesi verberibus vehementer laetabantur, quod digni habiti essent, qui pro Christo Iesu contumelias paterentur; sic nos ita comparati canemus illa summa cum animi voluptate: <sup>2</sup> *Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis formidavit cor meum: laetabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.*

<sup>1</sup>) Act. 5, 41.

<sup>2</sup>) Ps. 118, 16r. 16s.

## CAPUT XVII.

## DE EXTREMA ORATIONIS DOMINICAE CLAUSULA :

AMEN.

1. *Quis usus et fructus sit huius particulae.*

Hanc vocem, sicuti est, *signaculum orationis dominicae* appellat sanctus Hieronymus in commentariis in Matthaeum. Quare, ut admonuimus antea fideles de praeparatione, quae adhibenda sit priusquam aggrediantur ad divinam precationem; sic nunc faciendum duximus, ut clausulae ac finis ipsius precationis causam rationemque cognoscant. Non enim <sup>3</sup> pluris est divinas preces diligenter ordiri, quam religiose absolvere. Sciat igitur fidelis populus, multos esse, et eos uberes fructus, quos ex orationis dominicae fine percipimus; sed omnium uberrimus ac laetissimus fructus est eorum impetratio, quae postulavimus; de quo supra satis dictum est. Non solum autem consequimur postrema hac parte precationis, ut nostrae preces audiantur, sed quaedam etiam maiora ac praeclariora, quam ut verbis explicari possint.

S. Hieron. in c. 6. Matth. Curandum est, ut preces et recte inchoentur, et recte absolvantur.

<sup>3</sup>) Immo melior est orationis finis, quam principium, Eccl. 7, 9.

2. *Quanta bona ex oratione ad homines promanant.*

Nam, *quum orando homines cum Deo colloquantur*, ut sanctus Cyprianus ait, fit quodam inexplicabili modo oranti divina maiestas propior, quam ceteris; quem praeterea singularibus ornat muneribus: ut, qui pie Deum orant, quodammodo cum iis, qui ad ignem accedunt, comparari possint; qui, si algent, calescunt; si calent, aestuant: sic illi assistentes ad Deum, pro

Orationis virtus et utilitas, Cypr. circa fin. serm. de orat. don. et Chrys. or. I. de orando Deo.

- modo pietatis ac fidei, ardentiores evadunt: inflammatur enim eorum animus ad Dei gloriam, mens illustratur admirabilem in modum, omnino cumulatur divinis muneribus; est enim illud proditum sanctis litteris: <sup>1</sup> *Praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis*. Exemplo est omnibus magnus ille Moses, <sup>2</sup> qui a Dei congressu et colloquio digrediens, divino quodam fulgore colucebat sic, ut Israelitae eius oculos et os intueri non possent. Omnino qui vehementi illo studio preces faciunt, Dei benignitate ac maiestate admirabiliter perfruuntur. <sup>3</sup> *Mane adstabo tibi*, inquit Propheta, *et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*. Haec quo magis noscunt homines, eo Deum vehementiori cultu ac pietate venerantur; eo etiam sentiunt iucundius, <sup>4</sup> quam suavis sit Dominus, et quam vere beati sint omnes, qui sperant in eo: tum vero clarissima illa luce circumfusi, quanta sit eorum humilitas, quanta sit Dei maiestas, considerant. Est enim illa sancti Augustini regula: *Noverim te, noverim me*. Itaque fit, ut suis viribus diffidentes, totos se committant Dei benignitati, minime dubitantes, quin is ipsos paterna illa sua et admirabili charitate complexus, abundanter iis omnia suppeditet, quae sint ad vitam et salutem necessaria: hinc se ad agendas Deo gratias convertant, quantas animo maximas capere possunt, quantas oratione complecti; quod magnum Davidem fecisse legimus, qui, quum ita precationem instituisset: <sup>5</sup> *Salvum me fac ex omnibus persequentibus me*; sic eam absolvit: <sup>6</sup> *Confitebor Domino secundum iustitiam eius, et psallam nomini Domini altissimi*.
3. *Qua ratione fiat, ut sanctorum preces a timore inchoatae, laetitia concludantur.*
- Sunt eiusmodi sanctorum preces innumerabiles, quarum exordium est timoris plenum, clausula spei bonae laetitiaeque referta: sed mirabile est, quam eo in genere eniteant Davidis ipsius precationes. Nam, quum metu perturbatus sic orare esset exorsus: <sup>7</sup> *Multi insurgunt adversum me; multi dicunt animae meae: Non*
- 1) Ps. 10, 4.  
2) Exod. 34, 35.  
3) Ps. 5, 5.  
4) Ps. 33, 9.  
5) Ps. 7, 1.  
6) Ibid. 18.  
7) Ps. 3, 2, 3.

Aug. lib. 2. solum  
liloq. cap. 1.  
Ps. 138, 6. Mi-  
rabilis, etc.

Fiducia et spei  
virtute effici-  
tur, ut sancto-  
rum preces a  
timore inchoa-  
tae laetitia  
concludantur.



*est salus ipsi in Deo eius; confirmatus aliquando gaudioque perfusus, subiunxit paulo post: <sup>1</sup> Non timebo millia populi circumdantis me. Alio etiam <sup>2</sup> psalmo, suam quum deplorasset miseriam, ad extremum Deo confisus, incredibiliter laetatur spe sempiternae beatitudinis: <sup>3</sup> In pace in idipsum, inquit, dormiam, et requiescam. Quid illa: <sup>4</sup> Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me; quanto cum tremore et pallore Prophetam dixisse credendum est? Contra, quae deinceps sequuntur, quam fidenti ac laetanti animo? <sup>5</sup> Discedite a me, inquit, omnes qui operamini iniquitatem; quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei. Quum vero Saulis iram furoremque pertimesceret, quam humiliter ac demisse Dei opem implorabat: <sup>6</sup> Deus, in nomine tuo salvum me fac; et in virtute tua iudica me; et tamen hilare ac fidenter in eodem Psalmo subiecit: <sup>7</sup> Ecce enim Deus adiuvat me, et Dominus susceptor est animae meae. Quare, qui se confert ad sacras preces fide speque munitus, parentem adeat Deum, ut se id consequi posse, quod ei opus sit, nullo modo diffidat.*

4. Quo sensu illa vocula amen in fine hic usurpetur, et in missa sacerdoti pronuntianda reservetur.

Sunt autem in extremo hoc divinae precationis verbo *amen* multa quasi semina quaedam earum rationum cogitationumque, quas diximus: et quidem adeo frequens fuit haec hebraea vox in ore Salvatoris, ut Spiritui sancto placuerit, ut in ecclesia Dei retineretur: cui voci illa quodammodo subiecta sententia est: Scito tuas auditas esse preces; habet enim vim respondentis, et illum, qui precibus, quod velit, impetrarit, cum bona gratia dimittentis Dei. Hanc sententiam perpetua ecclesiae Dei consuetudo comprobavit, quae in sacrificio missae, quum pronuntiatur oratio dominica, non rei sacrae ministris, quorum partes sunt illa dicere: *sed libera nos a malo*, attribuit hanc vocem *amen*, sed ipsi sacerdoti accommodatam reservavit: qui, quum Dei et hominum sit interpres, Deum exoratum esse populo respondet.

Quanta sit virtus et dignitas vocis Amen.

Amen, in ore Christi Salvatoris fuit frequentissima.

Cur in missa peculiariter pronuntiatio particulae Amen, sacerdoti non autem ministro, ut fit in aliis orationibus, reservetur.

5. *Cur in aliis precationibus minister, in hac vero sacerdos Amen respondeat.*

Nec tamen hic ritus communis est omnium precationum, quippe quum in ceteris ministro- rum sit munus respondendi *amen*; sed proprius dominicae orationis: nam in aliis precibus consensum modo desideriumque significat; in hac responsio est, Deum orantis postulationi consensisse.

6. *Quo modo dictio amen varie exponatur.*

Non una est interpretatio vocis Amen.

Septuaginta reddiderunt

γένεστο, id est fiat, ut Ps.

40, 14. Aquila

vero, πεπι-

στευμένως,

idest fideliter;

Isa. vere 65,

16 ubi nos habemas: iurabit

in Deo Amen.

LXX. legunt

ἰμοῦντας

τὸν θεὸν τὸν

ἀληθινόν.

Vide Hier. ep.

174. ad Marcel.

et in Isa.

2) 2. Cor. 1, 20.

1) Ps. 53, 6.

Amen attentionem etiam

excitat.

3) Hebr. 5, 7.

4) 1. Petr. 4, 11.

Ac varie quidem a multis est interpretatum hoc verbum *amen*. Septuaginta interpretes verterunt *fiat*; alii reddiderunt *vere*; Aquila *fideliter* convertit: sed parvi refert, hoc an illo modo sit redditum; modo habere intelligamus eam vim, quam diximus, confirmantis sacerdotis concessum id esse, quod petebatur: cuius sententiae testis est Apostolus in epistola ad Corinthios. <sup>1</sup> *Quotquot enim, inquit, promissiones Dei sunt, in illo est: ideo et per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram.* Est etiam haec nobis accommodata vox, in qua inest confirmatio quaedam earum petitionum, quas adhuc adhibuimus; quae etiam eos reddit attentos, qui dant operam sacris precibus: fit enim saepe, ut in precatione distracti homines variis cogitationibus alio traducantur. Immo vero summo studio petimus hac ipsa voce, ut omnia fiant, idest concedantur, quae antea petivimus, vel potius intelligentes nos iam impetrasse omnia, ac sentientes praesentem vim divini auxilii, illud una cum Propheta canimus: <sup>2</sup> *Ecce enim Deus adiuvat me: et Dominus susceptor est animae meae.* Nec est, quod quisquam dubitet, quin et nomine Filii sui, et verbo, quo saepissime is usus est, moveatur Deus, *Qui semper*, ut ait Apostolus, <sup>3</sup> *exauditus est pro sua reverentia;* <sup>4</sup> *cuius est regnum, et potestas, et imperium, in saecula saeculorum.*

# INDEX

## CAPITUM ET SECTIONUM

### TOTIUS OPERIS

---

#### PARS PRIMA

<i>Praefatio agens de pastorum in ecclesia necessitate, auctoritate, officio, et praecipuis doctrinae christianae capitibus.</i>	pag. 1
Cap. I. <i>De fide, et symbolo fidei.</i>	11
Cap. II. <i>De primo symboli articulo, Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae.</i>	13
Cap. III. <i>De secundo symboli articulo, Et in Iesum Christum filium eius unicum Dominum nostrum.</i>	27
Cap. IV. <i>De tertio symboli articulo, Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.</i>	36
Cap. V. <i>De quarto symboli articulo, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus.</i>	44
Cap. VI. <i>De quinto symboli articulo, Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.</i>	55
Cap. VII. <i>De sexto symboli articulo, Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.</i>	65
Cap. VIII. <i>De septimo symboli articulo, Inde venturus est iudicare vivos et mortuos.</i>	71
Cap. IX. <i>De octavo symboli articulo, Credo in Spiritum sanctum.</i>	78
Cap. X. <i>De nono symboli articulo, Credo sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem.</i>	84
Cap. XI. <i>De decimo symboli articulo, Remissionem peccatorum.</i>	100
Cap. XII. <i>De undecimo symboli articulo, Carnis resurrectionem.</i>	106
Cap. XIII. <i>De duodecimo symboli articulo, Vitam aeternam.</i>	116

#### PARS SECUNDA

Cap. I. <i>De sacramentis in genere.</i>	125
Cap. II. <i>De baptisimi sacramento.</i>	144
Cap. III. <i>De confirmationis sacramento.</i>	179
Cap. IV. <i>De eucharistiae sacramento, missae sacrificio, et communionem.</i>	191
Cap. V. <i>De poenitentiae sacramento, et tribus eius partibus, contritione, confessione, et satisfactione.</i>	234

Cap. VI. <i>De extremae unctionis sacramento</i> . . . . .	pag. 277
Cap. VII. <i>De ordinis sacramento</i> . . . . .	" 286
Cap. VIII. <i>De matrimonii sacramento</i> . . . . .	" 305

### PARS TERTIA

Cap. I. <i>De decalogo divinisque legibus</i> . . . . .	" 322
Cap. II. <i>De primo praecepto, Ego sum dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti de domo servitutis</i> . . . . .	" 330
Cap. III. <i>De secundo praecepto, Non assumes nomen domini Dei tui in vanum</i> . . . . .	" 344
Cap. IV. <i>De tertio praecepto, Memento, ut diem sabbati sanctifices</i> . . . . .	" 357
Cap. V. <i>De quarto praecepto, Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut sis longaevus super terram, quam dominus Deus tuus dabit tibi</i> . . . . .	" 368
Cap. VI. <i>De quinto praecepto, Non occides</i> . . . . .	" 380
Cap. VII. <i>De sexto praecepto, Non moechaberis</i> . . . . .	" 390
Cap. VIII. <i>De septimo praecepto, Non furtum facies</i> . . . . .	" 397
Cap. IX. <i>De octavo praecepto, Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium</i> . . . . .	" 410
Cap. X. <i>De nono et decimo praecepto, Non concupisces domum proximi tui, non desiderabis uxorem eius, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quae illius sunt</i> . . . . .	" 421

### PARS QUARTA

Cap. I. <i>De oratione, eiusque in primis necessitate</i> . . . . .	" 432
Cap. II. <i>De utilitate orationis</i> . . . . .	" 434
Cap. III. <i>De partibus, et gradibus orationis</i> . . . . .	" 438
Cap. IV. <i>De iis, quae petenda sunt</i> . . . . .	" 441
Cap. V. <i>Pro quibus orandum sit</i> . . . . .	" 443
Cap. VI. <i>Quis orandus sit</i> . . . . .	" 446
Cap. VII. <i>De praeparatione adhibenda</i> . . . . .	" 447
Cap. VIII. <i>Quae ratio in orando requiratur</i> . . . . .	" 450
Cap. IX. <i>De orationis dominicae prooemio, Pater noster, qui es in caelis</i> . . . . .	" 454
Cap. X. <i>De prima petitione, Sanctificetur nomen tuum</i> . . . . .	" 465
Cap. XI. <i>De secunda petitione, Adveniat regnum tuum</i> . . . . .	" 470
Cap. XII. <i>De tertia petitione, Fiat voluntas tua</i> . . . . .	" 479
Cap. XIII. <i>De quarta petitione, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie</i> . . . . .	" 490
Cap. XIV. <i>De quinta petitione, Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris</i> . . . . .	" 500
Cap. XV. <i>De sexta petitione, Et ne nos inducas in tentationem</i> . . . . .	" 513
Cap. XVI. <i>De septima petitione, Sed libera nos a malo</i> . . . . .	" 524
Cap. XVII. <i>De extrema orationis dominicae clausula, Amen</i> . . . . .	" 531

# ARGUMENTORUM PRINCIPALIUM

## INDEX

*Prooemium generale.*

*De symbolo apostolorum.*

<b>Symbolum in communi.</b>	pag.	11	
Articulus	}	I. . . . .	13
		II. . . . .	27
		III. . . . .	36
		IV. . . . .	44
		V. . . . .	55
		VI. . . . .	65
		VII. . . . .	71
		VIII. . . . .	78
		IX. . . . .	84
		X. . . . .	100
		XI. . . . .	106
		XII. . . . .	116

*De sacramentis.*

<b>Sacramenta in genere.</b>	pag.	125
<b>Baptismus . . . . .</b>		144
<b>Confirmatio . . . . .</b>		179
<b>Eucharistia . . . . .</b>		191
<b>Poenitentia . . . . .</b>		234
<b>Extrema unctio . . . . .</b>		277
<b>Sacra ordinatio . . . . .</b>		286
<b>Matrimonium . . . . .</b>		305

*De praeceptis decalogi.*

<b>Praecepta in communi.</b>	pag.	322	
Praeceptum	}	I. . . . .	330
		II. . . . .	344
		III. . . . .	357
		IV. . . . .	368
		V. . . . .	380
		VI. . . . .	390
		VII. . . . .	397
		VIII. . . . .	410
		IX. . . . .	421
		X. . . . .	ib.

*De oratione dominica.*

<b>Oratio in communi.</b>	pag.	432	
<b>Necessitas orationis . . . . .</b>		ib.	
<b>Utilitas orationis . . . . .</b>		434	
<b>Partes, et gradus orationis . . . . .</b>		438	
<b>Petenda in oratione . . . . .</b>		441	
<b>Pro quibus orandum . . . . .</b>		443	
<b>Quis orandus . . . . .</b>		446	
<b>Praeparatio in oratione . . . . .</b>		447	
<b>Modus, et ordo orandi . . . . .</b>		450	
<b>Prooemium orationis . . . . .</b>		454	
Petitio	}	I. . . . .	465
		II. . . . .	470
		III. . . . .	479
		IV. . . . .	490
		V. . . . .	500
		VI. . . . .	513
		VII. . . . .	524

# PRAXIS CATECHISMI

SEU

## CATECHISMUS

IN SINGULAS ANNI DOMINICAS DISTRIBUTUS  
ET EVANGELIIS ACCOMMODATUS.

---

### DOMINICA PRIMA ADVENTUS

*Erunt signa in sole et luna, etc.* Luc 21, 25. etc. Hoc evangelium ad argumentum de iudicio generali traducendum est. Quare hic recurrat parochus ad articulum symboli, "Inde venturus est iudicare vivos et mortuos," p. 71. sq. prout faciendum praecipitur p. 8. vel secundum aliarum ecclesiarum ritum.

*Ecce rex tuus venit tibi, etc.* Matth. 21, 5. etc. Hic opportune tractabit parochus ea, quae de incarnatione, et causis adventus Christi domini nostri habentur art. 2. et 3. symboli apostolici, p. 27. 36. sqq.

*Invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea: solvite, etc.* Divus Athanasius, in sermone de verbis huius evangelii, ostendit ex hoc loco apostolis et eorum successoribus factam esse potestatem solvendi eos, qui, instar asinorum, peccatorum pondere pressi, ad eos confugerent. Quare hic populo exponet parochus quae habentur de confessione p. 252. sqq. et absolutione p. 241. de potestate remittendi peccata in ecclesia, p. 101. sq.

### DOMINICA SECUNDA

*Cum audisset Ioannes in vinculis, etc. Tu es qui venturus es, etc.* Matth. 11, 2. etc. Ista Ioannis interrogatio tam sedula, ostendit quanto cum studio curare debeamus, ut de rebus fidei, et nos, et il qui nobis subsunt, rite et a catholicis doctoribus instruamur. Vide quae huic argumento inserviunt initio catechismi, usque ad primum symboli articulum.

*In vinculis.* Fides usque ad vincula, immo ad necem usque, cum opus est, et a iudice urgemur, profitenda est; nec est satis eam pectore inclusam habere, quantumvis rectam et sinceram, ut ostenditur p. 14. sq. vel, "Erunt signa in sole et luna," etc. ut in dominica praecedenti.

## DOMINICA TERTIA

*Confessus est, et non negavit*, Ioan. 1, 20. etc. Ex hoc loco simpliciter verum fateri docemur, nec intermiscere iusiurandum, ut nobis fides adhibeatur. Vide quando, et sub quibus poenis iurare prohibitum, in 2. praecepto, p. 344. sq.

*Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, etc.* Agendum hic de ministris baptismi, de quo p. 154. sq. et quomodo sese habeant in dispensatione sacramentorum Christus dominus et minister, quantum ad effectum sacramenti, p. 138. sq.

*Cuius ego non sum dignus, etc.* Hic monere parochus populum sibi creditum debet, ut se pro festis natalitiis ad sacram synaxim praeparet, et agere de condigna tanti hospitis (cuius corrigiam calceamenti solvere indignum se Ioannes Baptista censet) susceptione, vide de praeparatione ad eucharistiam p. 221. sq. vel, « Cum audisset Ioannes in vinculis, » ut in dominica praecedenti.

## DOMINICA QUARTA

*Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris, etc.* Luc. 3, 1. Cur hic de principibus mundi fiat mentio, eadem ratio afferri potest, quae affertur in articulo 4. symboli de eodem Pontio Pilato, p. 45. sq.

*Factum est verbum Domini super Ioannem, etc.* Quoniam Ioannes non nisi a Deo legitime vocatus officium verbi Dei praedicandi exercuit, ideo hic de legitima vocatione ministrorum ecclesiae parochus disseret, ut habetur de sacramentorum ordinis, p. 288. sq. legitimosque eos ministros non esse dicet, qui missi non sunt, ut traditur in praefatione p. 2. sq.

*In deserto.* Hic de probitate et morum integritate ministrorum verbi (qui sunt sacerdotes) agatur ex eodem loco p. 303, et de castitate, quae eis, quando fiunt subdiaconi, indicitur, ut hab. p. 296.

*Praedicans baptismum poenitentiae.* Quomodo adulti, qui baptismum suscipere debent, affecti esse debeant, et praeteritae eos vitae poenitere, traditur p. 162. quomodo hic baptismus Ioannis repeti debuit, p. 155. sq.

*Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri.* Hic de praeparatione ad eucharistiam, de qua in superiori dominica, et de necessaria mandatorum Dei observantia, de qua p. 322. sq. 342. sq. vel, « Confessus est, et non negavit, » ut in dominica praecedenti.

## IN DIE NATIVITATIS DOMINI

*Peperit primogenitum filium suum, etc.* Luc. 2, 7. etc. Explicetur articulus symboli, *Natus ex Maria virgine*, qui est huius loci maxime proprius, de quo p. 40. sq. Eodem die ad missam maiorem.

- In principio erat verbum, et verbum erat, etc.* Ioan. 1, 1. etc. Quoniam hic locus, dum agitur de aeterna Christi domini generatione, adducitur p. 34. sq. hinc parochus petet huius loci expositionem.
- Et verbum caro factum est.* Hic exponatur mysterium incarnationis prout habetur p. 36. sq.
- Gloria quasi unigeniti a patre.* Quomodo hic unigenitus sit etiam frater noster, vide p. 461.

#### DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS

- Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, etc.* Luc. 2, 35. etc. Ex hac Simeonis praedicatione ansam snmere poterit parochus explicandi, cum Deus fideles iam baptizatos, quos filios habet carissimos, non eximat ab incommodis vitae huius, quia de re agitur p. 206. sq. et quo confugiendum tunc sit, de quo p. 439. sqq.
- Non recedebat a templo, ieiuniis et orationibus, etc.* De privata et publica oratione habes p. 451. Quomodo ad orationem, et ieiunium et elemosyna inngenda sint, p. 453. et quomodo ista tria conducant ad satisfactionem peccatorum, p. 274. sq.

#### IN CIRCUMCISIONE DOMINI

- Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, etc.* Luc. 2, 21. etc. Quoniam circumcisioni successit baptismus, hic in genere dici poterit de vi, et efficientia sacramentorum novae legis supra antiquae legis sacramenta, ut habetur p. 134. et 242. sq.
- Vocatum est nomen eius Iesus, etc.* Quam convenienter hoc nomen inditum fuerit Christo domino, et quare, vide p. 30. sq.
- Observandum hic etiam est pueris nunc in baptismo, ut olim in circumcissione, nomen esse imponendum: cuius rei quanam sit ratio, et quale nomen pnero imponi debeat, habes p. 177. Denique cum impositio nominis sit una ex caeremoniis in baptismo usitatis, hic de baptismi caeremoniis et ritibus apta concio haberi poterit, p. 173. sq.

#### IN DIE EPIPHANIAE

- Vidimus enim stellam eius in oriente, etc.* Matth. 2, 2. etc. Quoniam non inepte per hanc stellam philosophica de Deo scientia potest intelligi, sicut per responsum sacerdotum fidei lumen, non male hic adaptari poterunt quae de differentia sapientiae christianae a philosophica notitia habentur p. 16.
- Et proidentes adoraverunt eum, etc.* Matth. 2, 11. etc. Hic de adoratione Dei, quae *latría* dicitur, et simul de veneratione sanctorum, quae *dulia* nominatur. Vide in expositione decalogi pag. 330. usque ad secundum praeceptum. Hic agi



etiam potest de eucharistiae veneratione et adoratione. Nam si eundem Christum, quem Magi adoraverunt, praesentem in eucharistia agnoscimus, et confitemur, ut disertis verbis probatur p. 205., si pii esse volumus, cur non aequae ac Magi eum adorabimus? Vide p. 191.

#### DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIAE

*Secundum consuetudinem nuptiae factae sunt*, Luc. 2, 42. etc.  
De observatione dierum festorum, lege p. 360. sq.  
*Et erat subditus illis, etc.* De officio liberorum erga parentes, vide p. 372. sq.

#### DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM

*Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, etc.* Ioan. 2, 1. etc.  
De sacramento matrimonii, vide p. 309. sqq.  
*Hoc fecit Iesus initium signorum suorum.* Haec conversio aquae in vinum valet plurimum ad confirmandos rudiores in fide transubstantiationis, quae fit in augustissimo altaris sacramento: de qua vide p. 211. sq.

#### DOMINICA TERTIA

*Ecces leprosus veniens adorabat eum*, Matth. 8, 2. 3. etc. Per lepram haeresim significari dicunt patres. Qui vero sunt censendi haeretici, et qui a castris ecclesiae, ut olim leprosi, eiiciendi, habetur p. 87.  
*Vade, ostende te sacerdoti.* De honore sacerdotibus Domini, et ecclesiae praefectis exhibendo, vide p. 375.  
*Vade, ostende te sacerdoti, etc.* Longe excellentiorem virtutem nostris sacerdotibus tributam docet Chrysostomus lib. 3. de sacerd., quam mosaicis, quod illi oblatos sibi leprosos non mundarent, sed mundatos tantum esse declararent; nostri vero hominem peccati lepra maculatum, dum absolutionis beneficium rite praeparato impendunt, vere emundant, et perfectae sanitati restituunt. Hic de potestate clavium sacerdotibus concessa, ut habetur p. 242.

#### DOMINICA QUARTA

*Ascendente Iesu in naviculam*, Matth. 8. 23. Inter multa, quae ecclesiam repraesentant, est navicula illa seu arca Noe, de qua p. 88 sq. Hic ergo de ecclesia catholica, et notis quibus internoscitur, parochus agere poterit, prout habetur ibid.  
*Domine, salva nos, perimus.* Quoniam nullum est tempus, in quo ita hominum vita, quam in propinquo animae exitu, periclitetur; ideo parochus ex hoc loco hortari poterit suos subditos, ut cum mortis dies instabit, ad Deum maxime recurrant, et extremae unctionis sacramentum accipiant, de quo p. 277. sq.

*Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?* Quomodo creaturae omnes eum, quem a Deo ab initio acceperunt, cursum teneant homine dempto, vide paginam 472. sq.

## DOMINICA QUINTA

*Et inimicus homo superseminavit zizania, etc.* 13, 25. etc. In ecclesia duo sunt hominum genera, bonorum, qui tritici nomine designantur; improborum, nomine zizaniorum, vide p. 88. sq. Vel per zizania intelliguntur odia, atque rixae quas pater dissensionis diabolus seminare conatur in agro filiorum pacis, cuius morbi remedium habes p. 472.

*Inimicus homo hoc fecit.* De odio daemonum in nos, et ad tentandum audacia et perversitate, vide p. 515. et ut omnis mali culpa auctor, mali vero poenae sit exactor, vide p. 515.

## DOMINICA SEXTA

*Simile est regnum caelorum grano sinapis, Matth. 13, 31. etc.* Quoniam iuxta doctores per granum sinapis fides intelligitur, hic tractanda sunt, quae de eius necessitate habentur p. 11. et quomodo scrutanda non sint ea, quae fide credenda proponuntur p. 14. et eius excellentia, et quantum differat de Deo sapientia a philosophica divinarum rerum notitia, p. 15. sq.

*Cum autem creverit.* Fidem augeri posse traditur p. 450.

*Iterum simile est regnum caelorum fermento, quod acceptum mulier.* Hanc mulierem ecclesiam interpretantur, quae in doctrina fidei aut morum (per fermentum designata) errare non posse traditur p. 95.

*Donec fermentatum est totum.* Hic de communione sanctorum, et meritorum participatione explicari possunt, quae sunt p. 97. sqq.

## DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

*Simile est regnum caelorum homini paterfamilias, Matth. 20, 1. etc.*

Hic paterfamilias est Deus, qui cur pater dicatur, habes p. 18. sqq. 454.

*Receperunt ipsi singulos denarios.* Denarii nomine caelestis beatitudo designatur, quam hic paterfamilias alacriter et sincere in vinea sua, id est, in cultura mandatorum divinatorum laborantibus praestat. De hoc vitae aeternae denario lege quae diffuse traduntur p. 117. sq. 322. 474. sq. Huius vero Beatitudinis consequendae certam viam, ac rationem habes p. 125. 438. 474. 477. sq. Item exhortatio ad colendam hanc vineam mandatorum illustris habetur p. 324 sq.

*Singulos denarios, etc.* In caelo tamen varietas est mercedis et gloriae, pro ratione laboris et affectus, quo quis operatur, p. 113. 123.

## DOMINICA IN SEXAGESIMA.

*Exiit qui seminare seminare semen suum, etc.* Luc. 8. 5. etc. Semen hoc, in terram sparsum, est verbum Dei, exponente domino, de quo vide p. 497. sq. et quomodo sit audiendum, vide praefat.

*Venit diabolus, etc.* De daemonis conatu, et impugnatione habes p. 515. sq.

*Et a sollicitudinibus et divitiis, etc.* Quantum divitiae et effrenes rerum temporalium cupiditates impediunt huic divini seminis fructum habes p. 430. ubi haec ipsa verba habentur.

## DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

*Tradetur enim gentibus, et illudetur, Luc. 18, 32. etc.* Uti Christi milites eius crucem tamquam vexillum sui ducis continentes, ad arma poenitentiae sumenda exstimulentur, ideo hoc evangelium inveniente quadragesima legitur, quod passionis dominicae summam complectitur, quo loco non importune parochus exponet, quae de passione Domini fuse traduntur p. 45. sq. Vel si in aliud tempus commodius differre malit hoc argumentum, hodie alteram evangelii partem pertractabit, ut sequitur.

*Caecus quidam sedebat secus viam.* Hic caecus genus humanum denotat, de cuius post peccatum statu misero, vide p. 487.

*Iesu fili David miserere mei.* Hic quomodo Deum aliter oremus ac sanctos ex hac formula demonstrabis, ut habes p. 446. Porro si angustiis, aut tribulationibus premimur, aut re aliqua indigemus, ad Dominum cum hoc caeco nobis recurrendum est, precibusque sollicitudinis Dens, ut nobis adsit. Vide de necessitate et utilitate orationis, p. 322. sq.

*Quid tibi vis faciam.* Hic causas, ob quas clementissimus Deus vult a nobis rogari, etiam si sciat quibus rebus indigemus, ex p. 436. proferes.

## FERIA IV. CINERUM

*Cum autem ieiunatis, etc.* Matth. 6, 16. etc. Cum quadragesimae ieiunium eo nomine sit institutum, ut totius anni peccata hac quasi solemni mulcta redimeremus, hodie parochus excitare fidelem populum debet ad poenitentiam amplectendam, de cuius necessitate scribitur p. 251. sq. docere quibus gradibus ad poenitentiam licet ascendere, p. 238. et quibus operum generibus pro peccatis satisfacere possimus, p. 273. sq.

*Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Vide adversus eos qui opes congerere undequaque student, p. 399. sq. 425. sq. 494. sq.

*Thesaurizate vobis thesauros in caelo.* Quoniam parochi frequenter fidelem populum ad eleemosynas pauperibus erogandas

excitare debent, hic hoc studiose praestabunt ex his quae habentur p. 405. sq.

### DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMAE

*Ut tentaretur a diabolo, etc.* Matth. 4, 1. etc. Cum sit tentatio vita hominis super terram, ut dicit Iob, c.7. hic de tentatione agendum, de generibus tentationum, ad quid permittantur homines tentari, quibus armis tentationibus resistendum, et cetera huiusmodi, quae habentur p. 515. sq.

*Non in solo pane vivit homo.* De pane spirituali, de quo hic agit Christus dominus, vide p. 498.

*Angelis suis Deus mandavit etc.* De angelorum custodia erga homines, p. 455.

*Dominum Deum tuum adorabis.* De adoratione Dei, quae fide, spe et charitate perficitur, vide p. 331.

### DOMINICA SECUNDA

*Assumpsit Iesus Petrum, et Iacobum, et Ioannem, et deduxit eos, etc.* Matth. 17, 1. etc. Hic afferri possunt ea, quae de loco et tempore, quo homines ad divina contemplanda aptiores sunt, habentur p. 329.

*Bonum est nos hic esse.* Hic tractari possunt, quae de summa eorum dignitate, qui Deo obediunt, habentur p. 483. vel de intimis hominum sanctorum gaudiis p. 499. Poterunt etiam parochi de duodecimo articulo hic habere sermonem, de quo p. 116.

*Hic est filius meus dilectus, etc.* Hic de aeterna filii generatione latissimus sese offert dicendi campus, de qua p. 33. sq. vel secundum aliarum ecclesiarum ritum.

*Miserere mei fili David,* Matth. 15, 22. etc. Hic typum habes perfectae orationis quantum spectat ad duas conditiones, quae in oratione maxime desiderantur, fidem videlicet, et perseverantiam, de quibus p. 450. sq.

*Filia mea male torquetur a daemone, etc.* Huius mulieris exemplo parentes monentur diligentem liberorum curam gerere; de qua p. 318. sq.

*Dimitte eam, quia clamat post nos etc.* Si apostoli in hac vita degentes, pro se solliciti, pro Chauanaea interpellant, et exaudiuntur, in caelo mutire non audebunt, inquit D. Hieron. contra Vigilantium. Hic de intercessione sanctorum, prout habetur p. 333. sq.

### DOMINICA TERTIA

*Erat Iesus eiiciens daemonium, et illud erat mutum,* Luc. 11, 14. etc. Daemonis proprium est eum, quem possidet, reddere mutum, id est a confessione peccati revocare. Sed tamen non est alia ratio eiiciendi daemonis, quam ut linguam

solvas ad detegendum coram sacerdote peccatum, vide quae de confessione habentur p. 254. sq.

*Omne regnum in seipsum divisum desolabitur.* Ecclesia est Christi regnum, ut habetur p. 474. Id autem, ut in seipsum non sit divisum, unum esse necesse est, unde hic de unitate ecclesiae agendum est, ex p. 90. sq.

*Revertar in domum meam.* De relabentium in peccata gravitate p. 252. sq. et 513. Et quid post confessionem agendum, p. 276.

*Tunc assumit alios septem spiritus nequiores se.* Hic locus p. 516. inducitur ad probandum non unum tantum daemonem, sed plures etiam interdum hominem tentare: patet autem ex hoc loco daemonem acrius eos tentare, qui ab eo defecerunt, ut est p. 513.

*Beatus venter, qui te portavit.* Glorificatione beatæ Mariæ virginis hoc evangelium concluditur; de qua habes p. 38. sq. 445. sq.

#### DOMINICA QUARTA

*Unde ememus panes, ut manducent hi?* Ioan. 6, 5. etc. Hic apte explicari poterit illa petitio dominicae orationis, „ Panem nostrum quotidianum da nobis, „ p. 490. sq.

Notandum praeterea, quod panis iste vim etiam habebat sedandi sitim, ut tenent doctores. Ita et panis eucharistiae laicis pro calice est. Lege de communione sub una specie, p. 226. sq.

*Hoc autem dicebat tentans eum.* Quo modo Deus hominem tentet vide p. 517.

*Distribuit discumbentibus.* Christus non distribuit, sed dedit apostolis, et illi distribuerunt turbae, Matth. 14, 19. Sic a mundi initio per patriarchas et prophetas, et postea per apostolos eorumque successores, Deus verbum Dei et sacramenta subministrat, ut habetur p. 205. sq. Christus tamen est qui haec omnia praecipue efficit, p. 137. sq.

*Hic est vere propheta.* De gratiarum actione, p. 438.

#### DOMINICA PASSIONIS

*Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioan. 8, 46. etc. Innocentia Christi in hodierno evangelio convenienter profertur in medium, ut in promptu sit nobis causa dominicae passionis, quam hodie repraesentare incipit ecclesia, nimirum non propter illius delicta, sed nostra: de causis passionis Christi habes p. 50. sqq.

*Si veritatem dico vobis.* Hic a mendacio cavere docemur, de quo multa p. 418. sq.

*Qui ex Deo est, verba Dei audit, etc.* De verbo Dei audiendo, p. 143. sqq. 498.

*Nonne bene dicimus nos quia samaritanus, etc.* Ex hoc loco parochus ansam poterit arripere ad excitandos suos fideles ad iniurias condonandas, qua de re multa habentur p. 444. 508. sq.

*Sed honorifico Patrem, et vos inhonorastis me.* Christus saepe et a multis graviter iuhonoratur, sed ab iis maxime, qui eius verbum vel male interpretando, vel ad vana convertendo polluunt, de quo p. 297. sq.

*Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum.* Ex hoc loco perspici potest, et tempus, et genus mortis a Christo delectum fuisse, qua de re p. 47. sq.

### DOMINICA IN RAMIS PALMARUM

Evangelium ut in prima dominica adventus, de quo ibid. Ceterum quoniam ad eucharistiam percipiendam, ex praecepto ecclesiae, eo tempore omnes discretionem praediti obligantur, ideo ex his evangelii verbis, « Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, » ad eius sumptionem fideles hortari poterit parochus ex his quae habentur p. 191. sq. et deinceps; et quoniam parentes ut plurimum negligentissimi sunt ad liberos suos ad eucharistiae perceptionem praestandos, ideo eis maxime parochus inculcabit, quae de aetate, qua pueri ad eam percipiendam tenentur, habentur p. 225. sq.

*In die sancto parasceves.* Hoc die quoniam solemus de mysterio passionis domini nostri Iesu Christi concio haberi solet, ideo praeter ea, quae in expositione art. 4. symboli habentur p. 45. sq. haec iusuper hoc die tractari posse videntur: de singulari amore, quo Deus genus humanum prosecutus est, cum illud morte unigeniti filii sui redimere voluerit, de quo p. 459. de primi parentis lapsu et miseris, quae illum consecutae sunt, de quibus p. 28. sq. 472. sq. quo modo ex passione Christi omnis remissio peccatorum emanarit, de quo p. 131. 500. et proinde omnia sacramenta ex hac Christi passione virtutem acceperint, ut est p. 104. 141. sq. de sacrificio Christi tam cruento quam incruento ex p. 22. sq. de satisfactione et merito Christi, de quo pag. 45. 23. 231. sq. denique quo modo nulli umquam patuit, sed nec patere quidem potest aditus ad regnum caelorum siue hac redemptionis humanae per Christum fide, ut est p. 28. idque esse summam et cardinem totius christianae religionis, scire Iesum Christum, et hunc crucifixum, ut habetur p. 5. sq.

### DOMINICA PASCHAE

*Surrexit, non est hic etc.* Marc. 16, 6. etc. De resurrectione Domini expouetur artic. symboli apostolici, « Tertia die surrexit a mortuis, » p. 55. sq.

## FERIA SECUNDA POST PASCHA

*Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die in castellum, Luc. 24, 13. etc.*

Quoniam fieri vix potuit ut parochus omnia, quae ad resurrectionem Christi pertinent, pridie explicuerit, ideo hoc die poterit ea, quae praetermisit, ex eo loco repetere.

*Oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam.* Hic locus est proprius causas exponendi, ob quas necesse fuit Christum resurgere, quae habentur p. 61. sq. et exemplo Christi fideles hortandi, ut omni studio incumbant ut caelesti regno potiantur, quod habetur p. 477. et de commodis tribulationis, p. 460. 530. sq.

*Et factum est dum recumberet cum iis, accepit panem.* Hic locus proprius est ad probandum utramque eucharistiae speciem laicis necessario non exhibendam, de quo multa p. 226. sq.

## FERIA TERTIA POST PASCHA

*Stetit Iesus in medio discipulorum suorum, Luc. 24, 36. etc.* Hic de quatuor dotibus corporis gloriosi agi potest, ut habetur p. 113. sq.

*Pax vobis.* Quoniam regnum Dei, teste Apostolo, pax est et gaudium in Spiritu sancto, hic quale sit regnum Christi in pios tractari potest, ut habetur p. 474.

*Praedicare in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum.* Quo modo poenitentiae praedicatio a Christo apostolis iniuncta sit, ex hoc ipso loco probatur p. 100. Unde potes tam ex expositione articuli de remissione peccatorum, quam ex his quae de sacramento poenitentiae hic habentur, longissimam habere concionem.

## DOMINICA PRIMA POST PASCHA

*Cum sero esset die illa, una sabbatorum, Ioan. 20, 19. etc.* Christi resurrectionis exemplar quam maxime stabilire necesse fuit, ut pariter nostra stabiliretur; quibus autem tum scripturis tum rationibus nostra stabiliatur resurrectio, vide p. 107. « Una sabbatorum » autem quid sit, vide p. 362. sq.

*Quorum remisistis peccata.* Ioan. 20, 23. etc. De potestate clavium sacerdotibus concessa, p. 101. sq. 290. sq.

*Mitte digitum tuum in loca clavorum, etc.* Qualia futura sunt corpora post resurrectionem, et cur Christus et martyres cicatrices retinebunt, habes p. 119.

## DOMINICA SECUNDA POST PASCHA

*Ego sum pastor bonus,* Ioan. 10, 11. etc. Pastorum nomine comprehenduntur non solum episcopi et animarum rectores, sed etiam reges, magistratus, parentes, et magistri. Quid vero pastores eiusmodi ovibus debeant, et quid vicissim oves pastoribus, habes p. 2. 370. sq.

*Mercenarius autem, et qui non est pastor.* Quis sit iste mercenarius et non pastor, vide p. 279.

*Et fiet unum ovile et unus pastor.* Hic de unitate ecclesiae, de qua p. 91. sq. unoquoque universali ecclesiae pastore divo Petro, et divi Petri successore, romano pontifice, de quo p. 90. 301.

#### DOMINICA TERTIA POST PASCHA

*Modicum, et non videbitis me,* Ioan. 16, 16. etc. Efficax consolationis genus, dum temporarius moeror pro Christo susceptus, aeternis gaudiis compensatur. Vide quae de vita aeterna habentur p. 118.

*Vos vero contristabimini, mundus autem gaudebit.* Quare perversi minus, pii vero acrius, a daemonibus infestentur, et proinde illi gaudeant, isti vero tristentur, vide p. 516.

*Tristitia vestra vertetur in gaudium, etc.* Spe futurorum bonorum quo modo alacri et constanti animo adversa omnia tolerare debeamus, vide p. 117. et cur Deus sinat affligi bonos, p. 519.

#### DOMINICA QUARTA POST PASCHA

*Si enim non abiero, Paracletus non veniet,* Ioan. 16, 7. etc. De Spiritu sancto deque admirandis eius effectibus et donis, habes p. 78. sq.

*Arguet mundum de peccato, etc.* Spiritus sancti proprium munus est, corda et compunctionem movere, et peccantem intrinsecus arguere. Quae autem contritio vera sit, quasque res ea habere debeat, p. 245. sq. Huc etiam referri possunt ea, quae de peccatis, quae remitti non possunt, habentur p. 243.

#### DOMINICA QUINTA POST PASCHA

*Si quid petieritis Patrem in nomine meo,* Ioan. 16, 23. etc. De oratione, et eius adiunctis hic proprius est dicendi locus, de qua p. 434. sq.

*Usque modo non petistis quidquam, etc.* Hic proprie de modo, quo Deum per Christum orare debemus, de quo p. 433. Hic etiam locus adducitur ad probandum in nomine Christi orandum esse.

#### IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI

*Assumptus est in caelum, et sedet a dextris Dei,* Marc. 16, 19. etc. Hoc in loco artic. symb. apostolici, qui de ascensione est, explicabitur, ut habetur p. 65. sq.

#### DOMINICA POST ASCENSIONEM DOMINI

*Cum autem venerit Paracletus, qui a Patre procedit,* Ioan. 15, 26. etc. Hic de processione Spiritus sancti a Patre et Filio, ex p. 82. sq.



*Ut omnis, qui vos interfecit, Ioan. 16, 2. etc. Hic praeceptum decalogi, « Non occides, » exponi poterit, de quo p. 380.*

*Arbitretur se obsequium, etc. De omnibus adversis et calamitatibus huius vitae, idem iudicandum est, quod de his, quae Christi causa patimur, nempe eas esse magnum Dei in nos benevolentiae signum, ut habetur p. 272.*

### IN FESTO PENTECOST.

*Si quis diligit me, sermonem meum servabit, Ioan. 14, 23. etc. Spiritus sanctus ideo credentibus datur, ut sermonem Dei qui decalogo comprehenditur, servare possint; ad quam rem ut promptiores sint, afferat parochus quae habentur initio explicationis decalogi p. 322. sq. vel quoniam hic locus adducitur ad probandum Dei mandata non esse impossibilia, ideo de hac re aget ex p. 325.*

*Vel hodie exponet quae traduntur de confirmationis sacramento p. 179. sq. quandoquidem tali die apostolos a Spiritu sancto confirmatos fuisse docent patres.*

### FERIA SECUNDA POST PENTECOSTEN

*Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Ioan. 3, 16. Hic locus proprius est ad ea populo exponenda, quae de eximia charitate caelestis Patris in genus humanum, in creatione et gubernatione demonstrata; sed multo magis in redemptione habentur 44. 454. sq.*

*Ut omnis qui credit in eum, non pereat. Hic quo modo fides in Christum omnibus hominibus ab omni aevo necessaria fuerit, docendum est ex p. 27. sq.*

*Qui credit in eum, non iudicatur. De verbo, « credere, » habes p. 13. quae hic accommodare poteris; ex qua etiam dicendi forma Filium Dei vere Deum esse demonstrabis, ex p. 33. 44. sq.*

*Quia non credit in nomine unigeniti Filii. Quo modo Dei filius sit unigenitus, poteris declarare ex his, quae habentur ib.; et contra, qua ratione hic unigenitus fratres habeat, p. 31. sq. 461.*

### FERIA TERTIA POST PENTECOSTEN

*Qui non intrat per ostium in ovile ovium, Ioan. 10, 1. etc. Hic locus proprius est ad ea explicanda, quae de legitima ordinatione ministrorum ecclesiae habentur p. 288. de legitimo ministro sacramenti ordinis, p. 301. sq.*

*Et oves vocem eius audiunt. De obedientia et honore, qui debetur episcopis et sacerdotibus agitur p. 375.*

*Alienum autem non sequuntur. Haereticorum ministros non esse sequendos, vide p. 3. qui autem eos sequuntur, non oves sed hoedi sunt, p. 518.*

## IN FESTO SANCTISS. TRINITATIS

- Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra, Matth. 28, 18. etc.*  
 Hic explicanda sunt quae de regno Christi in pios, et ratione qua regnat in suis fidelibus, habentur p. 474. de regno etiam gloriae eiusdem, p. 475. item de potestate ipsius in sacramentis tam instituendis quam conferendis p. 137. et de potestate item clavium eiusdem qua remittuntur peccata p. 141. 238.
- Baptizantes eos.* Hic locus adducitur ad probandum, quo tempore baptismus obligare coeperit, p. 152. et ideo de necessitate eiusdem, et praesertim in infantibus, ea proferri possunt quae habentur p. 159.
- In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Hic de materia et forma baptismi, quae sunt p. 147. sq. accurate agendum est. Hic etiam de sanctissimae et gloriosissimae trinitatis mysterio poterunt agere parochi, de quo p. 19. docebunt autem praesertim vulgus imperitum sanctissimam trinitatem pingi et formari non posse, atque adeo, si quando pingatur, illam picturam proprietates quasdam illius exprimere, ut habetur p. 338.
- Docentes eos servare quaecumque mandavi.* Hic de necessitate, et possibilitate servandae legis divinae proferentur, quae habentur p. 330.

## IN EADEM DOMINICA

- Estote ergo misericordes sicut et pater vester caelestis, etc.*  
 Luc. 6. 36. etc. De hoc evangelio in dominica 4. iuxta aliarum ecclesiarum morem.
- Date et dabitur vobis.* Hic de communicandis cum proximis huius vitae subsidiis produci possunt quae habentur p. 454. 455. vel de elemosynis, p. 274.
- Hypocrita! eiice primum trabem.* De hypocritis, quorum orationes Dominus reiecit, habes p. 452. Item secundum aliquos.
- Nisi quis renatus fuerit,* Ioan. 3, 3. etc. Hic de necessitate baptismi, qui in nomine sanctissimae trinitatis confertur, de eius effectibus, et in universum quidquid de eo habetur p. 144. sq. explicabit.

## IN FESTO CORPORIS CHRISTI

- Caro enim mea vere est cibus, etc.* Ioan. 6, 56. etc. De eucharistiae sacramento p. 191. sq.

## DOMINICA II. POST PENTECOSTEN

## QUAE EST INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

*Homo quidam fecit coenam magnam, etc.* Luc. 14, 16. etc. Coenae nomine, quae sub finem diei sumitur, caelestis gloria nobis significatur, quam hic paterfamilias in ipsa vitae clausula beatis donabit; in hoc argumentum vide quae ponuntur p. 117. sqq. vel coenae nomine cum Paulo, I. Cor. c. 2. intelligitur sacrosanctum Christi corpus in sacramento altaris, de quo vide, ut supra, p. 191. sqq.

*Et coeperunt omnes simul excusare.* Quoniam omnes hae excusationes ex mala concupiscentia proveniunt, ideo hic adversus concupiscentias pravas agendum erit, ex p. 425. seqq.: simulque miseria nostra ob oculos ponenda, qui ea respicimus, quae salutaria nobis sunt, rebus autem perniciosis non addicimus, ut hi fecerunt, p. 442.

*Villam emi.* Vide in superbos, et ambitiosos, qui per hunc designantur, quae habentur p. 436. 496.

*Iuga boum emi quinque.* Vide in avaros p. 399. seq. 496.

*Uxorem duxi.* Hic detestanda libido, et commendanda continentia et castitas, quae aditum nobis ad caelorum regnum facilem praebet, vide p. 392. sqq. 429. sq. vel secundum alios:

*Homo quidam erat dives, qui induebatur, etc.* Luc. 16, 1. etc. De vanitate in vestibus fugienda, vide quae habentur p. 396. et quomodo necessariis tantum rebus ad victum et vestitum pertinentibus contenti esse debeamus, p. 495.

*Sepultus est in inferno.* Ecce quae poena maneat improbos, qui morte praecupati sceleribus pleni decedunt, de qua p. 76. sqq.

*Ut portaretur ab angelis.* Inter angelorum officia hoc non postremum est, vide p. 456. sqq.

*In sinum Abrahae.* De receptaculis animarum post mortem habes p. 56. sqq.

## DOMINICA III. POST PENTECOSTEN

*Gaudium erit in caelo super uno peccatore poenitentiam agente, etc.* Luc. 15, 7. etc. Inter cetera, quae ad poenitentiam agendam peccatorem extimulare debent, est ista caelium laetitia, qua perfruuntur ob peccatoris conversionem. Plura habes in hanc sententiam p. 100. sq. 234. 334 vel, *Homo quidam fecit*, ut in domiica praecedenti.

## DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN

*Cum turbae irruerent in Iesum, ut audirent verbum, etc.* Luc. 5. 1. etc. Vide exhortationem ad audiendum diligenter verbum Dei, p. 1. sqq.; et quo modo pro captu cuiusque

tradenda sit doctrina evangelii, p. 5. sq.; idque praesertim diebus festis audiendum, p. 365. sq.

*Ascendens in unam navem, quae erat Simonis, etc.* Petri navem non alterius ex apostolis ingressus est Christus, ut hoc suo facto insinuaret Petrum cum successoribus caput esse et principem pastorum ecclesiae: de hac re vide p. 90. 91. 301.

*Exi a me Domine.* Qui ad sacram synaxim accedunt, hoc exemplo et centurionis, Matth. c. 8. agnoscant esse se tanti hostis praesentia indignissimos. Vide quae de praeparatione eucharistiae traduntur, p. 221. sqq. vel secundum aliarum ecclesiarum ritum.

*Estote ergo misericordes sicut et pater, etc.* Luc. 6, 36. etc. Ut Christus nobis condonet, prius condonare ipsi debemus iis, a quibus laesi fuimus. Vide explicationem illius petitionis, « Dimitte nobis debita nostra, » etc. p. 500. seqq. Vide item de hoc evang. in festo Trinit.

#### DOMINICA V. POST PENTECOSTEN

*Audistis quia dictum est antiquis, non occides, etc.* Matth. 5, 33. etc. Huius loci erit hoc decalogi praeceptum exponere, prout habetur p. 386. sqq.

*Ego autem dico vobis, omnis qui irascitur.* Haec verba exponuntur, p. 384. sq.

*Audistis quia dictum est antiquis, non moechaberis, etc.* Hic similiter exponatur hoc praeceptum, de quo habetur p. 390 sqq., « Cur turbae irruerent in Iesum, » ut supra.

#### DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN

*Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me,* Marc. 8, 2. etc. Praeter ea, quae notata sunt in dominica quarta quadragesimae, poterit parochus ea huc proferre, quae de paterna Dei de hominibus cura habentur p. 459. sqq.

*Si dimisero eos ieiunos, deficient in via.* Hic de imbecillitate hominum, qui nullum opus Deo gratum sine adiumento Dei possunt instituere, agendum est, ut habetur p. 478. 481. vel, « Audistis quia dictum est antiquis, non occides, » ut supra.

#### DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN

*Attendite a falsis prophetis, etc.* Matth. 7, 15. etc. Hic cavendum praecipitur ab haereticis. Quis vero censendus sit haereticus, habes p. 87. sq. Quo modo autem hi cum in ecclesia non sint, ab ea puniri possint, habes ib. et p. 89. 95. Quibus autem artibus hi falsi prophetae utantur ad impia sua dogmata diffundenda, habes p. 4. 5. 6.

*In ignem mittetur, etc.* De hoc igne infernali p. 76. sqq. *Sed qui facit voluntatem Patris mei etc.* Haec sententia est veluti methodus brevissima, docens qua ratione ad regnum caelorum pervenire possimus: quare quicumque cupimus illud

adipisci, hanc sententiam prae oculis habere debemus, vide p. 482. sq. et deinceps, ubi haec tertia petitio, « Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra, » explicatur; vel, « Misereor super turbam, » ut in praecedenti dominica.

#### DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN

*Redde rationem villicationis tuae*, Luc. 16, 2. etc. De ratione reddenda, cum unusquisque migrat e vita, vide p. 72. sq. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*. Ideo divites a Deo bonis cumulantur, ut pauperibus ea erogent, p. 454. Hic ad eleemosynas suos poterit exhortari parochus, prout est p. 406. Hic etiam locus pro intercessione sanctorum facit, de qua p. 333. sq. vel, « Attendite a falsis prophetis, » ut in praecedenti dominica; sicque deinceps omnia evangelia, quae consequenter in reliquis dominicis proponuntur, in quibusdam ecclesiis in praecedenti dominica legi consueverunt, quod notare supersedebimus.

#### DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN

*Flevit super illam*, Luc. 19, 41. Flet Christus, ut nos flere doceat. Quo modo in poenitudine erratorum sint adhibendae lacrimae, et quam diligenter procurandae, habes p. 249. sqq. ubi de contritione agitur.

*Quia si cognovisses et tu*. Summa est status nostri miseria nostram miseriam non agnoscere, vide p. 491.

*Quia venient dies in te, et circumdabunt te, etc.* Hierusalem in exemplum ponitur eius hominis, qui, multis a Deo beneficiis ornatus, male eis in sui perniciem abutitur, p. 15. 16. 17.

#### DOMINICA X. POST PENTECOSTEN

*Haec apud se orabat*, Luc. 18, 11. etc. Quibus virtutibus oratio debeat esse comitata, ut Deo placeat, et ab eo exaudiatur, vide p. 450. sqq.

*Deus, propitius esto mihi peccatori*. Hoc veri poenitentis exemplum inter alia proponitur p. 511. Quare cum istius, tum aliorum exemplo, qui habentur ibidem, et p. 245. sq. ad veram poenitentiam parochi fideles excitabunt. Est praeterea exemplum eorum, qui, cum peccatores sint, Deum orant et exaudiuntur, p. 440. Denique quanta humilitate ad Deum precaturi accedere debeamus, hic demonstratur, p. 449.

*Qui se exaltat, humiliabitur*. Christi humilitatis exemplum maximum pondus habet ad nostram superbiam deprimendam, p. 53. 54.

#### DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN

*Et deprecabuntur eum, ut illi imponat manum*. Marc. 7. 32. etc. Istorum exemplo, qui Christum pro muto et surdo ad eum adducto, ut sanaretur, interpellant, monemur pro aliis ora-

re; quo modo vero id faciendum, et pro quibus orandum, habes p. 445. sqq.

*Misit digitos in auriculas eius.* Christi exemplo, pueris in baptismo aures, oculi, pectus, humeri signo crucis recte insignantur. Vide de his et aliis baptismi caeremoniis, et earum significatione, p. 173. sqq.

*Suspiciens in caelum ingemuit, etc.* Cum Deus sit ubique, cur potius in caelum quam alio oculos convertamus, et cur in caelis esse dicatur, p. 464. Praeterea quoniam sacrae litterae nos surdos et caecos, et omnibus membris captos saepe appellant, ut habetur p. 500., hic de malis, quae peccatum invehit, ut ibidem habetur, disserere parochus commode poterit.

### DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN

*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc.* Luc. 10, 27. etc.

In hanc sententiam populo proponantur, quae habentur initio explicationis decalogi p. 339. usque ad secundum praeceptum; vel, quia hoc evangelium concurret cum dominica decimaseptima, posteriorem huius evangelii partem, priori praetermissa, exponet.

*Homo quidam descendeat ab Hierusalem in Ierico, etc.* Hominis huius ita miserabiliter a latronibus vulnerati nomine, doctores intelligunt humanam naturam post Adae lapsum, quae quot, qualia, et quanta vulnera acceperit, habes p. 30. sq. 472. sq. 480. sq. 487. 489. sqq. et alibi frequenter.

*Samaritanus autem infundens oleum, etc.* Hic de sacramentis agat parochus quae a nostro samaritano, id est a Christo, instituta sunt, tamquam remedia humanae naturae, per Adae lapsum inflicta, ut habetur p. 134.

*Curam illius habe.* Nota genus humanum et ecclesiam uni homini a Christo commissam, qua de re vide p. 99. sqq. 301.

*Qui horum videtur fuisse proximus.* Ex hoc loco quis sit proximus explicatur, p. 411. sq.

### DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN

*Iesu praeceptor, miserere nostri, Luc. 17, 13. etc.* De nomine Iesu, vide p. 30.

*Ite, ostendite vos sacerdotibus, etc.* Vide quae in hanc sententiam dicta sunt dominica secunda post epiphaniam: vide praeterea p. 256. sqq. ubi nominatim hic locus adducitur. Quomodo item beneficio contritionis peccata remittantur, ex hoc loco probatur, p. 253. quae tamen confessionem requirit, ut habetur p. 254.

*Ne solliciti sitis animae vestrae, etc.* Matth. 6, 25. etc. Quantum immoderata sollicitudo congerendarum opum, ceteraeque cupiditates animae saluti obsint, vide p. 425. sqq. et huius morbi remedium habes p. 429.

*Scit pater vester quod omnibus his indigetis, etc.* Etiam si Deus sciat desideria nostra et indigentiam, cur ei preces porrigamus, p. 436.

*Quaerite primum regnum Dei, etc.* De iis quae petenda sunt, et quo ordine, habetur p. 441. sq. 465. Porro hic commode secunda petitio dominicae orationis tota explicabitur, ut habetur p. 470.

*Et haec omnia adiicientur vobis, etc.* Quatenus temporalia petenda, p. 524. sqq.

#### DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN

*Et resedit qui erat mortuus, Luc. 7, 15.* Si hic mortuus et quidam alii sint revocati ad vitam, quomodo intelligendum quod Christus primus omnium resurrexerit, vide p. 70. Hic tractari poterit articulus symboli apostolici penult. de carnis resurrectione, p. 106. sqq.

#### DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN

*Si licet sabbato curare, Luc. 14, 3. etc.* De sanctificatione dierum festorum, et a quibus tunc abstinendum, quidve agendum sit, habes p. 357. sq.

*Cum invitatus fueris ad nuptias, etc.* Hic locus est cohortandi christianos omnes, ne aliis se praeferant, ut est p. 462. sq. neve ambitiosi sint honorumque cupidiores, ut est p. 42. sq.

#### DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN

*Diliges dominum Deum tuum, Matth. 22, 37. etc.* Vide evangelium dominicae XII., ut supra.

*Quid vobis videtur de Christo, etc.* Christus quomodo sit Davidis filius, vide p. 30. Quomodo item non sit filius David ratione divinitatis, habes p. 34. sqq.

#### DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN

*Videns autem Iesus fidem eorum, Matth. 9, 2. etc.* Ecce quantum fide aliena moveatur Deus ad aliquod donum alteri non modo non petenti, sed ne cogitanti quidem, impertiendum. Hinc fit ut in baptismo infantes regenerationis fiant participes, non quia mentis suae assensione credant, sed quia susceptorum, vel parentum, si fideles fuerint, sin minus, ecclesiae catholicae, ut Augustinus, fide muniantur, p. 160. sq. et de patris, p. 157. sqq. *Remittuntur tibi peccata tua, etc.* Christum hominem primum omnium potestatem remittendorum peccatorum habuisse ex hoc loco probatur, p. 104. Porro dum sacerdos, iurisdictionem habens ordinariam vel delegatam, rite poenitenti peccata remittit, non minus absolvitur quam hic paralyticus, quantum est ex parte sacramenti. De forma absolutionis habes p. 239.

*Hic blasphematur, etc.* De blasphemia habetur p. 355. et de iuramento p. 347. sqq.

#### DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN

*Qui nuptias filio suo, Matth. 22, 2. etc.* Quibus de causis vir et mulier coniungi debeant, vide p. 315. sqq. et quae sponsae magis sint quaerendae, p. 312. sq. et de mutuis viri et mulieris officiis, p. 318. sqq., et quod Deum orandi causa certis temporibus a matrimonii officio abstinere debeant, p. 321. item de tribus matrimonii bonis, p. 316. sqq.

*Contumeliis affectos occiderunt, etc.* De contumelia, detractioe, murmuratione, ceterisque vitiis quibus proximus laeditur, vide p. 418. sqq.

*Non habens vestem nuptialem, etc.* Vestem hanc nuptialem vestis candida, vel sudariolum, quod baptizatis datur, designat, de quo p. 177.

*Mittite in tenebras exteriores, etc.* De sententia et poena damnatorum, p. 264. sqq.

#### DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN

*Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur, Ioan. 4, 16. etc.* Unde tot miseriae et adversitates, et quae quotque illae sint, p. 28. 472. 480. 487. 489. sq. Quo in malis et rebus adversis confugiendum, p. 527. 522. sq. Hic exponi poterit ultima petitio dominicae orationis, « Sed libera nos a malo, » p. 524. sqq.

#### DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN

*Redde quod debes, Matth. 18, 28.* Restitutio poenitenti est necessaria, antequam absolvatur, quia, « non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, » ut inquit Augustinus; vide de restitutione, p. 400. item de furto, rapina, usuris, et aliis rerum usurpationibus, p. 401. sqq.

*Si non remisistis, etc.* Hic exponatur petitio illa orationis dominicae, « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus, » p. 500. sqq.

#### DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN

*Magister scimus quia verax es, Matth. 22, 16. etc.* Genus assentationis pessimum, quae ad proximi calamitatem et perniciem adhibetur. De adulatione habes, p. 414. sq. « Quia verax es, » etc. De mendacio, vide p. 412. sq. ubi notatur hoc ipsum testimonium ex hoc evangelio decerptum.

*Reddite quae sunt Caesari Caesari, etc.* Vide quae debentur principibus et superioribus in potestate constitutis, p. 375. sq.



## DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN

*Ecce princeps unus accessit, et adorabat eum dicens, Matth. 9, 18. etc.* Hic de differentia, qua infideles et christiani a morbis liberari cupiunt, de qua p. 526. sq. et quomodo in morbis ad Deum, non ad praestigiatorum incantationes, sit recurrendum, p. 527.

*Filia mea modo defuncta est.* Hic de morte et novissimis, de quibus saepe ad populum agendum esse praecipitur, p. 76, 277.

*Si tetigero tantum fimbriam vestimenti.* Hic de reliquiis sanctorum, et cultu et veneratione earum, aget parochus, ex p. 335. sqq.

*Et cum venisset Iesus in domum principis, etc.* Hic de ratione invandi mortuos per sacrificium missae et orationes, de qua p. 233. sq. 444. vel in quibusdam ecclesiis legitur evangelium dominicae IV. quadragesimae, de quo ibidem. Si plures sint dominicae inter pentecosten et adventum, servetur quod de his in breviarii rubricis habetur.

## DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN

*Cum ergo videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto.* Matth. 24, 15. etc. Hic de signis praecedentibus diem iudicii agendum est, de quibus p. 75.

*Orate autem ne fiat fuga vestra, etc.* Hic locus ad probandum temporalia a Deo peti posse inducitur, p. 488. sq. unde de hoc argumento parochi etiam agere poterunt, de quo tum ibidem, tum 436. sqq. agitur.

*Sed propter electos breviabuntur dies illi.* Hic de daemonum potestate poterit agi, qui, quantum possunt, et quamdiu vult, homines tentare non possunt, ut habetur p. 517. sq.



INDEX  
IN  
CATECHISMUM

UBERIOR, ET OMNI CURA EMENDATUS.



A

- Abbatibus permissum est, ut interdum minores ordines administrent. pag. 302.
- Abrahae peregrinatio. 328.
- Abrahae sinus. 56.
- Abrenunciant satanae baptizandi, et cur. 176.
- Absolvendi qui sint. 265.
- Absolvendi potestas quibus data. 108.
- Absolutionis forma. 241.
- Absolutio quando poenitentibus deneganda. 265.
- Absolutio peccatorum est effectus poenitentiae. 254.
- Accidentia in Eucharistiae sacramento manent sine subiecto. 215.
- Accusatores quo pacto non recte suo funguntur officio. 417.
- Actiones Deo gratas sine adiumento divinae gratiae suscipere non possumus. 489.
- Actio gratiarum erga Deum quomodo fiat in petitione de facienda Dei voluntate. 488.
- Actio gratiarum est una de partibus orationis. 438.
- Adam sibi, et posteris donum iustitiae originalis amisit. 491.
- Adam cibo indigebat in statu innocentiae ad reficiendas vires. 491.
- Adam inter necessitates, et nostras multum interest. *ibid.*
- Adam non indignisset multis rebus, quibus nos indigemus, si non peccasset. *ibid.* In paradiso voluptatis otiosus non erat futurus. *ibid.*
- Adam, et eius posteritas fructu ligni vitae immortalis permansisset. *ibid.*
- Adam in paradiso nulla molestia affectus fuisset. *ibid.*
- Adae posteritas fructu vitalis arboris privata, et horribili sententia maledicta. *ibid.*
- Adam, et Christi comparatio. 41.
- Adulterium quid. 392.
- Adulterii interdicto quae peccata prohibeantur. *ibid.*
- Adulterii detestatio. *ibid.*
- Adulterium quare prohibitum. *ibid.*
- Adulterii interdicto omne impuritatis, et impudicitiae genus, quo corpus polluitur, prohibetur. *ibid.*
- Adulterio intima animi libido prohibetur. *ibid.*

- Adulterium insignem turpitudinis notam inurit. 394.
- Adulterorum supplicium, et damna. *ibid.*
- Advocatus tempore necessitatis pauperi gratis debet patrocinari. 417.
- Advocatorum alia officia. *ibid.*
- Ad agnitionem peccati quomodo homo perducatur. 501.
- Affectus carnis ita domitos habere, ut omnino non excitentur, non est in hominis etiam instificati potestate. 483.
- Affinitas patrinorum cum quibus contrahatur. 157.
- Amen, quid significet. 531. interpretatio. *ibid.* cur in sacrificio missae servetur sacerdoti pronuntiandum. 533. Cur in aliis precibus hac voce minister utatur. 534.
- Amici amico periculose aegrotanti quomodo peruciose assententur. 415.
- Amor Dei in nos in redemptione erga homines ostensus maxime. 459.
- Angelorum creatio. 24.
- Angeli ab ortu sui initio gratia praediti, sapientia, et potentia ornati. *ibid.*
- Angelicae salutationi adiunxit ecclesia preces, et implorationem B. Virginis. 445.
- Angelorum plurimi ex caelestibus sedibus deturbati. 25.
- Angelorum scientia qualis. *ib.*
- Angelorum potestas qualis. *ib.*
- Angeli quare virtutes dicti. *ib.*
- Angelus multa edocuit Tobiam de ratione matrimonii. 310.
- Angeli quomodo adorentur. 333.
- Angeli quare humana specie effingantur, et cum aliis. 338.
- Angelica salutatione Deus laudatur. 445.
- Angelica salutatio est actio gratiarum. 445.
- Angelum custodem singuli habent. 455.
- Angelorum custodia erga homines. 456.
- Angelorum obedientia erga Deum. 487.
- Angeli non adorantur, ut Deus. 333.
- Angelorum opera quotidie a maximis periculis liberamur. *ibid.*
- Angelorum opera quanta Deus humano generi beneficia contulerit. 456.
- Angelos esse invocandos, et ex scripturis demonstratur colendos. 334.
- Ab anima Christi numquam separata est divinitas. 45.
- In anima Christi ab instanti suae creationis fuit omnis gratiae plenitudo. 39.
- Anima Christi cruciatus in utraque sui parte sensit. 44.
- Anima Christi re, et praesentia ad inferos descendit. 56.
- Anima Christi descendens ad inferos communicavit meritum passionis animabus patrum. 57.
- Anima est immortalis. 106.
- Animae piorum ante Christi mortem in sinum Abrahae deferebantur. 58.
- Anima, quae peccaverit, quomodo mori dicatur, et ob peccatum parentum puniatur. 342.
- Animae praeter naturam perpetuo separantur a corpore. 108.
- Anima separata a corpore propensionem habet ad corpus. 109.
- Anima duabus aliis ad caelum pervenit. 439.

- Animantia omnia praeter hominem in eo statu permanserunt, in quo creata sunt. 480.
- Apostoli quare a Christo dati. 12.
- Apostolis auctoritas a Christo data. *ibid.*
- Apostoli in duodecim articulos distinctum symbolum composuerunt, et quare. *ibid.*
- Apostoli caeremoniarum institutores. 173.
- Apostoli a Domino chris-  
\*tis compositionem didice-  
runt. 183.
- Appetitus proprii boni rebus omnibus ingeneratur. 480.
- Appetere Deum a principio homini datum. *ibid.*
- Appetitionibus corruptae naturae etiam reclamantibus, et adversantibus, voluntas remittendi iniurias sufficit. 387.
- Aqua, vide Baptismus. 147.
- Archiepiscopi partes quae sint. 300.
- Artibus malis quae acquiruntur, nostra non sunt. 398.
- Articuli quare singulae symboli sententiae sint dictae. 12.  
De articulo fidei primo. 13. de secundo. 27. de tertio. 36. de quarto. 44. de quinto. 55. de sexto. 65. de septimo. 71. de octavo. 78. de nono. 84. de decimo. 100. de undecimo. 106. de duodecimo. 106.
- Articulus de ascensione Christi eius maiestatem, et gloriam declarat. 65.
- Ascendit Christus, ut homo, corpore et anima in caelos. *ibid.*
- Ascendens Christus in caelum, sedet ad dexteram patris, et quomodo intelligatur. 66.
- Ascensio Christi est tamquam finis ad quem cetera mysteria referuntur. 67.
- Ascensionis in caelum Christi causae. *ibid.* Beneficia, quae ex ascensione Christi nobis donantur. *ibid.*
- Assentatio vitium deterrimum. 414.
- Assentatores homines vitio ob-  
trectationis peccant saepissime. 413.
- Avari reprehenduntur. 406.

## B

- Baptismi cognitio maxime necessaria. 144. illud sacramentum in quanta veneratione habendum. 154. illud sacramentum cum conditione non est sine discrimine adhibendum. 172.
- Baptismus quare a parochis sit docendus. 144. Quo tempore a parochis de baptismo disse-  
rendum sit. *ibid.*
- Baptismi vox quid significet. 145.
- Baptismi sacramentum quibus nominibus significetur. *ibid.*
- Baptismi, ut sacramentum est, definitio. 146.
- Baptismi sacramentum quibus rebus conficiatur. *ib.* Aqua, quae in sacro fonte ad baptismum conficiendum as-  
servatur, non est sacramen-  
tum. *ibid.*
- Baptismi materia est aqua elementaris. 146. Aqua cur potissimum ad id instituta. 148.
- Baptismus ignis quis sit. 147.
- Baptismi figurae, et prophetiae. *ibid.*
- Baptismus pignus est redemptionis nostrae. 157.

- Baptismus cur mysterium, seu sacramentum fidei dicatur. 145.
- Aquae in baptismo quare christi-  
sma addatur. 148.
- Baptismi forma quae. 149.
- Haec explicatur. 150.
- Baptismi forma apud graecos  
varia. *ibid.*
- Cur baptizabant apostoli in no-  
mine Iesu. *ibid.* quomodo in-  
telligendum sit, declaratur.  
151.
- Baptismus tribus modis confici  
potest. *ibid.*
- In baptismo unica, an trina  
ablutio fiat, nihil refert. 152.
- In baptismo caput abluendum.  
*ibid.*
- In baptismo verba simul cum  
ablutione proferenda. *ibid.*
- Baptismus a Christo domino  
institutus, et quando. *ibid.*
- Quando vis sanctificandi per  
baptismum aquis fuerit tri-  
buta. *ibid.*
- In baptismo Christi tota trini-  
tas apparuit, et cur. *ibid.*
- Baptismi lege quo tempore ho-  
mines teneri coeperunt. 153.
- Baptismi ministri, qui, et  
quot. 154.
- Baptizare sacerdotes quare  
praesente etiam episcopo  
possint. 155.
- Ordo inter baptismi ministros  
servandus. 156.
- Baptizandos suscipere quibus  
non liceat. 158.
- Baptismus necessarius ad salu-  
tem. *ibid.*
- Baptismi sacramentum pueris  
dandum. 159.
- Baptizantur pueri in fide pa-  
rentum, et ecclesiae. 160.
- Baptizandi sunt quam primum  
parvuli. *ibid.*
- In baptizandis adultis diversa  
ratio est servanda ab eo,  
quae in pueris. 161.
- Baptismus adultis quando sit  
statim conferendus. 162.
- Baptizandi quomodo affectiesse  
debeant. *ibid.*
- Baptizandi cur interrogentur,  
an velint baptizari. *ibid.*
- Quando baptizandi amentes, et  
dormientes. 163.
- Ad baptismi gratiam conse-  
quendam fides est necessa-  
ria. *ibid.*
- Baptizandum peccatorem poe-  
niteat oportet. *ibid.*
- Baptismi sacramento omne pec-  
catum condonatur. 164.
- In baptismo prorsus tolluntur  
peccata, et radicitus evellun-  
tur. 165.
- In baptizatis concupiscentia  
remanet, sed peccatum non  
est. 166.
- Baptismi proprius effectus pec-  
catorum omnium remissio.  
164.
- Peccata, et peccatorum poenae  
per baptismum remittuntur.  
166.
- Poenae civilibus iudiciis per-  
solvendae per baptismum  
non condonantur. 167.
- Post baptismum quare non re-  
stituamur in statum naturae  
integrae. *ibid.*
- Baptismi fructus alii. 169.
- Per baptismum Christo incor-  
poramur. 170.
- Cur post baptismum aegre vir-  
tutes exerceamus. *ibid.*
- Baptismus characterem imprit.  
171.
- Baptismus iterari sacrilegium  
est. *ibid.*
- Baptismus caeli aditum patefa-  
cit. 172.
- Caeremoniae, et precatones,  
quae in baptismo fiunt, ad

- tria capita rediguntur, et ab apostolis emanarunt. 173.
- Fons baptismi consecratur addito oleo mysticae unctionis. 174.
- Certi dies expectantur ad consecrandam baptismi aquam. ib.
- Baptizandi cur mox in ecclesiam non admittantur. ibid.
- Baptizandi fidei suae professionem faciunt. 176.
- Baptizandis quae nomina imponenda, et quare. 178.
- Beatitudo aeternae vitae nomine designata. 114. et cur. 117. amitti numquam potest. ibid. quid sit. ibid. comprehendere non potest. 118. omnium bonorum adeptione, et omnium malorum liberatione definienda. 119.
- Beatitudo essentialis in quo sita. 120.
- Beati lumine gloriae elevantur ad divinam essentiam vindendam. 121.
- Beati quomodo Dei formam induant. ibid.
- Beati omnes iisdem praemiis non afficiuntur. 125.
- Beatitudinis imagines, et similitudines. ibid.
- Beatitudo accidentalis, in quo consistat. ibid. constat omnibus bonis. ibid.
- Bella intestina hominis. 514.
- Bellum sceleratis est cum Deo. 516.
- Sine benedictionibus Dei opera nostra prospere non cedunt. 492.
- Benignitas Dei non uno modo eripit nos a malis. 528.
- Bestias occidere, et eas edere licet. 381.
- Blasphemare nomen Dei et sanctorum detestabile scelus. 355.
- Bona humanae vitae quare optanda, et petenda. 493.
- Bona temporalia quomodo petenda. ibid.
- Bona temporalia a Deo peti possunt. ibid.
- Bona humanae vitae ad bona divina nos dirigunt. 494.
- Bona humanae vitae adiumenta sunt ad divinorum bonorum adeptionem. ibid.

## C

- Caelorum praestantia. 464. et sq.
- Charitatis praecepta duo. 511.
- Charitas proximi a charitate Dei ortum habet. ibid.
- Charitatis officia quae sint. 385.
- Charitatis officium praestantissimum quod. 386.
- Carnalis nequitia quae sit. 514.
- Castitas recte petentibus non negatur. 396.
- Castitas non solum virginibus, sed iis qui caelibem vitam agunt, et iis, qui matrimonio iuncti sunt, convenit. 394.
- Castitatem servare cupienti quae cogitanda. ibid.
- Castitatis remedia, quae in actione consistunt. 395.
- Catechismi necessitas. 4.
- Catechismi doctrina ad captum cuiuscumque accommodanda. 6.
- Causae secundae sunt ministratae Dei manus. 387.
- Caeremoniae, et preces, quae in baptismo fiunt, ad tria capita rediguntur. 173.
- Caeremoniae, quae ad poenitentiae sacramentum adhibentur. 241. 257.
- Caeremoniae, quae in sacramento extremae unctionis adhibentur. 282.

- Cereus, quem tenet baptizatus, quid significet. 177.
- Character trium sacramentorum effectus. 142.
- Character quid praestet. *ibid.*
- Characterem imprimit baptismus. 171.
- Characterem imprimit confirmatio. 189.
- Characterem imprimit ordinis sacramentum. 304.
- Chrisma in baptismo cur adhibeatur. 177.
- Chrisma, materia confirmationis, episcopi consecratione conficitur. 182.
- Chrisma quare ex oleo, et balsamo conficiatur. 183.
- Chrisma cur sacris precationibus conficiendum ab episcopo. *ibid.*
- Christianorum omnium unus spiritualis ortus, et una nobilitas, et unus pater. 462. et sunt ideo maxima necessitudine copulati. *ibid.*
- Christiani numquam Deum in ipsorum oblivionem venire cogitare debent. 457.
- Christiani cur Deum patrem nostrum invocamus. *ibid.*
- Christiani qua ratione Christi fratres censeantur. 461.
- Christiani alii aliis praeferre se non debent. 462.
- Christianorum dignitas summa est, Dei esse filios. 463.
- Christiani hominis scientia uno capite comprehenditur. 5.
- Christiani doctoris opera in quo praecipue versari debeat. *ibid.*
- Christiani vita non in otio degenda. *ibid.*
- Christiana philosophia, et saeculi sapientia, in quo differant. 15.
- Christianus homo quantum Christo debeat, et se totum Christo debet tradere. 35.
- Christiani non de se solum sed de aliis solliciti esse debent. 5.
- Christiani in omnibus calamitatibus Deum habent perfugium. 463.
- Christiani quare sancti dicantur. 92.
- Christi causa libenter stultitiae fama subeunda. 410.
- Christus quomodo in nobis regnet. 474.
- Christus frater noster. 461.
- Christus ecclesiae caput, primum caput unum visibile ecclesiae praefecit. 91.
- Christi sanguinis triplex effectus. 201.
- Christi corpus mox atque formatum est, ei anima, atque divinitas est adiuncta. 38.
- Christi tria in ecclesia insignia beneficia. 71.
- Christus imitandus in referenda nostra voluntate ad voluntatem Dei. 484.
- Christus verus animae panis est. 498.
- Christus passionis mysterium maxime Dei potentiam, et benignitatem ostendit. 45. 50.
- Christus passionis patrocinio veniam peccatorum nobis meruit. *ibid.*
- Christi adventus duplex. 71.
- Christi regnum spirituale. 31.
- Christi nomen quid significet. *ibid.*
- Cur hoc nomen Domino nostro sit tributum. *ibid.*
- Christus a diversis naturis diversas proprietates accepit. 30.
- Christus quare Dominus noster dicendus. 34.
- Christus non est dicendus filius

- Dei adoptione, sed natura. 39.
- Christus a Davide originem traxit secundum carnem. 40.
- Christus quare novissimus Adam appellatus. 41.
- Christus nascens salntari doctrina nos instituit. *ibid.*
- Christi sanguine scelera nostra expiantur. 104.
- Christus sacramentorum omnium auctor. 137.
- Christus totus in sacramento eucharistiae continetur. 209.
- Christus quare ratione sit in sacramento. 215.
- Christus qua ratione poenitentiae sacramentum instituerit. 239.
- Christi, et eius Matris, et sanctorum imagines pingi, non interdicitur praecepto legis. 338.
- Christi resurrectio fraternitatem Christi cum hominibus non dirimit. 461.
- Christi divinitas nunquam a corpore seiuncta. 49.
- Christus pro peccatoribus passus. 53.
- Cibus multiplex, et delicatus non postulandus a Deo. 494.
- Cibus multiplex animae. 218.
- Circumstantiae peccatorum sunt in confessione patefaciendae. 260.
- Clavium potestas est in ecclesia. 100.
- Clavium dignitas, et amplitudo. 101.
- Clavium potestatem non omnes habent. 102.
- Clavibus ecclesiae aditum in caelum aperiri. 253.
- Clerici nomen unde deductum. 293.
- Clericorum corona unde ortum habuerit, et quid significet. 293.
- Colere deos alienos, qui maxime dicti sint. 337.
- Communia tribus personis divinis sunt omnia opera ad extra. 36.
- Communio unum ex nominibus eucharistiae. 193. ante communionem praeparatio qualis esse debeat, et quomodo sit necessaria. 221. praeparatio ad communionem maxime necessaria est, et pacem cum aliis habere. 222.
- Communionem sumptuarius nihil habere debet, quod conscientiam gravet. *ibid.*
- Communicare volens, aliquam etiam corporis curam habere debet. 223.
- Communicandum saepe esse demonstratur. 224.
- Quod fuisse olim in ecclesia sensitatum ostenditur. 225.
- Communicandum omnibus esse saltem in paschate. 224.
- Communicandi sub una specie quare ecclesia consuetudinem approbaverit, vide eucharistia. 227.
- Concio sacra a fidelibus attentae audienda. 1.
- Concupiscentia in reuatis remanet, sed peccatum non est. 165.
- Concupiscentia prava, stirps malorum omnium est. 425.
- Concupiscentia rerum alienarum, et alienae uxoris quid inter se differant. 423.
- Concupiscentia quid. 424.
- Concupiscendi vis non semper in vitio ponenda. *ibid.*
- Concupiscendi vis recta Deo auctore a natura nobis insita est. *ibid.* haec quae nobis



- praestet, si rectae rationi sit conformis. *ibid.*
- Concupiscentia primorum parentum peccato depravata. *ibid.*
- Concupiscentiae vis, si moderata est, quasum utilitates afferat. *ibid.*
- Concupiscentia quare a Paulo peccatum sit dicta. *ibid.*
- Non concupisces, quem sensum habeat. *ibid.*
- Concupiscenda non est aliena uxor. 428.
- Concupiscere alienam uxorem, quam grave peccatum sit. *ibid.*
- Concupiscendi vitio qui maxime laborent. 430.
- Concupiscentia perpetua in membris nostris latitat. 422.
- Concupiscentia quomodo peccatum esse cognoscatur. 425.
- Quando est peccatum. *ibid.*
- Concupiscentiae remedia, et incommoda, quae ab ea emanant. 429.
- Confessarius qualis diligendus. 263. numquam debet audita in confessione manifestare. 264.
- Confessarius erga poenitentem quomodo se gerere debeat. *ibid.*
- Citra confessionem salutem recuperare non possunt, qui peccatis sunt obnoxii capitibus. 257.
- Confessio contritionem perficit. 254.
- Confessio peccatorum, et eius necessitas. 255.
- Confessio quare instituta. *ibid.*
- Confessionis utilitas. *ibid.*
- Confessio quid sit, et cur accusatio dicatur. *ibid.*
- Iudicium ecclesiasticum, quod fit in confessione, longè dissimile est foreusibus iudiciis. *ibid.*
- Confessio a Christo ob eius bonitatem, et misericordiam instituta. 256.
- Confessio sacerdoti facienda. *ibid.*
- Confessionis figurae. *ibid.*
- Confessionis legi quinam parere debeant. 257.
- Confessio quo tempore puero indicta. 258.
- Confessio quando facienda. *ibid.*
- Confessio integra esse debet. 259.
- Confessio nuda, et aperta esse debet. 261. item prudens, et verecunda. 262. per internum, et per litteras fieri non debet. *ibid.*
- Confessio quando iteranda. 261. et quando non. *ibid.*
- Confessionis minister idoneus, et legitimus quis sit. 263.
- In confessione scelera non excusanda. 265.
- Culpa eorum, qui verecundia impediti peccata confiteri non audent. 266.
- Peccata diligenter peruestiganda, antequam quis confiteatur. *ibid.*
- Confessor quando a se poenitentes dimittere debeat. *ibid.*
- Confessor quomodo pudori quorundam confitentium quomodo consulat. *ibid.*
- Confidere oportet in officio precandi. 449.
- Confirmationis sacramentum. 179.
- Confirmationis nomen unde ducatur. *ibid.*
- Confirmatio est vere sacramentum. *ibid.*
- Confirmationis sacramentum a baptismo maxime disiunctum. 181.

- Confirmationis sacramenti  
Christus auctor. 182.
- Confirmationis sacramentum  
chrisma appellatur. *ibid.*
- Confirmationis materia chrisma. *ibid.*
- Confirmationis sacramenti forma quae sit. 184.
- In confirmatione tria observanda. *ibid.*
- Confirmationis sacramenti minister proprius episcopus. *ibid.*
- Ad confirmationem quare patrinus advocetur. 185.
- Affinitas, quae cum patrinis confirmationis contrahitur. *ibid.*
- Confirmandi qua aetate esse debeant. 187.
- Confirmationis sacramentum quomodo sit necessarium. 186.
- Confirmationis sacramentum ad universos fideles aequè pertinet. *ibid.*
- Confirmationis sacramentum suscipientes adulti dolere debent de peccatis. 187.
- Confirmationis sacramentum praecedere debet confessio in adultis. *ibid.*
- Confirmationis sacramentum novam gratiam tribuit. *ibid.*
- Confirmationis vocabulum unde deductum. 188.
- Confirmationis effectus. *ibid.*
- Confirmatio non potest iterari. 189.
- Confirmationis sacramenti caeremoniae, et ritus. 190.
- Confirmationis sacramentum quo tempore potissimum administratur. *ibid.*
- Consilia evangelica sequi nemo obligatur, ea tamen contemnens peccat. 311.
- Contra eos, qui medicamentis utuntur daemonum arte compositis. 526.
- Contritio cur peccati detestatio nominetur. 247. cur hoc nomine, et aliis haec poenitentiae pars dicatur. *ibid.*
- Contritio quid. 246. dolor cur dicatur. *ibid.*
- Contritionis vis, et efficacia. 252.
- Contritionis proprius dolor ad singula peccata mortalia adhibendus. 249. quandoque tamen conteri generatim sufficit. 250.
- Ad contritionem veram quae sint necessaria. *ibid.*
- Ad excitandum eum ad contritionem, qui de peccatis non doleat, quid faciendum. 252.
- Coronae viventibus paratae a Deo, daemones et alios hostes vincentibus. 523.
- Creationis opus ab iis facilius creditur, qui de Dei omnipotentia non dubitant. 24.
- Quare Deus creavit omnia. *ibid.*
- De creatione angelorum. *ibid.*
- De creatione hominis. 25.
- Creator visibilium, et invisibilium Deus. 26.
- Quae creavit Deus, ea et conservat. *ibid.*
- Creatio omnibus personis Trinitatis communis. *ibid.*
- Creatura nova in Christo quae. 164.
- Verbi huius, Credo, in materia fidei evangelicae acceptio, et professio. 13.
- Credere quis proprie dicatur. 14. quid primo credendum. *ibid.*
- Credens inquirendi curiositate est liber. *ibid.*
- Credendum esse Deo. *ibid.*
- Credens interiorum fidei actum

- aperta fidei professione proferre debet. *ibid.*
- Crucis supplicium cur Christus subiit. 45.
- Crucis signum quare in baptismo toties adhibeatur. 175.
- Cultus divini cupidos homines esse quantum oporteat. 342.
- Cultus externus Deo praecipitur adhiberi tertio praecepto. 257.
- Cultus sabbati quo tempore sublatus est. 359.
- Cultus Dei festo die praecipue institutus. *ibid.*
- Cupiditas vitiosa quare prohibeatur. 425.
- Cupiditates propriae etiam iustis adversantur. 482.
- D**
- Daemones in exitu animae quomodo nobis insidientur. 285.
- Daemones eos maxime tentat, qui ab eis defecerunt. 511.
- Daemonum odium in homines implacabile. 515.
- Daemon, simulans angelum lucis, quae bona non sunt, tamquam bona postulare persuadet. 486.
- Daemonum externi impetus, et impressiones. 516.
- Daemones quare principes appellati, et rectores mundi tenebrarum. *ibid.*
- Daemones perpetuum bellum nobiscum gerunt. *ibid.*
- Daemones quomodo a nobis vincantur. 520. 522.
- Daemones non singuli, sed plures quandoque unum hominem impugnant. 516.
- Daemones quos non oppugnent, et quos maxime infestent. *ibid.*
- Daemonum vis alligata. 517.
- Daemon quare malus praecipue dicatur. 528. et peccati auctor. 529.
- Daemoni assignamus omnia mala, quae in nos a proximis proficiscuntur, tamquam auctori, et impulsori. *ibid.*
- Debita, quae dimitti postulamus, quae sint. 506.
- Cuius debiti solutio sit ad salutem necessaria. *ibid.*
- Debita quare dicantur nostra. 507.
- De decalogo. 322.
- Decalogus legum omnium summa, et epitome. *ibid.* et sq.
- Decalogi praecepta decem ex duobus charitatis pendent. *ibid.*
- Decalogi Deum esse auctorem credere, maximam vim habet ad homines excitandos ad eam legem servandam. 324.
- Decalogi lex quanta maiestate data. *ibid.* Vide lex. Vide item praeceptum.
- Descensus Christi ad inferos causa. 57.
- Ex descensu Christi ad inferos nihil eius dignitati detractum est. *ibid.*
- Descendere ad inferos cur Christus voluerit. *ibid.*
- Desideria piorum exaudit Deus. 435.
- Detractionis vitium quam grave, et quanta incommoda hoc vitium consequantur. 413.
- Detractores qui dicendi sint. *ibid.*
- Detractoribus aures praebentes quantum peccent. 414.
- Deum unum solum esse, non plures, confitendum est. 17.
- Deum poenitere quomodo intelligatur. 235.

- Deus solus remittit peccata auctoritate propria. 104.
- Dei nomen creaturis cur aliquando tribuatur. 17.
- Deus generali ratione omnium hominum, peculiari vero christianorum pater dicitur. 18.
- Deus omnipotens cur in symbolo praetermissis ceteris attributis dicatur. 22.
- Deus suam excellentiam etiam ethnicis cur manifestaverit. 16.
- Deo quomodo nulla fieri possit accessio. 466.
- Deo cur patris nomen tribuatur. 455.
- Deus omnium creator. 23. 24.
- Deus quae creavit, conservat. 26.
- Deo, et non sanctis, sacrificium offertur. 230.
- Deus est legis auctor. 323. 519.
- Deus quare fortis in decalogo dicatur. 341.
- Deus totus est in singulis mundi partibus. 464.
- Deus auctor non est peccati. 518.
- Deus quare zelotes appellatus. 341.
- Deus quare poenam ad tertiam, et quartam generationem comminetur. 342.
- Dei bonitas superat eiusdem iustitiam. 343.
- Dei nomen quomodo sit intelligendum. 345.
- Dei nomen quomodo honoretur. 346.
- Deo multa imposita nomina. ibid.
- Deus quibus modis laudandus. 347.
- Deus non habebit insontem eum, qui nomen eius frustra assumpserit. 354.
- Deus primo diligendus, deinde parentes. 368.
- Deus desideria piorum exaudit. 435.
- Deus omnium hominum pater vocatur. 455.
- Dei providentia erga homines. ibid.
- Deus hominum non obliviscitur. 457.
- Dei benignitas, et misericordia erga homines. ibid.
- Dei amor erga homines in redemptione ostensus. 459.
- Dei manus cum nos tangit, id non hostiliter facit, sed amanter. ibid.
- Deus quare castigat, quos amat. 460.
- Deus calamitates nostras non ignorat. ibid.
- Deus omnium dominus est. 463.
- Deus est ubique, et quomodo. 464.
- Deus quare in caelis esse dicitur. ibid.
- Deus quomodo ex animo ametur. 465.
- A Deo quid primo petendum. ibid.
- Dei gloria quomodo petatur. ibid.
- Dei nomen quomodo sanctificari petamus. 467.
- Deo non pretio aliquo, sed amore serviendum. 487.
- Deo servire regnare est. 485.
- Dei nomen sanctum, et terribile sanctificatione non eget. 467.
- Dei nomen re, non verbis tantum sanctificandum. 468.
- Dei providentia erga hominum salutem plane regia. 471.
- Dei potentia, et providentia. 473.
- Deus non ad otium, et inertiam nos vocavit. 478.

- Deus numquam nos deserit. *ib.*  
 Deus adminicula nobis concedit ad regnum caelorum consequendum. *ibid.*  
 Deum amare, ut par est, sine divinae gratiae adminiculo non possumus. 481.  
 Deum amare sine modo debemus. 511.  
 Ad christianam prudentiam, nisi Deo auctore et adiutore, nos aspirare non possumus. 481.  
 Deus in iustificatis mentem sanat, non carnem. 482.  
 Deus requirit summum amorem in opera, et studio, quod ei navamus. 487.  
 Dei opera omnia bona. 489.  
 Deus omnibus operibus suis suam bonitatem impertivit. *ibid.*  
 Dei voluntatem quare maxime colamus. *ibid.*  
 Dei viae investigabiles. *ibid.*  
 Deus nobis melius consultit, quam nos optare possimus. *ibid.*  
 Ad Dei gloriam omnia ad usum vitae necessaria sunt referenda. 490.  
 Dei infinita potentia colenda. 497.  
 Deus promptus, et paratus ad condonandum peccata poenitentibus. 505.  
 Deus beneficentissimus parens. *ibid.*  
 Deus quomodo tentet suos. 517.  
 Deus quomodo tentari sinat bonos. *ibid.*  
 Dei benignitas nullis hominum iniuriis exhauritur. 453.  
 Deus negat propitius, quae concedit iratus. 435.  
 Deus cur rogari velit, cum sciat, quibus indigeamus. 436.  
 Deo magis curae est nostra salus, quam nobis. 489.  
 Ad Deum confugere in malis naturale est. 526.  
 Deus quomodo nos in tentationem inducere dicatur. 517.  
 Deus dat vires ad satanam prosternendum. 521.  
 Dei benignitas non uno modo eripit nos a malis. 528.  
 Deus non vult nos ab omnibus incommodis solutos esse. *ibid.*  
 Deus dat solatia iis, qui adversis premuntur. *ibid.*  
 Deus utitur daemone ministro in repetendis poenis a sceleratis. 529.  
 Diabolo sese homines per peccatum addicunt. 503.  
 Diaboli crudelis dominatus. *ib.*  
 Diabolus quare mundi princeps, et tenebrarum dicatur. *ibid.*  
 Diaboli proprium officium, tentare homines. 518.  
 Diabolus cur malus dicatur. 529.  
 Diabolus quo animo tentet homines. *ibid.*  
 Diabolus quare tentator dicatur. *ibid.*  
 Diabolus quibus modis utatur ad tentandum. *ibid.* et 515.  
 Dies dominicus cur pro sabbato institutus. 363.  
 Cur diei dominico alia festa accesserunt. 364.  
 Dies domini Christi novissimus adventus dicitur. 71.  
 Die dominico quid agere, et a quibus abstinere fideles oporteat. 565.  
 Divitiae non amandae. 442.  
 Divites quare panem quotidianum petere debeant. 496.  
 Divites facultates suas Deo acceptas referant. 500.

- Divites quare bonis cumulen-  
 tur a Deo. *ibid.*  
 Divortio nullo matrimonii vin-  
 culum dirumpitur. 315.  
 Doctoris legitimi opera neces-  
 saria fidelibus. 1.  
 Doctrina catechismi ad captum  
 cuiusque accommodanda. 6.  
 Doctrina fidei catholicae qui-  
 bus rebus contineatur. 7.  
 Doctrinae christianae capita  
 quatuor. 8.  
 Domus vocabulo quid intelli-  
 gatur in nono praecepto. 426.  
 Dubitare in oratione non debe-  
 mus. 457.
- E
- Ecclesiae nomine quid sit pro-  
 prie intelligendum. 85.  
 Ecclesia cur fidelium coetus vo-  
 cetur. *ibid.*  
 Ecclesiae, et synagogae diffe-  
 rentia. 86.  
 Ecclesia multis nominibus vo-  
 catur. *ibid.*  
 Ecclesiae nomen multa signi-  
 ficat. *ibid.*  
 Ecclesia militans, et trium-  
 phans quales sint. 87.  
 Ecclesia militans, et trium-  
 phans una est. *ibid.*  
 In ecclesia sunt boni, et mali.  
*ibid.*  
 Ecclesiam credere quomodo ad  
 articulos fidei pertineat. 95.  
 Ecclesiae quanta sit maiestas  
 propter eucharistiae in ea  
 mysterium. 209.  
 Ecclesiae catholicae agnitione  
 Dei nomen sanctificatur. 469.  
 Ecclesiae praerogativae. *ibid.*  
 Ecclesia est regnum Christi.  
 476.  
 Ecclesiae figurae, et similitu-  
 dines. 89. et 95.  
 Quinam ab ecclesia excludan-  
 tur. 89.
- Ecclesiae catholicae proprieta-  
 tes, et praerogativae. 90. et  
 469.  
 Ecclesiae caput visibile ponti-  
 fex romanus. 90. et 301.  
 Ecclesia est una. 90.  
 Ecclesia cur sancta appelletur.  
 92.  
 Ecclesia cur catholica sit. 93.  
 Ecclesiae verae dignoscendae a  
 falsa certissima regula. *ibid.*  
 Ecclesia est apostolica. 94.  
 Ecclesia non potest errare. 95.  
 Extra ecclesiam verus Dei cul-  
 tus non reperitur. *ibid.*  
 Ecclesia originem suae verita-  
 tis traxit ab apostolis. 94.  
 Ecclesiam universalem omnes  
 tenere debent, qui salutem  
 consequi cupiunt. *ibid.*  
 Ecclesiae auctor Deus. 96.  
 Ecclesiam claves regni caelo-  
 rum habere fide intelligi-  
 mus. *ibid.*  
 Quare credere sanctam [eccle-  
 siam, et non in sanctam di-  
 catur. *ibid.*  
 Effundere se in conspectu Do-  
 mini quid sit. 439.  
 Eleemosyna purgat peccata.  
 512.  
 Eleemosynae necessitas. 405.  
 Cohortatio ad eleemosynam fa-  
 ciendam. *ibid.*  
 Eleemosynae faciendae causa  
 parce vivendum est. 406.  
 Eleemosyna orationi addenda.  
 453.  
 Eleemosyna medicina est ac-  
 commodata sanandis animae  
 vulneribus. 274.  
 Episcopi tantum, et sacerdotes  
 potestatem habent remitten-  
 di peccata. 102.  
 Episcopi administratio quae  
 sit. 300.  
 Episcopus tantum ordines con-  
 fert. 301.

- Episcopi, et sacerdotes quomodo honoraudi. 375.
- Escarum conquisitissima genera persequi non licet. 494.
- Eucharistiae, et poenitentiae nsu qui aliquamdiu careat, plurimum damni patiuntur. 143.
- Eucharistiae institutio. 191.
- Eucharistiae dignitas, et excellentia. 192.
- Eucharistiae sacramentum pluribus nominibus appellatur. *ibid.*
- Eucharistia quare dicatur communio, viaticum, et coena. 193.
- Eucharistiam post cibum, et potum sumere non licet. 194.
- Eucharistia vere est sacramentum, et unum ex septem. *ibid.*
- In eucharistiae sacramento adoramus corpus et sanguinem Christi. *ibid.*
- Quae proprie sacramenti rationem habeant in eucharistia. *ibid.*
- Eucharistiae a ceteris sacramentis differentia. 194.
- Eucharistiae sacramentum perfectum facit materiae consecratio. 195.
- Eucharistia est nnum tantum sacramentum, et non plura. *ibid.*
- Eucharistiae sacramentum tria significat. 196.
- Eucharistiae sacramenti materia duplex. *ibid.*
- Panem, ex quo eucharistia conficitur, azymum esse, conueniens est. 197.
- Non tamen omnino necessarium. 198.
- Aqua modica vino quare admisceatur in eucharistia. *ibid.*
- Aquam in eucharistia adhiberi, non omnino necessarium. 199.
- In eucharistiae sacramento quid significet panis, et vinum. *ibid.*
- Eucharistiae sacramenti forma. 200.
- In hac forma quae sint non absoluta necessaria. 201.
- Forma consecrationis vini, et eius declaratio. 202.
- In sacramento eucharistiae tria sunt maxime admiranda. 205.
- In eucharistia verum corpus Christi, et sanguinem contineri. *ibid.*
- Eucharistiam verum Christi corpus continere demonstratur. 206.
- Eucharistiae sacramentum non est tantum signum corporis Christi. 207.
- In eucharistiae sacramento totus Christus continetur. 209.
- In eucharistiae sacramento quae sint ex concomitantia. 210.
- Quae consecrationes quare separatim fiant in sacramento eucharistiae. 211.
- In qualibet utriusque speciei particula eucharistiae totus Christus continetur. *ibid.*
- Panis, et vini substantia post consecrationem in sacramento eucharistiae non remanet. *ibid.*
- Post consecrationem quare eucharistiae sacramentum panis vocatur. 213.
- Conversio mirabilis in sacramento eucharistiae transubstantiatio vocatur. 214.
- Eucharistiae sacramentum non curiose scrutandum. 216.
- Qua ratione Christus sit in eucharistiae sacramento. *ibid.*
- Panis, et vini species in sa-

- cramento eucharistiae sine aliqua re subiecta manent. 216.
- Eucharistiae sacramentum quare sub panis, et vini specie administrari Christus instituerit. 217.
- Eucharistia fons omnium gratiarum. *ibid.*
- Eucharistia ea commoda animae confert, quae cibus corpori. *ibid.*
- Eucharistia quomodo gratiam tribuat. 218.
- Prima gratia nemini tribuitur, nisi prius eucharistiae sacramentum voto perceperit. *ibid.*
- Eucharistia omnium sacramentorum finis. *ibid.*
- Eucharistiae figura est manna. 219.
- Eucharistiae utilitates. *ibid.*
- Eucharistiae sacramenti sumendi tres modi. 220.
- Maximis bonis se privant, qui, cum parati sint sacramentaliter sumere Eucharistiam, spiritu tantum accipiunt. 221.
- Eucharistiam accipere nemini licet ante sacramentalem confessionem, si sacerdotis facultas data sit, si peccatum mortale conscientiam stimulet. *ibid.*
- Ieiunii ad eucharistiae sacramentum accedere debemus. 223.
- Aliquot dies ab uxoribus abstinendum iis, qui matrimonio iuncti sunt, cum ad communionem accedere volunt. *ibid.*
- Eucharistiae communicatio saepius iteranda. 224.
- Eucharistiae sacramento quotidie alenda est anima. *ibid.*
- Eucharistiam olim fideles quotidie sumebant. 225.
- Ab eucharistiae communione excipiuntur, qui per aetatem rationis usum non habent. *ibid.*
- Eucharistia quare infantibus negetur. *ibid.*
- Eucharistiae sacramentum amentibus non detur. 226.
- Eucharistiam sub utraque specie laicis sumere non licet. 227.
- Quare ecclesia consuetudinem communicandi sub utraque specie prohibuerit. Vide communio, et transubstantiatio.
- Solis sacerdotibus potestas tradita est sacramentum eucharistiae conficiendi. 228.
- Eucharistia est sacrificium 229.
- Eucharistia victima Deo gratissima. *ibid.*
- Eucharistia a Christo instituta duabus de causis. *ibid.*
- Eucharistia, ut sacramentum est, merendi, ut autem sacrificium, non solum merendi, sed etiam satisfaciendi, vim habet. *ibid.*
- Eucharistiae sacrificium quando institutum. 230.
- Eucharistiae figurae, et oracula. 231.
- Eucharistiae sacramentum inexplicabile pignus charitatis est. 499.
- Eucharistiae sacramentum quare dicatur panis noster. *ib.*
- Eucharistiae sacramentum quare dicatur quotidianus panis. *ibid.*
- Execrationes sanctorum in scripturis sunt praedictiones. 444.
- Exempla, quae ad bene sperandum nos inducere possunt. 530.



- Exempla humanae infirmitatis.** 514.
- Exitus petitionum nostrarum Deo permittendus.** 500.
- Exorcismi usus in baptismo.** 175.
- Extrema unctio.** 277.
- F**
- Falsum testimonium quid.** 411.
- Falsi testimonii damna.** 412.
- Falsum testimonium non solum in iudicio, sed extra iudicium vetatur.** 413.
- Falsum testimonium dicere contra se non licet.** *ibid.*
- In falsis testimoniis mendacium numeratur.** *ibid.*
- Felicitas cur aeternae vitae nomine significetur.** 117.
- Haec nequaquam comprehendi potest.** 119.
- Felicitas in omnium bonorum aggregatione consistit.** 119.
- Felicitas in quo consistat.** 120.
- Felicitas semel adepta nunquam amittitur. Vide beatitudo.** 117.
- Festorum dierum praeceptum.** 357.
- Festi dies cur instituti.** 361.
- Festi dies praeter sabbatum alii apud iudaeos fuerunt.** 363.
- Festi dies praeter diem dominicum quare instituti ab ecclesia.** 364.
- Dies festi celeberrimi in ecclesia.** *ibid.*
- Festis diebus quibus operibus christiani se exercere debeant.** 366.
- Fideles ad complectendam caelestem doctrinam quando sint propensiores.** 329.
- Fides quid sit, et quomodo sit ad salutem consequendam necessaria.** 11.
- Fidei multi gradus.** *ibid.*
- Fides unde concipiatur.** 1.
- Notitia, quae fidei disciplina comparatur, multo certior est, quam quae humanis est rationibus comprehensa.** 15.
- Fides de omnipotentia Dei quam necessaria, et utilis.** 22.
- Fides redemptionis ad salutem necessaria semper fuit.** 28.
- Fides veterum, et nostra eadem.** 30.
- Fides poenitentiam antecedit oportet.** 236.
- Fides non vere dicitur pars poenitentiae.** *ibid.*
- Fide firmos esse, caput est ad rite orandum.** 449.
- Fides ad iustificationem necessaria.** 11. 61.
- Fides duodecim capitibus cur ab apostolis comprehensa.** 12.
- Fidei christianae excellentia.** 15.
- Fidei doctrina, non autem philosophica scientia, est ad salutem necessaria.** *ibid.*
- Fides in matrimonii bonis numerata quid sit.** 316.
- Fiducia impetrandi a Deo, quae in oratione petimus, unde sit.** 449.
- Fiduciam conciliat nomen patris in oratione.** *ibid.*
- Fiduciam orationis in nobis quae iuvare possunt.** *ibid.*
- Figurae, et prophetiae conceptionis, et nativitatis Iesu Christi.** 42.
- Figurae crucis Christi.** 47.
- Figurae confessionis.** 256.
- Filius Dei, et vere Deus est Iesus Christus.** 33.
- Filius Dei quomodo generatur.** 34.

- Foenerari est rapinam committere, et quam grave scelus illud sit. 402.
- Forma sacramenti eucharistiae declaratur. 202.
- Forma sacramenti poenitentiae. 241.
- Forma sacramenti extremae unctionis. 279.
- Forma confirmationis sacramenti. 184.
- Forma aliorum sacramentorum. Vide in propriis locis.
- Formula orandi diversa ad Deum, et sanctos. 446.
- Fornicationis peccati calamitas propria. 394. Variarum eius species. 391.
- Vide adulterium, concupiscentiam. 392.
- Fragilitati consulendum. 406.
- De furto non faciendum praecipitur auditoribus inculcandum maxime. 397.
- Hoc praecipitur Dei benignitas erga nos maxime percipitur. 398.
- Hoc praecipitur in duas partes divisum monstratur. *ibid.*
- Furti nomine quid intelligatur. *ibid.*
- Quare hoc praecipitur sub furti nomine, non rapinae, datum sit. 399.
- Furti, quod est iniusta possessio et usus rerum alienarum, variae species. *ibid.*
- Furandi etiam animus lege Dei prohibetur. *ibid.*
- Furtum quam grave scelus sit. 400.
- Furti immanitatem declarant, quae furtum consequuntur. *ibid.*
- Furtorum multa genera. 401.
- Furto ablata restituenda. 400.
- Furtum quibus rationibus sit detestandum. 406.
- Furti excusationem nullam accipit Deus. 407.
- Excusationes, quibus se homines defendunt in furtis. *ibid.*
- Fur divinum nomen dedecorat. 408.

## G

- Gaudia intima sanctorum. 498.
- Gloria inenarrabilis sanctorum. 118.
- Gloria Dei quomodo in oratione petatur. 476.
- Gloria quid. 475.
- Gradus, quibus ad orationem accedimus. 447.
- Gratia quid. 169.
- Gratiae divinae in baptismo virtutes adiunguntur. 170.
- Gratiarum actione maxime utimur, cum sanctos veneramus. 453.
- Gratia iterum quid sit. 475.
- Gratiae regno plerumque hic excidimus. *ibid.*
- Gratia Dei praecedat conversionem. *ibid.*
- Gratiam praevent, comitatur, et sequitur bona nostra opera. 273.
- Gratia Christi quomodo ex eo, quod nobis communicatur, copiosior appareat. 97. 273.
- Gratiae gratis datae, et cetera dona toti sunt ecclesiae communia. 98.
- Gratiam quomodo eucharistia conferat. 217.
- Gratiarum actio cum oratione iungenda. 453.
- Gradus in ecclesia diversi non tollunt fraternae necessitudinis nexum. 462.
- Gravitas relabentium in scelera. 50. 480. et 513.

## H

- Haeresis** quam late serpsit. 3.
- Haereticis** adhaerentes, legitimis relictis ecclesiae pastoribus damnantur. 378.
- Haeretici** sunt administri diaboli ad tentandos homines. 518.
- Haereticorum** artes, quibus sunt usi ad impia dogmata infundenda. 3.
- Haereticus** quis dicatur. 85.
- Haereticorum** pestis quo irripserit. 3.
- Hebraeorum** gentem quare Deus delegerit. 328.
- Hebraici** populi liberatio ab Aegypto. *ibid.*
- Hebraeos** durissima servitute premi quare Deus permiserat. 329.
- Hebraeo** populo promissa praestita post CDLVIII. annos quare. *ibid.*
- Homicidium** prohibens praecipitum auditu iucundum. 380.
- Homicidium** prohibens praecipitum, duo continet. 381.
- Homicidium** casuale quando citra peccatum fit. 382.
- Homicidium** casuale quando est peccatum. *ibid.*
- Homicidium** sui ipsius interdictum. 383.
- Homicidium** peccatum est nefarium. 384.
- Homicidium** quod hoc praecipito non vetatur. 381.
- Homicidii** qui sunt rei. 385.
- Homicidii** voluntas est peccatum. *ibid.*
- Hominem** occidere privata auctoritate vetitum est omnibus. *ibid.*
- Omnes** homines huius legis vi, *Non occides*, defenduntur. *ib.*
- Homo** ad imaginem, et similitudinem Dei formatus secundum animam. 25.
- Homo** postremo creatus, non vi naturae, sed divino beneficio immortalis. *ibid.*
- Homo** christianus quantum Christo debeat. 35.
- Homo** quid debeat Deo. 459.
- Homo** quae bona per peccatum amiserit. 486.
- Homo** pueris comparatur. 481.
- Homo** etiam iustificatus non ita habet domitos carnis affectus, ut illi postea excitari non possint. 482.
- Homo** qua maledictione condemnatus post Aadae peccatum. 480.
- Homo** nullus est, qui se peccatorem non debeat vere agnoscere. 502.
- Homo** ne unius quidem diei victum per se parare potest. 496.
- Homines** nos persequentes Dei ministri sunt. 387.
- Homines** divini cultus quam cupidos esse oporteat. 342.
- Homines** comparantur aegris, et iis qui gustum amiserunt. 481.
- Homines** voluptuosi a divina voluntate alieni. 486.
- Hominis** ruina prima. 28.
- Hominis** instabilitas. 473.
- Hominis** imbecillitas tanta est, ut sine Dei auxilio peccata vitare non possit. 487.
- Hominis** inscitia, et imbecillitas. 514.
- Hominum** miseriae propter peccatum primi parentis. 480.
- Hominum** omnis labor, nisi Deus faveat, inanis. 492.
- Honor** Deo habendus, quomodo, et ubi praecipitur. 346.

- Honorare quam vim habeat. 370.
- Honoris vox rite in praecepto posita. *ibid.*
- Honorandi a nobis patres cuiuscumque generis. 372.
- Honoris officia, quae in parentes conferri debent. 373.
- Honorantes parentes quos fructus percipiant. 376.
- Honor mortuis parentibus tribuendus. 374.
- Honorantes parentes, etiamsi cito moriantur, huius praecepti praemium capiunt. 377.
- Non honorantium parentes poenae. *ibid.*
- De honorandis parentibus praeceptum explicatur. 368.
- Hostes humani generis quando omnes adversus nos artes excogitant. 285.
- Humiliter regnum Dei a nobis petendum. 477.
- Hypocritae ex animo non orant. 452.
- Hypocritarum mos in orando fugiendus. *ibid.*
- I
- Ieiunium, et eleemosyna orationi socianda. 453.
- Iesum Christum filium Dei credentes quam utilitatem capiant. 27.
- Iesus Dei filius solus potuit nos Deo reconciliare. 28.
- Iesus quid significet. 30.
- Iesus nomen quomodo alia eius nomina contineat. *ibid.*
- Iesus Christus rex, sacerdos, et propheta supremus. 31.
- Iesus filius Dei, et verus Deus. 33.
- Imagines pingere qua ratione prohibitum est. 337.
- Imagines pingere absolute non est prohibitum. 336.
- Imaginem trinitatis pingere quomodo liceat. 338.
- Imagines angelorum cur fiant. *ibid.*
- Imagines Christi, et sanctorum in ecclesia habere non solum licet, sed maximo fidelium bono factum est. *ibid.*
- Ad imaginem sanctorum cum quis orationem dominicam enuntiat, quid sentire debeat. 446.
- Impiorum poena duplex, damni, et sensus. 75.
- Incarnatio verbi quanti facienda. 36. 42.
- Incarnationis mysterium non una sola persona confecit. 37.
- Per incarnationem nulla facta est naturarum confusio. *ibid.*
- Incarnationis verbi opus quare Spiritui sancto peculiari quadam ratione tribuitur. *ibid.*
- In incarnationis mysterio quaedam supra naturae ordinem, quaedam naturae vi effecta. 38.
- Mirabilia, quae in verbi incarnatione acciderunt. *ibid.*
- Incarnationis Iesu Christi mysterium quanto pietatis studio recolendum. 42.
- Incommoda omnia aequo animo ferenda. 530.
- Indigentiam habemus terrenarum rerum ad victum, vitamque excolendam. 492.
- Indignari non debemus, cum nostras preces non exaudit Deus. 490. 530.
- Infantes. Vide baptismus.
- Infelicitas hominis quomodo cognosci possit. 472.
- Inferorum nominis significatio. 55.
- Inferorum loca quot sint. 56.
- Inferorum ad loca quomodo

- Christus descenderit. 56.  
Vide animae Christi descensus.
- Infidelis ad fidem conversus primam uxorem retineat. 315.
- Inhumanitas in egenos fugienda ab eo, qui a Deo vult exaudiri. 448.
- Inimicorum dilectio praestantissimum charitatis officium. 386.
- Inimicos diligentes sunt filii Dei. 510.
- Inimicis non est irascendum, sed diabolo. 529.
- Inimicis parcendum, si volumus nobis peccata dimitti. 251.
- Inimici diligendi. *ibid.*
- Inimicis non parcentes quid a Deo petere debeant. 510.
- Inimici invisibiles quales. 513.
- Iniurias oblivisci est christianis omnino persuadendum. 386. 509.
- Iniurias oblivisci quomodo probandum. 387.
- Iniuriae remittendae ab eo, qui vult, ut Deus sibi ignoscat. 448.
- Iniuriarum obliviones a nobis requirit Deus. 512.
- Iniurias qui condonant, quae commoda capiant. 388.
- Iniurias condonare nolentes, in quae incommoda incident. *ibid.*
- Remedia ad deponendas iniurias. 389.
- Iniurias remittendi voluntas sufficit, reclamantibus corruptae naturae appetitionibus. 511.
- Iniuriarum oblivio impetratur eleemosyna. 512.
- Iniurias non oblivisci in animo habentes uti debent hac precationis conditione: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos*, etc. et cur. 510.
- Instrumenta, quibus quaeritur, et invenitur regnum Dei, paranda. 471.
- Interpretatio Cypriani verborum, *Sicut in caelo, et in terra*. 488.
- Interpretatio huius vocis, Amen. 531.
- Invocans Deum in suis calamitatibus eum honorat, et contra faciens Deum inhonorat. 355.
- Irasci quando sit peccatum, vel non sit. 384.
- Iudex omnium Christus quare futurus. 74.
- De iudicio finali. 71. quare Christus ad indicandum venturus. 72.
- Iudicium Christi de nobis duplex fiet. 71.
- Iudicii generalis necessitas. 72.
- Iudicium cur non perinde Patri, Spiritui sancto, ac Filio tribuatur. 74.
- Iudicium praecedentia signa. 75.
- Iudicii forma, et ratio. *ibid.*
- Iudicantis Christi sententiae verba explicantur. *ibid.*
- Iudicii universalis articulus quam utilis. 77.
- Iudices venales rapinas committunt. 403.
- Indices in iudicando quot peccata possint committere. 413.
- Iudicia forensia iure, et ex legibus administranda. 416.
- Iurans quae considerare debeat. 345.
- Iurando peccat, qui iniustum aliquid promittit. 350.
- Iurare cur liceat. *ibid.*
- Iurandi necessitas excusationem habet. 351.

- Iurandi nimia consuetudo multa mala parit. 352.
- Iurans temere gravi peccato se adstringit. 313.
- Iurare falsum prohibitum est secundo praecepto. *ibid.*
- Iurare falsum est peierare, et quot modis peierant homines. *ibid.*
- Iurans verum, quod esse putat falsum, periurus est. *ibid.*
- Iurans falsum, quod putat esse verum, quomodo peieret. *ibid.*
- Iurans peccatum mortiferum, vel contra consilia evangelica, ut peccet. 354.
- Iurans per falsos deos peccat. *ibid.*
- Iurans, levibus coniecturis adductus, peccat. *ibid.*
- Iuramentum promissorium non servans periurus est. *ibid.*
- Iurandi praecepto quare minae adiunctae. 355.
- Ad iurandum male summa hominum proclivitas est. 356.
- Iurandi lex, quae inbeat, et quae prohibeat. 345.
- Iurandi frequens usus minime laudandus, quamvis iusurandum in se sit bonum. 347.
- Iurare quare sit institutum et quando. *ibid.*
- Iurare quid. 348.
- Iurare per creaturas iusurandum est. *ibid.*
- Propter peccatum male iurandi diversis suppliciis affligimur. 355.
- Iurisdictionis potestas nude probetur. 263.
- Ius naturale, seu lex naturae quid sit. 323.
- Ius naturae violant, qui inimicis non parent. 508.
- Iusurandum in iudicio quomodo fiat. 349.
- Iusurandum non exigitur a pueris aut pubertatem. 349.
- Iusurandum quando sit laudabile. 351.
- Iusurandum a fide originem ducit. *ibid.*
- Iusurandum ad quem finem tendere oporteat. *ibid.*
- Quomodo iusurandum a Christo prohibeatur. *ibid.*
- Iusurandum a malo esse, quomodo Christus dixit. 252.
- Iusurandum per execrationem. 348.
- Iusurandum assertorium, et promissorium. *ibid.*
- Iusurandum, ut rectum, sanctumque sit, quae requirantur. 349.
- Iusurandum quomodo in veritate praestetur. *ibid.*
- Iustificati mentem sanat Dei gratia, non carnem. 483.
- Iustificari non potest, qui non est paratus ad omnia Dei praecepta servanda. 327.
- Iustificatio peccatorum est infinitae Dei potentiae opus. 103.
- fit per sacramenta tamquam instrumenta. 132.
- Iustitia originalis super naturae facultatem homini a Deo data. 25.
- Iustitia iuramenti comes maxime in promissis requiritur. 350.

## L

- Labor omnis in paradiso iucundus fuisset. 491.
- Labore manuum ea quaerenda, quae pauperibus tribuamus. 406.
- Lacrimae in poenitentia summo opere optandae. 349.
- Lex naturae a lege scripta non diversa. 323.

- Lex in decalogo contenta, non est nova lex, sed naturae lex illustrata. 323.
- Legis iussa difficultatem non habent. 325.
- Legem mandans dat etiam vim eam implendi. *ibid.*
- Legem a Deo accepisse quantum sit beneficium. 324.
- Lex eum tali loco, et tali tempore data sit. 329.
- Legi obtemperandum. 325.
- Legis observantiae fructus. 326.
- Ad legem observandam propensiores nos reddit scire, Deum esse domum nostrum. 329.
- Lex omnis ad praecepta servanda homines praemio, aut poena inducit. 368.
- Legis servandae modus, et ratio. 343.
- Legem non concupiscendi praescripta quid a Deo provisum sit. 425.
- Lex Dei intimo animi sensu servanda. *ibid.*
- Legum divinarum, et humanarum differentia. *ibid.*
- Lex divina quasi speculum quoddam est, in quo naturae nostrae iustitia intuemur. *ibid.*
- Libellorum famosorum auctores damnantur. 415.
- Libellus repudii ab evangelica lege damnatur. 315.
- Libello repudii separati rursus coniungi possunt. 316.
- Liberum arbitrium homini datum. 26.
- Liugnae vitium commuissimum. 411.
- Loquacitas in oratione prohibetur, non longae preces. 452.
- Loquacitas vitanda. 419.
- Lucris honestis tranquillitas inest. 495.
- Lumen divinum quid in vobis faciat. 14.

## M

- Magistratibus politicis honores deferendus. 375.
- Iis quando est obtemperandum, et quando minime. 376.
- Mala cum patimur, ad Dei auxilium confugimus. 525.
- A malis cum non liberamur, non indignari debemus. 530.
- Malorum omnium liberationem non petimus. 529.
- Mala quaedam, quae communiter mala putantur, sunt tamen fructuosa. 530.
- Mala illa deprecamur, quae nullam animae utilitatem afferre possunt. *ibid.*
- A quibus malis liberari petendum sit. 529.
- Mala, quae in nos a proximis proficiscuntur, daemoui assignanda. *ibid.*
- Malorum liberatio a Deo postulanda. 527.
- Mala animae, et corporis deprecari debemus. 502. 527.
- Maledictio, qua condemnatus est homo post Adae peccatum. 491.
- Maria Dei et hominis mater vere et proprie dicitur. 40.
- Maria mater Dei quare. *ibid.*
- Mariae perpetua, et incorrupta virginitas in partu servata. *ibid.*
- Mariae in partu Spiritus sanctus affuit. *ibid.*
- Maria cum Eva confertur. 41.
- Maria ex regibus orta. 40.
- Mariae felicitatem gratulamur, cum eam angelica salutatione salutamus. 445.

- Mariam iure oramus, ut nobis peccatoribus veniam sua intercessione conciliet.** 445.
- Maria mater misericordiae.** ib.
- Maria advocata nostra.** ibid.
- Mariae merita apud Deum praestantissima.** ibid.
- Mariae summa voluntas adinvandandi humanum genus.** ibid.
- Mariti quae sint officia.** 318.
- Materia sacramenti eucharistiae duplex.** 195.
- Materia sacramenti extremae unctionis.** 279.
- Materia aliorum sacramentorum vide in propriis locis.**
- Matrimonium unde dictum.** 306.
- Matrimonii sacramentum variis nominibus appellatum.** ibid.
- Matrimonii definitio, et eius declaratio.** ibid.
- In matrimonio quot reperiantur res, quarum tamen nulla, nisi coniunctio, est matrimonium.** ibid.
- Matrimonium inire non possunt, qui legibus a matrimonii consortio excluduntur.** ibid.
- Matrimonii vis, et natura in quo consistat.** 307.
- Consensus matrimonium efficit.** ibid.
- Consensus verbis, quae praesens tempus significant, exprimitur.** ibid.
- Consensus alterius tantum ad matrimonium coniungendum satis esse non potest.** ibid.
- Matrimonii obligatio qualis.** 308.
- Matrimonium non contrahitur per verba futurum tempus significantia.** ibid.
- Verborum loco in matrimonio nutus, et signa sufficiunt.** ibid.
- Ad verum matrimonium concubitus necessario non requiritur.** 308.
- Matrimonii duplex ratio est, ut est officium naturae, et ut est sacramentum.** 309.
- Matrimonium, ut est officium naturae, a Deo institutum.** ib.
- Matrimonium indissolubile institutum.** ibid.
- Matrimonium quibus causis institutum.** 310.
- Matrimonii natura, ut sacramentum est.** ibid.
- Matrimonium quid significet.** ibid.
- Matrimonium sacramentum esse, et unum de septem legis evangelicae sacramentis probatur.** 312.
- Matrimonii sacramentum a Christo institutum.** 313.
- Matrimonium gratiam significat, et tribuit.** ibid.
- Matrimonii sacramentum quantum praestet matrimoniis ante legem.** ibid.
- Matrimonia iudaeorum sanctiora fuerunt matrimoniis gentilium.** ibid.
- Matrimonium neque in lege naturae, neque in lege scripta decorem suum retinuit.** 314.
- Matrimonium duorum tantum, et non plurium, coniunctione definitur.** ibid.
- Matrimonii vinculum nullo divortio dissolvi potest.** 315.
- Matrimonium dissolvi non posse utilissimum est.** ibid.
- Matrimonia fidelium perfectione, et nobilitate, gentilium, et iudaeorum matrimoniis longe praestant.** 313.
- Matrimonii bona tria.** 316.
- Matrimonia clandestina, neque vera, neque rata esse possunt.** 319.



- Matrimonii impedimenta tradenda sunt. 319.
- Matrimonium contrahentes quo modo affecti esso debeant. 320.
- Ad matrimonium contrahendum parentum consensus requirendus. *ibid.*
- Matrimonii usus quis esso debeat. *ibid.*
- A matrimonii officio interdum orandi causa abstinendum. 321.
- Medicina a Deo homini data 527.
- In medicinae remediis quo modo spes ponenda. *ibid.*
- Meditationes de Christi passione. 48.
- Mendacium quid sit. 411.
- Mendacium dicere in utilitatem proximi non licet. 412.
- Mendacio fallere ioco, et officii causa indignum est. 415.
- Mendacii summa miseria, et turpitudine. 416.
- Mendacii pater daemon. *ibid.*
- Mendacium quot incommoda societati humanae inferat. *ib.*
- Mendacia excusare error est. 419.
- Mendacio nemo studeat. 420.
- Meus bona a Deo nbi postuletur. 495.
- Merendi ampla occasio est patienti animo labores, et incommoda ferre. 274.
- Mereri possumus cum divina gratia vitam aeternam. 273.
- Meretur oratio nostra exaudiri per meritum Christi. 449.
- Meritum nostrum ex divina gratia ortum habet. *ibid.*
- Meritis paria reddentur praemia in caelis. 123.
- Merentur fructum passionis, qui sacrificio encharistiae communicant. 319.
- Meritum praemii gloriae immortalis operibus nostris tribuitur. 273.
- Meritum operum nostrorum ex merito passionis Christi pendet. *ibid.*
- Meritum nostrum non obscurat Christi passionem, sed multo clariorem reddit. *ibid.*
- Meritorum communicatio est in ecclesia. 97.
- Minister sacramenti baptismi proprius. 154. Et qui extra ordinem ministrare hoc sacramentum possint. 155.
- Ministorum baptismi ordo quis servandus sit. 156.
- Minister proprius sacramenti confirmationis. 184.
- Ministrum confessionis scientia, et prudentia praeditum esso oportet. 263.
- Minister poenitentiae duplici potestate, ordinis scilicet, et inisdictionis, praeditus esse debet. 262.
- Ministri sacrificium facientes Christi personam suscipiunt. 232.
- Miseria hominis in hac vita demonstratur. 492.
- Miseria summa humani generis, quae mala sunt, non ut mala, iudicare. 480.
- Miseriae humanae causa potissima. 473.
- Miseriae homini propter peccatum primi parentis quot, et quantae. 480.
- Miseriae hominum nnde. *ibid.*
- Missae sacrificium idem est cum eo, quod in cruce oblatum est. 232.
- Missae sacrificium non est nuda commemoratio sacrificii in cruce peracti, sed vere propitiatorium. *ibid.*
- Missae sacrificium pro mortuis offertur, et illis prodest. 233.

**Missae sacrificium propitiatorium sacrificium.** 232.  
**Missae omnes communes censendae.** 233.  
**Missae ritus non sunt inanes, et supervacanei.** *ibid.*  
**Moechari prohibitum est praecepto sexto.** 390.  
**Moechia quare post homicidium prohibeatur.** *ibid.*  
**Praeceptum de moechia quibus verbis tractandum.** *ibid.*  
**Moechiae praecepti duplex vis.** 391.  
**Moechiae, seu adulterii nomine, quid prohibeatur.** *ibid.*  
**Reliqua de moechia vide in adulterio, et fornicatione.**  
**Mortem Christus in ligno crucis cur perpressus sit.** 45.  
**Mortem Christi parochi saepe exponere debent.** 46.  
**Mortem Christus vere sustinuit.** 47.  
**Mortem Christus subivit sponte.** *ibid.*  
**Locus mortis, et tempus ipse delegit.** *ibid.*  
**Mulier quare ex latere viri formata, non ex pedibus, aut ex capite.** 318.

## N

**Nativitas Christi duplex non facit duos filios.** 34.  
**Necessitate nostra cognita, ad patrem adire cogimur.** 492.  
**Necessitati nostrae quae supersunt, cum aliis communicanda.** 497.  
**Nequitia carnis, et spiritus.** 515.  
**Nomen Dei tetragrammaton non pronuciare iuane est superstitio.** 345.  
**Nomina quare imponenda baptizatis.** 178.  
**Nomina gentilium imponentes baptizatis reprehenduntur.** 178.  
**Nomina Deo imposita quot.** 345.  
**Nomini divino quomodo verus honor attribuat.** 346.  
**Nomen clerici unde deductum.** 293.  
**Nomen Dei quomodo sanctificari potest.** 465.  
**Nomen Dei cur a gentibus blasphemetur.** 469.  
**Nomen Dei quomodo in infidelibus sanctificari possit.** 466. et in peccatoribus. *ibid.*  
**Nomen Dei sanctum, et terribile sanctificatione non eget.** *ibid.*  
**Nomen Dei re, non verbis tantum sanctificandum.** 469.  
**Novissimorum commemoratio saepe populo facienda, et cur.** 277.

## O

**Obedire debent omnia divinae voluntati.** 482.  
**Observatio legis necessaria ad salutem.** 325.  
**Obtrectatio vitium pessimum.** 413.  
**Obtrectatorum multa genera.** *ibid.*  
**Odium Dei maximum omnium peccatorum.** 343.  
**Odium proximi multa peccata sequuntur.** 388.  
**Odium daemonum in nos inflatum.** 515.  
**Officium parochi, quod auditoribus praestare debet.** 432. 540.  
**Omnis doctrinae ratio fidelibus tradenda, in scripturam et traditionem distribuitur.** 7.  
**Opera, quae sine fide, et cha-**

- ritate fiunt, grata Deo esse non possunt. 273.
- Opera nostra ex gratia Christi merentur. *ibid.*
- Operibus regnum Dei comparatur. 478.
- Operibus cum gratia Dei factis divinae legi satisfacere possumus. 273.
- Operibus nostris vitam aeternam consequi possumus. *ib.*
- Opus ullum Deo gratum sine gratia Dei nemo praestare potest. *ibid.*
- Opus redimendi hominum genus eminent inter opera gubernationis, et creationis. 459.
- Orandus primo Deus, deinde sancti. 446.
- Orandus Deus aliter, et aliter sancti. *ibid.*
- Orandi optimus modus. 439. Pro quibus orandum. 44.
- Orandi sancti, et qua ratione, ut nostri misereantur. 446.
- Orandi ratio optima. 450.
- Orandum est in spiritu, et veritate. 451.
- Orandi in spiritu consuetudinem infideles non habent. 452.
- Orandum in nomine Christi. 453.
- Orandus Deus, cum proximus nos laedit, et quomodo. 53.
- Orantes Deo honorem habemus. 448.
- Oranti maiestas divina fit propior. 531.
- Orare intra cubiculum quid sit. 452.
- Orantem christianum pro aliis Deus libenter audit. 462.
- Orare alii pro aliis debemus. *ibid.*
- Orantes cum Deo colloquantur. 531.
- Orantium fructus, et munera. 531.
- Orare, sicut oportet, debemus, et qui non sic orant. 440.
- Orandi modus, quem effundendi voce scripturae expriment, quis sit. 439.
- Orationis, seu petitionis, seu gratiarum actionis multi sunt gradus. 438.
- Quos peccatores in oratione Deus exaudiat, et invet. 446.
- Oratio ad Deum necessaria. 432.
- Orationis necessitatem quibus rationibus fideles intelligent. 433.
- Oratione daemones fugamus. *ibid.*
- Orationes pias semper exaudit Dominus. 435. cur aliquae non exaudiantur. *ibid.*
- Christus in oratione pernoctabat. 433.
- Orationis utilitas, et fructus. 434.
- Oratio est quoddam religionis argumentum. *ibid.*
- Oratione Deo nos subiectos esse profitemur. *ibid.*
- Oratio est caeli clavis. *ibid.*
- Oratione amplissima dona consequimur. *ibid.*
- Oratio quibus partibus constet. 438.
- Orationis partes praecipuae. *ib.*
- Oratio eorum, qui nondum fidei lucem acceperunt, quo modo exaudiat. 440.
- Orationum, quae fiunt in ecclesia in die parasceves, antiquitas. 443.
- Oratio requirit assiduitatem. 452.
- In oratione sanctorum fervor imitandus, et petitioni gratiarum actio adiungenda. 433.

- Oratio nostri desiderii interpres. 465.
- Oratio sive impetretur quod petitur, sive non, quam salutaris. 500.
- Oratio dominica quotidie recitanda. 498.
- Oratio quorum non exaudiatur a Deo. 440.
- Orationes pro impiis fieri debent. 443.
- Orationes pro mortuis in purgatorio ab apostolis fluxere. *ibid.*
- Orationes pro peccantibus ad mortem non proficiunt. 444.
- Orationem dominicam ante imagines sanctorum pronuncians quid sentire debeat. 446.
- Oratio humilis esse debet. 447.
- Orationis praeparatio. *ibid.*
- In oratione qui vult exaudiri, a quibus ei sceleribus abstinendum. 448.
- Orationem nostram facit execrabilem contemptus divinae legis. *ibid.*
- Oratio dubitationem non admittit. 449.
- Oratio mentalis vocalem non excludit, et mentalis principalem locum tenet. 451.
- Orationis vocalis propria utilitas, et necessitas. *ibid.*
- Oratio privata, et publica. *ib.*
- Orationis dominicae expositio. 454.
- Oratio pro altero facta Deo gratior, quam pro se. 462.
- quae inanis est, nisi postulet caelestia, aut cum caelestibus coniuncta. 464.
- Orationes sunt arma contra satanam. 436. in principio timoris plenae, in fine exultationis. 531.
- Ordo servandus in oratione. 525.
- Ordo quid. 286. est sacramentum, multos habet gradus et varias functiones. *ibid.* 292.
- Ordo sacer inter ecclesiae sacramenta quare enumerandus. 291.
- Ab ordinis sacramento omnia alia sacramenta pendent. 287.
- Ordinis dignitate nulla in teris excellentior. *ibid.*
- Ordinati rite sunt legitimi ecclesiae ministri. *ibid.*
- Ordinandi quales esse debeant. 288. hi quem finem sibi proponere debeant. *ibid.*
- Ordinis sacramento initiati praecipua gerunt ecclesiae munera. 289.
- Ordinis potestas ad quae se extendat. 290.
- Ordines ministrorum quare plures instituti. 292.
- Ordinis sacramenti quis sit minister legitimus. 301.
- Ordines septem qui. 292. alii maiores, alii minores. *ibid.*
- Ordo ostiarii. 294. lectoris, exorcistarum, acolythorum. 295. subdiaconi. 296. et eorum munera. 297.
- Ordinibus sacris lex perpetuae continentiae imponitur. *ib.*
- Ordo diaconi, et munus. *ibid.* sacerdotii. 298. vide sacerdos, et sacerdotium.
- Ordines sacri fiunt statis diebus, quibus etiam ieiunia indicantur. 302.
- Ordinandi prius sacramento poenitentiae conscientiam purgant. *ibid.*
- Ordinis sacramentum pueris, et furiosis non conferendum. 303.
- Qui aetatis annus in singulis ordinibus expectandus. *ib.*
- Ordinis sacramentum gratiam confert. 304.

- Ordinis sacramentum characterem imprimit. 304.
- Originalis iustitiae donum homini datum. 25.
- Originale peccatum ex Adam propagatum. 26.
- P
- Panis nomine multa in divinis litteris significari. 493. et omnia necessaria victui, et vestitui intelliguntur. *ibid.*
- Panis ad necessitatem, non ad luxuriam petendus. 495.
- Panis a nobis iure acquirendus, non iniuria, vel fraude. *ib.*
- Panis quare quotidianus appellatus. 496. et quare assidue a Deo petendus. *ibid.*
- Panis quotidianus quo modo divites petere debeant. *ibid.*
- Panis spiritualis. 498.
- Panis, qui Christus est, incredibili laetitia perfundit piorum animos. *ibid.*
- Panis noster substantialis Christus in eucharistiae sacramento continetur. 499.
- Parentibus honor quis debeatur. 374. et iis in necessitate subveniendum est. *ibid.* iisdemque etiam mortuis honor tribuendus. *ibid.*
- Parentum officia erga filios. 378. nimiam severitatem, et indulgentiam fugiant. *ibid.*
- Parochi, qui sine discrimine cum conditione iterum baptizant, sunt irregulares. 171.
- Passionis Christi mysterium maxime Dei potentiam, et benignitatem ostendit. 501.
- Passionis Christi tempus quare observatur. 45.
- Passionis Christi causa. 50.
- Passionis Christi historia populo saepe inculcanda. 46.
- Passionis Christi beneficium qua ratione contemplari conveniat. 49.
- Passus est Christus poenas gravissimas. 50.
- Passiones Christi acerbiores quam sanctorum. 52. et quae commoda nobis conferant. *ibid.*
- Passio Christi nobis veniam peccatorum promeruit. 501.
- A passione Christi omnis satisfactionis vis et ratio fluxit. 506.
- Pastorum ecclesiae verba, tamquam Dei verba recipienda. 2.
- Pastores etiam hodie necesse est verbum Dei praedicare. *ibid.*
- Patris vox quid in Deo significet. 18.
- Pater quare dicatur prima persona in divinis. 19.
- Patris nomine qui vocentur. 372.
- Patres cuiuscumque generis a nobis honorandi. *ibid.* sq.
- Pater quare in principio orationis positum. 454.
- Pater omnium Deus. 455.
- Patrum veteris legis polygamia excusatur. 314.
- Patriarchae olim quot, et eorum gradus. 301.
- Patrini quare adiuncti ad baptismum praeter sacramenti ministros. 156. sq.
- Patrinorum usus antiquitus. 158. et quot esse debeant. 159.
- Patrinorum affinitas cum quibus contrahatur. 157.
- Patrini partes. *ibid.*
- Patrinus in baptismo esse cui non liceat. 158.
- Patrinus quare ad confirmationem vocetur. 185.

- Patrini confirmationis quam  
affinitatem contrahant. 185.
- Peccatum, et peccati poena ex  
Adam ad nos promanavit. 27.
- Peccata quaedam remitti non  
posse, quo modo intelliga-  
tur. 243.
- Peccata cogitationis quantum  
referat a Deo fuisse prohi-  
bita. 425.
- Peccata omnia mortalia etiam  
cogitationis in confessione  
aperienda. 259.
- Peccata diligenter pervesti-  
ganda ad ea confitenda. 266.
- Peccata in ecclesia quo modo  
remittantur. 101.
- Peccata poenitentibus condonare,  
semper promptus est,  
et paratus Deus. 505.
- Peccata quare debita dicantur.  
506.
- Peccata sine Dei auxilio vitare  
non possumus. 487.
- Peccati culpa dimissa, poena  
non remittitur. 269.
- Ad peccati veniam consequen-  
dam tria requiruntur. 501.
- Peccati veniam postulans qua-  
liter affectus esse debeat.  
511.
- Peccati pestis teterrima. 503.
- Ad peccati condonationem dol-  
or, et malorum sensus,  
quam sit necessarius. *ibid.*  
501.
- Peccata quae consequuntur.  
269.
- Peccatum, idest peccati fomes  
ubi habitat. 483.
- Peccatorum nostrorum imma-  
nitate aversus a nobis Deus  
operibus nostris non bene-  
dicit. 492.
- Peccato omnes addictos esse.  
502.
- Peccatorum recordatio qualis  
esse debeat. *ibid.*
- Peccatorum turpitudine. 502.
- Peccatum, etsi eius actio trans-  
ierit, macula tamen, et reat-  
us permanet. 504.
- Peccatum semper insequitur  
ira Dei. *ibid.*
- Peccatis Deus offenditur. 505.
- Peccatorum remissionem pe-  
tentibus excusatione non uti-  
mur. 503. quo modo nostra  
sint. *ibid.*
- Peierat is, qui iurando iusti-  
tiam deserit. 353.
- Peierare variis modis solemus.  
*ibid.* summa hominum pro-  
clivitas ad peierandum. 356.
- Pericula, in quibus assidue  
versamur, ante oculos po-  
nenda. 514.
- Periurium causa est cur di-  
versis suppliciis affligamur.  
355.
- Permissio in Deo quo modo  
intelligatur. 519.
- Personarum divinarum pro-  
prietates. 19.
- Persona prima in divinis qua-  
re pater dicatur. *ibid.*
- Quae ad divinas personas per-  
tinent, subtilius exquirere  
non oportet. *ibid.*
- Petere quid primum a Deo de-  
beamus. 465.
- Petere regnum Dei non satis  
est ad illud acquirendum.  
477.
- Petere, ut Deus nostris cupi-  
ditatibus non satisfaciat,  
difficile in animum induci-  
mus. 485.
- Petere non debemus abundan-  
tem, et exquisitam copiam  
ciborum. 495.
- Petere subsidium rerum huma-  
narum a Deo possumus. 493.
- Cur haec a Deo petere liceat.  
490.
- Petere non sibi, sed omnibus

- est proprium christianae charitatis. 497.
- Petere dimitti debita, quid sibi velit. 501.
- Petere debemus malorum depulsionem, si id ad gloriam Dei faciat. 525.
- Petere non debemus, ut omnino non tentemur. 519.
- Petere debemus, ut Domini manus cibos suppeditet salubres. 492.
- Petenda a Deo quae sint. 441.
- Petendum quid sit sine adiunctione. *ibid.*
- Petentibus piis hominibus, si quid negat Deus, argumentum est, id eis utile non fuisse. 500.
- Cur, cum petitis de regno Dei cum omnibus coniungatur, ea tamen separatim facienda sit. 471.
- Petitio, *fiat voluntas tua*, quem ordinem habeat. 479.
- Petitiones, quibus corporis, et animae subsidia petuntur, quae sint. 489.
- Petitionum ordo sequi debet ordinem rerum expetendarum. 466.
- Petitio omnino nostra ad caelestia referri debet. *ibid.*
- Petitores, et accusatores, quo modo suo officio recte fungantur. 417.
- Petrus summus pontifex, et caput omnium apostolorum. 91. et a Christo caput ecclesiae constitutus. *ibid.*
- Petri successor eandem cum Petro potestatem habet. *ib.*
- Philosophi quid de Deo senserint. 15.
- Philosophia christiana a saeculari sapientia quantum differat. *ibid.*
- Poenae gravissimae, quas Christus perpessus est. 51.
- Poenitentiae usu carere diutius plurima damna affert. 143.
- Poenitentiae sacramentum est necessarium. 234. reiterari debet. *ibid.*
- Poenitentiae secunda naufragii tabula. *ibid.*
- Poenitentia multiplex. 235.
- Poenitentiae nominis varia notio, et potestas. *ibid.*
- Poenitere Deum, per translationem dicimus. *ibid.*
- Poenitentiae variae significationes, in quo differant. 236.
- Poenitentiam fides antecedit necesse est. *ibid.*
- Poenitentia virtus est, et sacramentum. 237.
- Poenitentia, ut virtus est, quid sit. *ibid.*
- Citra poenitentiam nullus condonationem peccatorum obtinere potest. 244.
- Poenitentia quid sit. *ibid.*
- Per poenitentiam cur peccatum non ita dimittatur, sicut in baptismo. 270.
- Per poenitentiam Christo assimilamur. 272.
- Poenitentia haec intima quare sit virtus. 237.
- Poenitens vere quid sibi proponere debeat. *ibid.*
- Quibus gradibus ad poenitentiam liceat ascendere. 238.
- Poenitenti regnum caelorum sacrae litterae pollicentur. *ibid.*
- Poenitentia exterior est sacramentum. 239.
- Poenitentiae sacramentum quare Deus instituerit. *ibid.*
- Poenitentiae sacramenti materia, et forma. 240. sq.
- Poenitentiae caeremoniae, et ritus. 241.

- Poenitentiae sacramenti fructus. 242.
- Poenitentia nos in Dei gratiam restituit. *ibid.*
- Poenitentiae partes integrales. 244.
- Poenitentia quare ex partibus constet. 245.
- Poenitentia publica quare publico peccato indicatur. 271.
- In poenitentia duo animadvertenda. 272.
- Poenitentiae poena a nobis suscepta Dei animadversionem avertit. *ibid.*
- Pontificem romanum catholica ecclesia patrem orbis terrarum appellat. 301.
- Pontifex romanus est ecclesiae caput visibile. 91. eius auctoritas patrum sententiis roboratur. *ibid.*
- Pontifici romano summa dignitas, et iurisdictio iure divino data. *ibid.*
- Pontifex romanus moderator universalis ecclesiae, Petri successor, et Christi verus et legitimus vicarius. 301.
- Postulatio de regno Dei magnam vim donorum, et copiam continet. 471.
- Postulatio dimitteendi debita de quibus intelligatur. 506.
- Potestas ecclesiastica duplex est, ordinis, et iurisdictio- nis. 290.
- Praecepta omnia legis mosaicae ex decem pendent praeceptis, et illa decem ex duobus. 322.
- Praeceptum primum decalogi. 330.
- Praeceptorum ordinis ratio. *ib.*
- Praeceptum duplex continetur in verbis primi praecepti. 335.
- Praeceptum omnium primum et maximum, est primum. *ib.*
- Praecepto primo non prohibetur ars sculpendi, pingendi, et fingendi. 337.
- Praeceptum primum quare a secundo separatim traditum. 344.
- Praecepti secundi lex quid prohibeat, et quid iubeat. 345.
- Praecepti de diligendis parentibus usus latissime patet. 369.
- Praecepta decalogi duabus tabulis incisa, et quare. *ibid.*
- Praeceptum de diligendis parentibus quare matrem explicet. 372.
- Praecepta ultima duo quare simul coniuncta. 421.
- Praecepta duo postrema qui servat, cetera omnia servat. *ibid.*
- Quo pacto haec inter se differant. *ibid.*
- Ex praeceptis his duobus postremis quanta ad homines promanet utilitas. *ibid.*
- Praeceptorum duorum ultimorum duplex utilitas. *ibid.*
- Praedicatio divini verbi nunquam intermittenda. 2.
- Praedicare non debet aliquis, nisi mittatur. 3.
- Praedicatio verbi Dei fidem nobis acquirit. *ibid.*
- Praedicantium verbum Dei auctoritas. *ibid.*
- Praemia victoribus proposita. 523.
- Praeparatio ad orationem in quo consistat. 447. sq.
- Praeparatio autem communionem qualis et quam necessaria. 221.
- Requirat, ut ieiunii accedamus. 223.
- Praesidia quot, et quanta Deus nobis ad consequendam salutem concesserit. 478.



- Precatione dominica singuli  
 quotidie uti debent. 496.  
 Precantes omnes ecclesiae no-  
 mine precantur. 590.  
 Preces Deo assidue faciendae.  
 452.  
 Preces etiam pro proximis fa-  
 ciendae, etiamsi ab illis lae-  
 si fuerimus. 509.  
 Preces christianorum, et infi-  
 delium in quo differant. 526.  
 Preces cum non audit Deus,  
 indignari non debemus. 435.  
 Preces, quae in litanis fiunt,  
 dominicam orationem expli-  
 cant. 528.  
 Pretium crucis Christi quanti  
 sit. 501.  
 Prophetae planius de ecclesia,  
 quam de Christo locuti sunt.  
 83.  
 Prophetae falsi exierunt in  
 mundum. 2.  
 Prophetarum falsorum impie-  
 tas quam longe sit progres-  
 sa. 3.  
 Providentia Dei erga homines.  
 493.  
 Proximus quis sit. 411.  
 Prudentiam ad salutem neces-  
 sariam, nisi Deo auctore,  
 comparare non possumus.  
 481.  
 Pudicitia, et continentia omni  
 studio colenda. 396.  
 Purgatorius ignis probatur.  
 56.  
 Purgatorius ignis ante Christi  
 adventum iudaeis persuasus.  
 ibid.  

**R**

 Rapinae maius peccatum, quam  
 furti. 399.  
 Rapinae et quot earum gene-  
 ra. 402.  
 Raptores qui dicendi. 403.  
 Redemptionis pondere quid  
 acceperimus. 459.  
 Regnum Dei ante omnia postu-  
 landum. 471.  
 Regni Dei multae significatio-  
 nes. 473.  
 Regnum Christi non esse de  
 hoc mundo, quo modo intel-  
 ligendum. 474.  
 Regnum Dei in nobis quale. ib.  
 Regnum Dei intra nos quo  
 modo intelligendum. ibid.  
 Regni caelorum praedicatio est  
 initium et finis evangelii.  
 470.  
 Regnum Dei quo modo peten-  
 dum. 471.  
 Regnum Christi quare iustitia  
 dicatur. 474.  
 Regnum gloriae quid. 475. se-  
 mel adeptum numquam amit-  
 titur. ibid.  
 Regnum gratiae prius ponen-  
 dum, quam gloriae. ibid.  
 Regni Christi, quod est eccle-  
 siae, petitur a Deo propa-  
 gatio. 476.  
 Regni Christi desiderium qui-  
 bus rationibus in nobis exci-  
 tabitur. 477.  
 Regnum Dei quo modo veniat  
 in peccatores. 476.  
 Regnum Christi quomodo pe-  
 tatur, ut nobis sit. 477.  
 Regni Christi excellentia. ib.  
 Regni caelorum ingredi cupien-  
 tes, petere debent a Deo, ut  
 fiat voluntas eius. 479.  
 Rei per legitimum magistra-  
 tum interrogati mentiri non  
 possunt. 416.  
 Reliquiarum sanctorum virtus  
 unde confirmetur. 336.  
 Remedia ad diversas noxias  
 cupiditates. 429.  
 Remedia aegrotantis animae  
 poenitentia et eucharistia.  
 512.

- Remedia sanitati tantum prout sunt quantum Deus voluerit. 525.
- Remissio peccatorum est cumulus bonorum, quibus per Christum sumus affecti. 501.
- Remissio peccatorum in ecclesia reperitur. 100. eiusque potestas. *ibid.*
- Remissionem peccatorum nemo sine poenitentia consequitur. 244.
- Remissa culpa, non semper poena, quae peccato debetur, condonatur. 269.
- Remittendi peccata potestatem Christus episcopis, et sacerdotibus in ecclesia concessit. 102.
- Remittuntur peccata in ecclesia virtute clavium. 101.
- Remittendi peccata potestas nulli homini ante Christum concessa. 103.
- Renati inter huius vitae miseriae solidis gaudiis non destituuntur. 169.
- Restitutio poenitenti est necessaria. 404.
- Qui cogendi sint, ut restituant. *ibid.* 273.
- Resurrectio Christi, et de eius glorioso mysterio. 58.
- Christus sua virtute resurrexit. 59.
- Resurrectio Christi quas ob causas necessaria fuerit. 61.
- Resurrectio Christi quot commoda humano generi attulerit. 62.
- Resurrectionis beneficio Christus primus omnium est affectus. 60. hoc quo modo intelligendum sit, exponitur. *ibid.*
- Resurrexisse Christum tertia die, quo modo intelligatur. *ibid.*
- Resurrectionis Christi mysterium maxime necessarium ad credendum. 61.
- Resurrectionis Christi finis. *ibid.* 62.
- Resurrectio Christi quae nobis exempla sumenda proponat. 63.
- Resurrexisse aliquem secundum spiritum ex quibus indicibus colligatur. 64.
- Resurrectio quibus scripturis stabilatur. 107. similitudines, et rationes quae idem probant. 108.
- Resurgentium corpora qualia sint futura. 112. 113.
- Resurrectionis mortuorum fides nostra innititur. 106.
- Resurrectio hominis, quare resurrectio carnis dicatur. *ib.*
- Resurgentium varia conditio. 113.
- Resurrecturi omnes morituri sunt, nemine excepto. 110.
- Resurgent corpora nostra immortalia, et eadem. *ibid.*
- Resurrectio mortuorum probatur. 111.
- Eorum, qui resurgent, dotes. 113.
- Ex resurrectionis articulo qui fructus capiantur. 115.
- Romana ecclesia omnium mater, et magistra. 301. eius desertores damnantur. 89.

## S

- Sabbati celebritas quare in sacris litteris saepissime praecipitur. 356.
- Sabbatum quid significet. 361.
- Sabbatum quare Domino consecratum. *ibid.*
- Sabbatum quarum rerum signum fuerit. 362.
- Sabbatum caeleste, et spirituale quod sit. 363.

- Sabbatum quare in diem dominicum translatum. 363.
- Sabbatum, qua ratione colendum. 364.
- Sacerdotibus solis data est facultas sacramentum eucharistiae conficiendi. 228.
- Hi, quamvis improbi, sacramentum consecrare, et ministrare possunt. *ibid.*
- Sacerdotes quando Christus instituerit. 230.
- Sacerdos quilibet in necessitate quemlibet poenitentem absolvere potest. 263.
- Sacerdotibus ad victum necessaria suppeditanda. 375.
- Sacerdotium Christi excellentius est sacerdotio legis naturae, et legis scriptae. 290.
- Sacerdotum Christi potestas in diiudicanda peccati lepra, quantum differt a potestate sacerdotum antiquae legis. 242.
- Sacerdos quare presbyter nominetur. 298.
- Sacerdos silentio peccata in confessione audita compri-  
mat. 264.
- Sacerdotes dii, et angeli vocantur. 287.
- Sacerdotes novi testamenti ceteris omnibus praestantiores. 290.
- Sacerdotum potestas maxima. *ibid.*
- Sacerdotes mercenarii, qui. 289.
- Sacerdotes per ostium ecclesiae ingredientibus, qui sint. *ibid.*
- Sacerdotes in omni lege fuerunt. 290.
- Sacerdoti ab episcopo quanta potestas tradatur. 292.
- Sacerdotalis ordo tametsi unus est, varios tamen et dignitatis et potestatis gradus habet. 300.
- Sacerdotes simplices, qui. *ib.*
- Quid in eo, qui sacerdos creandus est, requirendum. 302. et quam cognitionem habere debeat. *ibid.*
- Sacerdotis duo munera. 304.
- Sacerdotio initiandi quem finem sibi proponere debeant. 288.
- Sacerdotis dignitate nulla in terris excellentior. 287.
- Sacerdotii onus nemini temere imponendum. 288.
- Qui ad sacerdotium vocari dicantur a Deo. *ibid.*
- Sacerdotii potestas duplex. 290.
- Sacerdotii evangelici potestas a Christo ortum habet. 288.
- Sacerdotium externum non cadit in omnes christianos. 299.
- Sacerdotium duplex, internum, et externum. *ibid.*
- Sacerdotii munera propria. *ib.*
- Sacerdotii functio praecipua. *ibid.*
- Sacramenti nomen quo modo accipiatur. 129.
- Sacramentum quid. 130.
- Sacramentum non unam tantum rem praesentem designat, sed plures. *ibid.*
- Sacramenta novae legis in quo excellant prae veteris legis sacramentis. 135.
- Sacramenta septem, unde ex scripturis demonstrantur. 136.
- Sacramentorum virtus aequalis non est. 137.
- Sacramentum, et sacrificium in quo differant. 230.
- Sacramenti definitio ex Augustino. 126.
- Sacramenta inter eas res, quae significant, referuntur. *ib.*

- Sacramenta sunt signa a Deo tradita. 129.
- Sacramentum sanctitatem significat, et efficit. 130.
- Sacramenta non sunt imagines sanctorum, et cruces. 129.
- Sacramenta legis evangelicæ quare instituta. 131.
- Sacramentum quodlibet ex duobus conficitur, ex materia et forma. 134.
- Sacramentorum caeremoniæ sine peccato prætermitti non possunt. 135.
- Sacramenta quare cum solemnibus caeremoniis ministrantur. *ibid.*
- Sacramentorum differentia inter se. 137.
- Sacramentorum auctor Christus. 138.
- Sacramenta quare per homines Deus ministrari voluit. *ib.*
- Sacramentorum ministri Christi personam gerunt. *ibid.*
- Sacramenta novæ legis impura conscientia ministrare, quam periculosum sit ipsis ministris. 139.
- Sacramentorum effectus. 140.
- Sacramenta gratiam iustificantem conferunt. *ibid.*
- Sacramentorum ministri sua pravitate effectus sacramentorum impedire non possunt. 138.
- Sacramentorum effectus cur initio mirabiliter designati. 141.
- Sacramenta quibus rationibus veneranda sint. 143.
- Sacramentorum novæ legis excellentia ad vetera comparatorum. 141.
- Sacramenta tria characterem imprimunt. 142.
- Sacramentorum usu christianum aedificium fulcitur. 143.
- Sacramenta per improbos, si quæ ad eorum rectam rationem attinet rite servantur, conficiuntur. 228.
- Sacrificium nostrum quando fuerit institutum. 230.
- Sacrificium quibus figuris, et prophetiis designatum fuerit. 231.
- Sacrificium unum sunt cruenta, et incruenta hostia. 232.
- Sacrificium idem est, quod in missa, et quod in cruce oblatum est. *ibid.*
- Sal in baptismo quare adhibetur. 175.
- Saliva quare nares, et aures in baptismo luviantur. *ibid.*
- Sanctorum communio quam ntilis, et quid significet. 97.
- In sanctis venerandis Dei gloria non minuitur, sed augetur. 334.
- Sanctorum patrocinium non est supervacaneum. 336.
- Christus etsi mediator propositus sit, non propterea sequitur, quin ad sanctorum gratiam confugere liceat. 335.
- A sanctis quo modo petere possumus, ut nostri misereantur. 446.
- Satanæ incursibus qui maxime omnium petantur. 516.
- Satan quibus rebus vivatur. 521.
- De satisfactionis doctrina. 263.
- Satisfactio, quæ nobis Deum placatum reddit, solius Christi est. *ibid.*
- Satisfactio canonica, quæ. 269.
- Satisfactio a nobis sumpta, quæ sit. *ibid.*
- Satisfactio, quæ est sacramenti pars, quæ sit. *ibid.*
- Satisfactione cur opus sit post peccatorum remissionem. 270.

- Ad satisfactionem necesse est, ut homo sit in gratia. 274.
- Satisfactoriae sunt afflictiones, quae extrinsecus inferuntur. 275.
- Satisfactionis definitio, et necessitas. 267.
- Satisfactio nostra Christi satisfactionem non obscurat, sed multo clariorem reddit. 273.
- Omne satisfactionis genus ad tria praecipue confertur opera. 274.
- Satisfacere unus pro altero potest. 275.
- In satisfactionis poena irroganda, quid sit servandum. 276.
- Satisfactionis opera a sacerdote indicta poenitens saepe etiam ultro suscipiat. 272.
- Schismatici uti damnentur. 89. 498.
- Sepulturae Christi cur fiat expressa mentio in symbolo. 48.
- Servi aliorum non sunt per cupiditatem sollicitandi. 427.
- Servire Deo, nihil magnificentius. 488.
- Sicut*; particula, cum dicimus, *Sicut et nos*, quam vim habeat. 508.
- Signa a Deo instituta, tam in veteri quam in novo testamento. 129.
- Signa a natura adinventata, et divinitus data. *ibid.*
- Signa, quae dicantur. 128.
- Signa ante iudicium, quae. 75.
- Signaculum totius orationis dominicae est vox *Amen*. 531.
- Spes impetrandi maximum pondus ad impetrandum affert. 449.
- Spe caelestium praemiorum, quo modo nos Deo dicere debeamus. 487.
- Spem unde habere debeamus impetrandi veniam peccatorum. 501.
- Spes in tentationibus ex quibus nascatur. 521.
- Spiritus sancti personam non debemus ignorare. 78.
- Spiritus sancti nomen aliis personis commune esse potest. *ibid.*
- Spiritus sancti personae cur proprium nomen tributum non sit. 79.
- Spiritus sanctus Patri, et Filio in omnibus omnino aequalis. 80.
- Spiritus sanctus est Deus. *ib.*
- Spiritus sanctus est Trinitatis persona per se subsistens. 81.
- Spiritum sanctum a Patre, Filioque procedere demonstratur. 82.
- Spiritus sancti admirandi effectus, qui, quales, et quanti. 83.
- Spiritus sanctus quare dominus appellatus. 79.
- Spiritui sancto cur opera quaedam, et dona peculiariter tribuantur. 83.
- Spiritus sanctus nostrarum orationum auctor est. 450.
- Superbia valde Deum offendit. 448.
- Symboli necessitas, quae sit. 12.
- In symbolo proposita, quo modo curiose scrutanda non sint. 14.
- In symbolo quo modo dogma de veritate eucharistiae includatur. 208.
- Symbolum ab apostolis compositum, et quare sic appellatum. 12.
- Symbolum in tres partes distributum. *ibid.*

## T

- Tentare quid sit. 515. sq.  
 Tentat, qui non impedit tentationem. 518. 519.  
 Tentat Deum quis in oratione. 443.  
 Tentatio in hac vita triplex est. 514.  
 Tentationum fluctibus agitati in precationis portum confugiamus. 520.  
 In tentationem ne inducamur, orandus est Deus. 520. 521.  
 Tentatio est vita hominis super terram. 514.  
 In tentationem inducere, quomodo Deus dicatur. 517.  
 In tentationibus superandis dux Christus est, socii sancti. 521.  
 Tentator quare diabolus dicitur. 518.  
 Terra in media mundi parte consistit, et quomodo creata. 25.  
 Testem iuratum index reiicere non potest. 411.  
 Testimonii falsi non dicendi praeceptum. *ibid.*  
 Quid praecepto non dicendi falsum testimonium prohibeatur. 410.  
 Testimonium falsum dicere, aut mentiri propter inimicum non licet. 411.  
 Testimonium falsum in seipsum dicere non licet. *ibid.*  
 Testimonium falsum quod vocat apostolus. *ibid.*  
 Testimonii falsi damna. *ibid.*  
 Testimonium est confessio laudis Dei. 416.  
 Testimonii veri in rebus humanis maximus usus. 417.  
 Tondendi caput in coronae speciem consuetudinem Petrus primus induxit. 293.  
 Tonsura prima, quid sit. 293.  
 Traditione apostolica declaratur purgatorius ignis. 56.  
 Traditio apostolorum, qua episcopus a tribus episcopis consecratur. 302.  
 Transubstantiatio in conciliis approbata, in scripturis fundamentum habet. 312. Eam patres quomodo agnoverint. 313. quomodo fiat transubstantiatio. *ibid.*  
 Tribulationum commoda. 530.  
 Trinitatis opera sunt indivisa ad extra. 83.  
 Trinitas apparuit in baptismo Christi, et cur. 153.

## V

- Vasa sacra nemo non consecratus tangere potest. 228.  
 Verbum Dei inhonoratur vel male interpretando, vel iocando. 354.  
 Verba inter omnia signa maximam vim habent. 134.  
 Verbi praedicatione, et sacramentorum usu christianum aedificium fulcitur. 143.  
 Verbi incarnatio. 37. Vide incarnatio.  
 Verbum Dei cibus est animae. 498.  
 Verbi Dei fames quare a Deo mittatur. *ibid.*  
 Verum tacere interdum licet, sed extra iudicium. 417.  
 Vestis candida in baptismo data, quid designet. 177.  
 Victoria contra diabolum, quomodo paretur. 522.  
 Vigiliae tentationes vincunt. *ibid.*  
 Viri officium erga uxorem. 318.  
 Virginitas coniugio praestantior. 310.  
 Vita aeterna, quid significet. 116.

- Vita quantum bonum sit, etiamsi multis sit calamitatibus obnoxia. 117.
- Vita, et salus nostra ex Deo pendent. 497.
- A vitio linguae innumerabilia mala proficiscuntur. 411.
- Uctionis extremæ sacramentum, quare sic dictum. 278.
- Uctio extrema est vere sacramentum. *ibid.* et unum tantum. 279.
- Uctionis extremæ materia, et forma, et ritus. *ibid.*
- Uctionis extremæ sacramentum quibus sit conferendum, et quibus non. 281.
- Uctionis extremæ sacramentum a Christo institutum. *ibid.*
- Uctionis extremæ sacramentum quo tempore adhibeatur. 282.
- Uctionis extremæ sacramentum suscipere apti non sunt, qui rationis usu carent, et pueri. *ibid.*
- Quae partes corporis sint unguendae. *ibid.*
- Uctionis extremæ sacramentum potest iterari. 283.
- Uctionis extremæ minister. 284.
- Uctionis extremæ utilitas. 285.
- Uctionis extremæ tempus opportunissimum. *ibid.*
- Vocationi suae quisque acquiescat. 488.
- Voluntas Dei ut fiat, quare petamus. 479.
- Voluntas Dei ut fiat, qui maxime petere debeant. 483.
- Voluntas signi, quae. *ibid.*
- Voluntas tua fiat*, quomodo Deo ex animo dicendum. 485.
- Voluntas Dei summa omnium ratio est. 489.
- Voluntate Dei omnia eveniunt. *ibid.*
- Voluntatem Dei quare maxime colamus. 485.
- Votum non servans periurus est. 353.
- Usura, quid sit. 402.
- Uxor et viri mutua officia. 318.
- Uxor partes erga virum. *ib.*

## Z

Zelus quis Deo tribuendus. 341.

Superiorum permissu.







# EDITIONES NOVISSIMAE

## CHARACTERE RUBRO ET NIGRO

- Breviarium Romanum** ex decreto sacrosancti concilii Tridentini restitutum, S. Pii V. Pontificis Maximi iussu editum, Clementis VIII. et Urbani VIII. auctoritate recognitum cum officiis Sanctorum novissime concessis 1 vol. in-16. 1870 . . . . . L. 12 »
- Breviarium Romanum** ad usum Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum et Monialium eiusdem Ordinis cum Officiis Sanctorum usque ad hanc diem concessis 1 vol. in-16. 1870 . . . . . » 12 »
- Canón Missae** ad usum Episcoporum ac Prae-latorum solemniter vel private celebrantium cum app. Formae Confirmationis et Consecrationis Patenae et Calicis ex Pontif. Rom. deprompta. 1852, in-fol. . . . . » 17 50
- Enchiridion** Sacerdotum curam animarum agentium compilatum a Fr. Leop. Bon. M. Moczygemba M. C. 1870, in-32. . . . . » 1 25
- Horae Diurnae Breviarii Romani** ex Decreto SS. Conc. Trid. restituti, S. Pii V. P. M. iussu editi, Clementis VIII. et Urbani VIII. auct. recogniti, cum officiis noviss. usque ad hanc diem concessis 1870, in-32 max. . . . . » 2 50
- Missale Romanum** ex decreto SS. Concilii Trident. restit. S. Pii V. P. M. iussu editum, Clementis VIII. et Urbani VIII. auct. recognitum: accuratissima editio cum additamentis novissimis. 1871, in-4 magno. . . . . » 20. »
- Idem novissima editio cum additamentis noviss. usque ad hanc diem 1871 concessis, *prima editio stereotypa* in-4 p. . . . . » 16 »
- Missale Defunctorum.** 1871, in-4. m. . . . . » 3 »
- Idem, 1871, in-4 p. . . . . » 2 »
- Officium Hebdomadae Sanctae** cum horis diurnis et nocturnis dispositum per singulos dies hebdomadae in volumine singulari, 1870, 8 vol. in-8 . . . . . » 16 »
- Rituale Romanum** Pauli V. P. M. iussu editum et a Benedicto XIV. auctum et castig. cum nova App. Benedict. et Instruct. 1871, in-8. » 5 »





